5.5.249

5 L. 5.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PAVLI MOCCIAE

In Regio Neapolitano Ephebeo
Eloqventiae Professoris

EPISTOLÆ

ACCEDVNT

DIVI BASILII VINDICIAE

*Adverſus Joannem Barbeyracium
quoad Jusjurandum*

NEAPOLI CIↃIↃCCLXIV
EX TYPOGRAPHIA SIMONIANA
SVPERIORVM PERMISSV

CLARISSIMO VIRO

FERDINANDO LEONIO

CAMPANIAE PRAEFECTO

PAVLVS MOCCIA

QVin tibi potiſſimum nuncuparem has qualeſcumque meas extemporales epiſtolas, quas, ut amicis morem gererem, edendas curavi, nemo omnium fuit, qui id in dubium revocarit. Qua enim me ſem-

Digitized by Google

per benevolentia complexus ſis , notius eſt , quam ut probationibus indigeat . At vero noſter πρὸς ἀλλήλους amor immane quantum crevit , cum Cl. Idelphonſi Clementis de Aroſtegui Hiſpaniarum ad utriuſque Siciliae Regem Oratoris aedes , tanti viri benigno liberalique accitu , frequentare occoepimus. Numquam enim non accidebat , quin eruditis apud eumdem (qui illic ſollemnis mos eſt) ſermonibus detineremur, quibus in dies magis magiſque conjungebamur. Neque aliter contingere poterat. Mira enim eruditio , quam ſedulo diſſimulabas , vel te invito ac repugnante ſe ſe prodebat , nec non conſummata totius litteraturae cognitio: quo fiebat , ut tibi nihil omnino novi

acci-

accideret, nihilque tam impeditum ac ſpinoſum poneretur, quod non ſumma dexteritate expedires. Tanti quidem certe eſt, rite recteque litterarum ſtudia ab ineunte aetate non ſine optimo duce atque auſpice inſtituiſſe. Id vero te τῷ μακαρίτῃ Ludovico Leonio, Patruo tuo, qui nullis non virtutibus clarus, ac doctrina perinſignis non ſemel generali Caeleſtinorum miniſterio functus eſt, te acceptum referre debere quis perneget? Is enim te cum apud ſe tempeſtive arceſſiſſet, ſub non poenitendo magiſtro, πολυμαθεστάτῳ ſcilicet Joſepho Orlando, qui nunc Juvenacenſem Eccleſiam ſapientiſſime moderatur, te jam humanioribus litteris perpolitum, in philoſophicis ac mathe-

maticis ſtudiis erudiendum curavit . Neque ejus exſpectationem fefelliſti . Nam contento ſtudio , improboque labore , &, quod caput eſt , morum innocentia , id effeciſti , ut animum optimis artibus excoleres , & jacta ab tuis illuſtri genere ortis parentibus ingenuae educationis ſemina ad maturitatem cum foenore perduceres . En , quî tantam tibi fortunam ſupra aetatem ſtruxiſti , tuis licet viribus relictus : en , quî ad ampliſſimorum virorum amicitias tibi aditus facillime patuit . Et tamen animi aequabilitas eadem ſemper fuit , eademque cum in bonis , tum arduis in rebus modeſtia . Atque hinc haud dubie factum eſt , ut noſtra benevolentia ſemel conſtituta ne vel pauxillulum qui-

dem

dem refrixerit, cum Auditoris munere inſignitus bujuſce Regni provincias obire incoepiſti. Quin imo ita huc rediiſti, cum Regis noſtri juſſu inſcius Campaniae rebus cum jure gladii praefectus fuiſti, ut nihil nobis antiquius cariuſque noſtra vetere familiaritate fuiſſe videretur. Uni autem Comiti Carolo Firmiano, viro qua generis claritate, qua omnijugena eruditione praeſtantiſſimo, quo tu, cum hic Caeſarei Oratoris munere fungeretur, amiciſſime utebaris, & cujus ope atque opera prorſus inſciens ad Senatoriam Mediolanenſem dignitatem ab incomparabili Thereſia Hungariae Regina promotus fueras, quod tu munus animo invicto excelſoque repudiaſti, ut, quam

tuo

tuo indulgentiſſimo Monarchae operam jam navandam ſuſceperas, in ea, quoad tibi vita ſuppeteret, fortiter conſtanterque perſeverares, huic uni, inquam, ni primas in te amando conceſſero, pudorem abjeciſſe exiſtimarer. Sane quidem, ecquiſnam huic palmam praeripere auſit, qui hominibus nedum quantiſcumque beneficiis demerendis ſtudioſiſſime incumbit; verum etiam illos ita diligit ex animo, ut, qui ſint amandi, cunctis tamquam exemplum numeris omnibus abſolutum proponi poſſe videatur? Verum enim vero, ſi hunc unum, quem Deus, utpote publico bono unice natum, diutiſſime ſoſpitem tueatur, ſepoſueris, en ego principem mihi locum nulla omnino temeritatis nota

vin-

vindicabo. Contra ea, hujuſcemodi amoris benevolentiaeque indiciis me coluiſti, itaque prae ceteris licet dignitate conſpicuis, & doctrina illuſtribus eximium habuiſti, ut nullus omnino dubitationi locus relinquatur. Numquam ſane Nivanum, ubi habitare conſtitueras, abiiſti, quin me tecum duceres; numquam rebus ita poſtulantibus, regiiſque juſſibus urgentibus, quod non raro accidit, peregre profectus es, quin reverſus me primum omnium domum tuam arceſſeres, meque tuorum ſermonum tamquam primitiis impertires. Quae cùm ita ſe habeant, deliberandum ne diu erat, cuinam haſce litteras αὐτοσχεδίως *conſcriptas inſcriberem, cum tibi tot tantiſque offi-*

cii

cii benevolentiaeque vinculis obſtringerer? Quin & illud mihi non parum dolendum omnes intelligent, quod non multo ante in id conſilii deſcenderim, omnique conatu contenderim, ut qualicumque publico litterarum monumento meum erga te gratum animum meamque obſervantiam teſtarer. Ecquem enim fugit, beneficiis ſi non omnino, ſaltem quoquò modo pro virili eſſe ſatisfaciendum? Verum & hîc, modo ſi mecum mitius agere volueris, non omnino reprehendendus videor. Ita enim comparatus ſum, ut λελῃθότως *vivere in deliciis habeam, meique pertenuis ingenii fetibus ſane quam monſtroſis non immerito prorſus diffidam. Hinc haud dubie factum*

eſt,

eſt, ut haec qualia ea cumque ſint epiſtolia, pro re nata, chartis illita, aut potius ab amicis expreſſa, tamdiu conſulto preſſerim, ac in publicam lucem prodire noluerim. Quoniam vero tandem cedendum fuit, ne ruſticus atque inofficioſus, ut leviſſime dicam, perhiberer, ecce tu mihi primus omnium jure ac merito occurriſti, cui meas haſce lucubrationes conſecrarem. Quare fac illas, ea benignitate atque vultus hilaritate, excipias, qua & ipſarum auctorem, pro ea qua es humanitate, excipere conſueviſti. Quod ſi ita feceris, uti dubio procul te facturum nedum ſpero, verum etiam confido, quominus publici juris fiant, haud diutius impediam. Tuo enim

patro-

patrocinio, tuaque tutela nixae, tutius & fidentius illam lucem intuebuntur, quam tamdiu non temere defugerant. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei a. d. V. *kal. Quinct.* CIↃIↃCCLXIV.

PAVLI

PAVLI MOCCIAE

EPISTOLAE

NICOLAO SPINELLO

Averſanorum Antiſtiti

Paulus Moccia S. D. 1

NVNTIATO Scaleae Principis, fratris tui, viri ſapientiſſimi juxta atque integerrimi obitu, quantopere dolui, non facile verbis expreſſerim. Animo ſtatim occurrit meo, cum vulnus florentiſſimae familiae inflictum, tum jactura, quam litteraria fecit Reſpublica, tanto amiſſo vindice atque adſertore. Hinc mihi haud difficile fuit conjectura aſſequi, quo affectus fueris dolore, tanti fratris morte. Sed jacentem tuum animum non parum erigent excitabuntque, quae exſtant divini ejus ingenii monumenta, nulli obnoxia fato. Qua de re minime ad temporis longinquitatem, qua demum vel graviſſimus quiſque dolor miteſcit, confugiendum eſt. Haud enim te fugit, illum mortalem natum, mortis arbitrio obnoxium vixiſſe; ſed adhuc, ingratiis illius, meliore ſui parte ſupereſſe, gloriaque immortalitatis apud poſteritatem omnem exſiſtere ſempiterna. Quod

vero ſerius omnino, quam par erat, meo ſatisfecerim apud te officio, ne mirere. Fuit enim, quod me aequo meticuloſiorem, fortaſſe non temere, ab ejuſmodi conſilio revocavit. At nunc tua invitatus humanitate, & confirmatus clementia, nullam omnino moram interponendam putavi, quin meas partes explerem. Quoniam vero tam egregii viri, cum in vivis ageret, te dante & permittente, nedum ſermonibus, verum etiam familiaritate fruitus ſum; ut aliquod meae erga illum obſervantiae argumentum apud poſteros exſtaret, haec epigrammata, craſſa licet Minerva concinnata, ad te, cui, ſecundum Deum, tantum debeo, quam cui maxime, mittenda curavi. Si libenter, quae tua humanitas eſt, acceperis, laetabor; ſin autem minus, certe in eis gratum meum animum deprehendes. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei kal. Jun. CIↃIↃCCLII.

IDELPHONSO CLEMENTI DE AROSTEGUI

Hiſpaniarum apud utriuſque Siciliae Regem Oratori

Paulus Moccia S. D. 2

QVod paucis ante diebus, rumore tantum nuntio, de immatura Caſtruccii Bonamici morte audieramus, jam exitu comprobatum eſſe, dolui vehementer. Proh qualem quantumque virum amiſimus! Et tamen eſt, cur non mediocriter laetemur. Continenter quidem, quibus aegro-

grotavit diebus, ſi quid peccaverat, deflevit, veniam ab omnium bonorum largitore Deo enixe precatus. Neque lacrymis abſtinuit, non vi quidem expreſſis, ſed quas verus ſincerusque dolor elicere conſuevit. Ne vero tam laudabilis mutatae vitae ratio intra domeſticos tantum parietes contineretur, epigrammate, pridie quam decederet, tremebundis labiis dictato, verum animo excelſo invictoque, quippe qui divino ſuſtentabatur auxilio, in marmore ſepulcrali poſt ſuum fatum incidendo, ut cunctis pateret, teſtamento cavendum curavit. Ubi iſthaec non mediocri animi mei voluptate accepi, ſtatim per litteras tibi ſignificare, officii mei partes eſſe exiſtimavi. Quotus enim quiſque eſt, quem praetereat, quanti tu illum feceris, quantoque opere, ut ejus dignitati, famae, commodiſque inſervires, contenderis? Praeterea communi illum menſa non raro dignabaris, ut non vulgarem eloquentiam tanti viri, atque orationem, quae ab ejus ore melle dulcior fluebat, auribus animoque haurires, omnigenamque eruditionem, ac verſatile ingenium ad omnia ſumma factum ſuſpiceres. Quid multa? Conſuetudine unius viri, tamquam promptuario totius litteraturae, quanta quanta eſt, perfruebaris. Dolorem, ſi quem tibi hiſce meis litteris attuli, facillime deterges, ſi attenderis, minime deflendum eſſe, qui tanto cum foenore mortalitatem cum immortalitate commutavit. Benedictus fratris tui filius pancratice valet, & graeca ἀμυστὶ bibit, ut concitatae de ſe exſpectationi, quoad fieri poterit, reſpondeat. Cura ut valeas. Ex Aedibus Regii Ephebei III. kal. Mart. CIƆIƆCCLXI.

ANTONIO SPINELLO

Scaleae Principi

Paulus Moccia S. D. 3

QVod meas epiſtolas ex tempore fuſas, atque omni prorſus elegantiarum lepore deſtitutas tanto tu opere cupias, id mihi uſque adeo gratum jucundumque accidit, ut nihil ſupra. Sane quidem, quid optabilius, quidve praeſtantius fingi poterat, quam ſi mea, qualia ea cumque ſint, in illius manus pervenirent, quem mihi praeſentiſſimum Patronum fore non deſpero? Accedit quod ea tu nites eruditione, ac tanta liberalium artium, diſciplinarumque omnium cognitione praeditus es, ut, ſi tantum obiter meas litteras ſubciſivis horis legeris, quo tempus ab occupationibus vacuum fallas, ad eas, nominis tui celebritate, non parum dignitatis atque ornamenti acceſſurum confidam. Ecquem enim fugit, niſi ſua in patria peregrinetur, quae tu doctrinae tuae, rectique cultus experimenta edidiſti, ubi a rebus domeſticis per aetatem immunis, totus in litteris, muſiſque eras? Vſque adeo verum eſt, Patrum mores in filios una cum ſemine abire. De Parente enim tuo praeclariſſime de ſcientiis omnibus, ac praecipue de Philoſophia merito nulla umquam aetas conticeſcet, ejuſque laudes uſque recentes apud poſteritatem omnem perennabunt. Macte igitur eſto tanti Parentis virtute, quam tu quidem labore improbo, boniſque moribus mirifice promoviſti. Macte inſuper tanta virtute, quam exemplo

tuo

tuo a Magnatum ac virorum Principum aedibus minime exulare oſtendiſti. Quam bene haec duo conjurent amice, neque invicem pugnent, qui te litteratura aeque ac majorum fumoſis imaginibus praeſtantem adſpexerit, ni meridiana in luce caecutire velit, liquido cognoſcet. Interim haec ingenioli mei monumenta, pro ea qua prae ceteris praeſtas humanitate, aequi bonique conſulito; illudque cogites velim, ſi quid iis boni ineſt, id tuo in agro, tuiſque in latifundiis proveniſſe. Quanti enim debeam Nicolao Spinello τῷ πάνυ, atque immortalitate digno Averſanae Eccleſiae Praeſuli, tu, qui tanto in patruo, cum viveret, gloriabaris, ac poſt fata revereris, probiſſime calles. Quid multa? Si quid ſum, modo quid ſim, id totum illi, cujus beneficia in me liberaliſſime collata, memoria retinebo immortali, me acceptum referre fateor, ac prae me fero. Quam ob rem in ſpem ingredior fore, ut vel iſtis nominibus mihi, meique ingenii tenuitati libentius ignoſcas; atque, ſi quid boni apud me eſt, quod certe exiguum eſt, quod apud te deponatur, minime mireris. Jamdudum tibi haec debebantur, ac, ni pudor obſtitiſſet, jam meo officio ſatisfeciſſem. Nunc quando tuo me juſſu confirmas, atque haec haud deſpicatui tibi fore ſignificas, aliter me in poſterum geram. Audacius ſcilicet mea, qualiacumque fuerint, tibi ſiſtam. Vale, meque, ut facis, ama. Ex Aedibus Regii Ephebei IV. non. Sextil. CIƆIƆCCLXIII.

JANVARIO XYSTO

Paulus Moccia S. D. 4

QVod ad id uſque temporis, communi omnium opinione, etiam apud cordatiſſimos quoſque viros recepta, pene ἀδύνατον putabatur, jam exitu comprobatum eſſe, laetatus ſum vehementer. Sane quidem antehac, qui Graecae linguae ſtudium auſpicaturi erant, arduum opus ac ſalebroſum ſuſcipere exiſtimabantur, nec laudabiliter abſolvendum, niſi poſtquam multos exantlaſſent labores. Neque id temere creditum eſt. Hoc enim ſtudium tam late patet; tantaque redundat atque exuberat vocum copia & multitudine, ut vix pauca cum illo comparari poſſe videantur. Accedit huc (quod meo quidem judicio impeditiſſimum ſupra fidem hoc efficit ſtudium) innumerus numerus Grammaticarum, quae hac de re in lucem hactenus prodierunt, ac tot tantaeque ſuffarcinatarum regularum ambages, ut ex illis tamquam e labyrintho nonniſi filo Ariadnaeo adoleſcentes minime extricari poſſe contenderim. Quis igitur jure meritiſſimo non demiretur, tantos ac tam immenſos labores, tantas vigilias, tantoſque ſumptus compendifactos, & tam diuturnum tempus, tua incredibili ac pene divina induſtria & ope, in arctum redactum? Ita ut, qui nonniſi permultis elapſis annis, multaque epota lucernae fuligine, graece ſcire vix credebantur; nunc ſpatiolo, ad ſummum, unius menſis, demptis vero feſtis diebus, id non ſine ingenti commodo & voluptate aſſequantur. Praeterea ipſemet, quem nihil tale me-

merentem tanto dignatus es honore, audivi tuos adoleſcentulos, qui de Helleniſtarum ſermone ne inaudiverant quidem, nedum prima norant elementa, Grammaticae canones, prolixos illos quidem, variaſque in claſſes diviſos, nunc per te mira arte in compendium redactos, primum memoriter reddentes, deinde interrogatiunculis identidem interpellatos, facillime & ſumma dexteritate reſpondentes, ut non jam edidiciſſe; ſed, quod antea probe calluerant, expromere viderentur. Quid dicam de Graecorum librorum explanatione? Qui enim primo menſis dimidio Grammaticae rudimentis imbuti, primum bene collocatae induſtriae, ac navatae diligentiae experimentum publice ediderunt; altero ſtatim dimidio ita ad Grajorum Auctorum intelligentiam expoliuntur & comparantur, tantaque inſtruuntur & vocabulorum, & graecae φράσεως cognitione, ut libris graecis explicandis, ſive proſa oratione, ſive numeris adſtricta compoſitis, non mediocri labore idonei effecti, eodem vertente menſe in publicum prodire minime cohorreſcant. Et quod magis magiſque mirandum eſt, ita officio perfunguntur ſuo adoleſcentuli, recens Grajae linguae myſteriis initiati, ut non ſolum vocum vim ſignificationemque aſſequantur; verum etiam in ſingulis quibuſque dictionibus, pro lubitu interrogantium, Θέμα, radicemque quam facillime inveſtigent. Quod quidem quanta circumſaepitur difficultate, is dixerit, qui Graeca pleno hauſtu ebibit, nedum ſummis tantum labiis deguſtavit. Neque hoc declamatoris ad inſtar in umbra dumtaxat a te oſtentatum eſt, aut ſcriptis tantummodo conſignatum Platonicae

Reip. ritu; ſed Romae primum, ac deinde in hac florentiſſima, & bonarum artium parente urbe Neapoli, ſaepenumero ad ſolem prodiiſti, tantae tamque novae induſtriae, ac fortaſſe in omnibus retro ſaeculis inauditae rationem redditurus. Quanta jam cum omnium admiratione in Regio Neapolitano D. Dominici Coenobio excepti fuere adoleſcentes, quos tu quam breviſſimo temporis ſpatio Graecis litteris erudieras? Vt auditores partim admiratione raperentur, partim pene ira inflammati praeceptoribus ſuis ſuccenſerent. Ipſimet enim videbant puerulos tenerrimae aetatis, mediocri labore, aut ſaltem haud diuturno, nulloque ſumptu id adeptos, quod ipſi aegerrime poſt multas exhauſtas difficultates, diutinaque temporis uſura compararant. Quodque magis mirari ſubit, hiſce oculis vidi te audire viros aetate provectos, qua Monaſtico inſignes cucullo & gradu, qua Clericali militiae adſcriptos, & Theologica conſpicuos laurea, ut laudabile Catonis exemplum, ac litterarum monumentis poſterorum memoriae commendatum, jam revocatum eſſe maximo opere gauderem. Quae cum ita ſint, non poſſum, Amice in paucis care, quin tibi, adeoque noſtri ſaeculi hominibus vehementer gratuler, cum graecae linguae ad id uſque tempus horridae, incomptae, & fere vix paucis tractandae, eam dulcedinis & comitatis induxeris ſpeciem, ut nunc nemo omnium ſit, qui non illam amet, colat, & equis, viriſque, ut ajunt, aſſequi connitatur. Jamque animo auguror futurum, ut huic Grammaticae idem contingat, quod & Hebraicae, quam Venetiis edidiſti, uſuvenit: quae non ſolum amba-

bus,

bus, ut dicitur, ulnis excepta fuit; verum etiam illam maximae utilitati litterariae Reip. fuiſſe, & linguae ſanctae addiſcendae compendiariam methodum facilemque expetentibus ſummopere profuiſſe, publica litterarum monumenta teſtantur (a). Perge igitur, ut coepiſti; & quod beneficium Romae, Venetiis, ac Neapoli impertiviſti, operam da omnem, ut illius quam remotiſſimae participes efficiantur Nationes. Nam intereſt litterariae Reip. ut res tanti momenti minime arctis limitibus circumſcribatur, quin omnes totius orbis terrarum partes pervadat. Tandem illud enixe Deum optimum maximum oro obteſtorque, ut te bono publico natum quam diutiſſime ſoſpitem ſervet, tibique vires ſuppeditet, quo tantis laboribus ac vigiliis ſuperſis. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei VIII. kal. Apriles anno a P.V. CIƆIƆCCLIII.

ANDREAE SERRAO

Paulus Moccia S. D. 5

QVas mihi puer tuus a pedibus attulit Locorum Moralium commentarioli pagellas, ea qua fieri potuit diligentia atque *ἀκριβείᾳ*, recognovi. Et, quod caput eſt, quoad mea cetera, ſtatim manum de tabula. Nihil enim mihi antiquius, nihilque jucundius tuis mandatis accide-

re

(a) *Videſis Prologum galeatum ad opus Majus Fr. Rogerii Bacon Ordinis Minorum excuſum Venetiis* 1750. *apud Franciſcum Pitterium*.

re poterat. Neque id eo conſilio ſcribendum exiſtimavi, ut laureolam, uti ajunt, in muſtaceo quaererem, vel περπερευομένων ritu; ſed ut vel ex hac leviſſima re, quanti te faciam, intelligeres. Quid enim? Te virum ita de bonis artibus, ſeverioribuſque ſtudiis meritum, quam qui praeclariſſime, quique me potiſſimum ſelegeris, ut Ethicas inſtitutiones, primum vagantes atque effrenes, nunc per te, tamquam inhibitis habenis, in officium redactas, atque certa lege procedere juſſas, legerem, antequam lucem intueantur, non jure ac meritó plurimi faciam? Neque hîc ſtetit tua ſumma erga me benevolentia: longius progreſſa eſt, atque haud ſció an ulterius, quam par erat. Nam & illud tibi (utinam incogitanti!) excidit, mihi non parum invidioſum, nimirum té tum demum omninó quieturum, cum, me praede atque vade, tuà praeclara ſcripta, aureamque aetatem praeſeferentia promulgarentur. Vide, quaeſo, quo te amoris vis, eximiaque in me benevolentia abripuit. Amo quidem amorem tuum, qui té ad haec ſcribenda incitavit; at veró, quî tam honorifico tuó dé me judicio par ſim, vix aut né vix quidem decernere valeo. Quare, ſi me amas, uti me a te amari intelligo, cura, ut, quae ἐνθουσιασμῷ correptus ſcripſiſti, recantes. Tum enim vero animus, qui nunc neſcio quanam anxietate aeſtuat, conquieſcet. Nimirum iterum tibi adſcribi eas laudes laetabor, quas tibi aequo quietoque animo detrahi patiebaris. Moriar, ni meas potius, ſi aliquae in me ſunt, laudes in te transfuderim, quam quidquam ex tuis ſinerem exhauriri. Haec, ſive joco, ſive ſerio dicta, ſi aequi bonique feceris, ni-

nihil gratius facere poteris. Is enim ſum, qui propria in pelle quieſcere tantum cupio, quam qui avidiſſime. Tandem iſtud ὕστερον πρότερον vere Ὁμηρικῶς, patere, te obſecro. Quod enim poſterius in elegantiſſima epiſtola ſcripſiſti, id me permovit, utque ad ſe primum converterer, me impulit nolentem. En illuc redeo. Vehementer laetatus ſum, & quod ruſticatione animum continentibus laboribus defatigatum recreandum curaveris, & quod non infructuoſe illum remiſeris. Regium enim Muſaeum Herculanenſe infinita atque ſupra fidem pretioſa rerum omnium gaza locupletiſſimum, totum quantum eſt, oculis luſtraſti, illudque ſingillatim, qua fieri potuit, animo hauſiſti. Sane quidem, quid jucundius, quidve praeſtantius fingi poteſt? Vbi paveris oculos, animo ita diteſcere, multiplici rerum copia, ut nec Croeſo, Attalove invideas? Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei poſtrid. non. Novemb. CIↃIↃCCLXIII.

SCIPIONI CASALIO

Reip. Genuenſis apud utriuſque Siciliae Regem Oratori

Paulus Moccia S. D. 6

EN diſſertatio, cujus legendae ſtudio te valde teneri mihi humaniter ſignificaſti. Eam exacto ſaturni die in πολυθρυλλήτῳ Sparanenſi Academia coram non infrequenti eruditiſſimorum hominum corona per orbem de ſcripto pronuntiavi. Qua potui, Barbeyracii argumentis occurri.

ri . Vtinam vaferrimi hoſtis impetus omnino retuderim ! Nihil enim prorſus intentatum reliquit, omneſque latebras , receſſuſque omnes , venatici canis ritu , odoratus eſt , quo D.Baſilii teſtimoniis unde unde corraſis, jurisjurandi auctoritatem elevaret , roburque perfringeret . Sed, uti ſpero, operam oleumque perdidit . Plerumque enim σοφίζεται . Hinc fere ſemper a vero multis paraſangis aberrat. Et , ni animus me fallit , rem acu tetigi . At vero otioſe tum demum dormiam , cum te virum qua politioribus, qua ſeverioribus litteris ad miraculum excultum huic diſſertationi legendae ſaltem ſubciſivas horas tribuiſſe cognovero. Tum enim vero tuo in judicio acquieſcam, in utrumque paratus. Nae ego, nedum ſpongia , verum lingua quoque , quidquid tibi labare , aut ἀπροσδιόνυσον videbitur, libentiſſime expungam . Quoniam autem Fraggianniani Epicedii carminibus adjectam epiſtolam meam legiſti , alias duas etiam typis editas tibi mitto . Vale . Ex Aedibus Regii Ephebei XVI. kal. Jan. CIƆIƆCCLXIV.

FERDINANDO LEONIO

Campaniae Praefecto

Paulus Moccia S. D. 7

QVod diſſertatio de profectione D.Iacobi Apoſtoli in Hiſpanias a Benedicto Clemente de Aroſtegui concinnata , quantivis pretii adoleſcentulo , & praeclare de litteris merito , per me potiſſimum ad te mittatur , ne mirere , te

ro-

rogo obteſtorque. Imo potius, ni fallor, ſi cauſſam attenderis, cur ita prorſus factum oportuerit, mirari deſines omnino. Quid te pluribus detineam? Tua ſingularis benevolentia, tuuſque erga me amor effecere, ut ego praecipue deligerer, qui tale tantumque litterarium munus tibi, muſarum delicio, atque conſummatae litteraturae viro, exhiberem. Vide, amabo te, quibus dignor honoribus, quod me diligis! Quid, quaeſo, fiet, ſi me amare occoeperis? Quare te obſecro, ut, quod tibi ſiſtitur munus, ea qua ſolitus es humanitate, accipias, tuoque patrocinio ſartum tectum tuearis. Quod ſi feceris, & τὸν πάνυ adoleſcentem beneficio tibi obſtringes ſempiterno, &, ut me vicariae meae operae minime poeniteat, efficies. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei X. kal. Sext. CIƆIƆCCLXIII.

DOMINICO AMATO

Paulus Moccia S. D. 8

QVam velim, ut, quae tuo in ſcrinio ſervas jam perfecta, nedum affecta opuſcula πολυγλώττου Michaëlis Amati, Patrui tui, cujus memoria tamdiu exſtabit, quamdiu litterae bonaeque artes colentur, quam velim, inquam, ut quamprimum in publicum emittantur. Haud enim dici poteſt, quanto illorum ſtudio teneor, ex quo nudius tertiana die, ea, te permittente, per ſumma capita, & raptim licet, percurri. Argumenta quidem in iis omnibus hujuſcemodi perſequitur, quae nemo eſt, qui ſacratiora ſtudia

vel

vel primoribus labiis guſtavit, quin ad ſe pertinere, ac ſine magno piaculo praeteriri non poſſe arbitretur. Quanto ſane labore, quantoque eruditionis cum ſacrae, tum profanae penore ſelecta quaedam ex univerſa Eccleſiaſtica hiſtoria capita pertractat! Et, quod magis mirari ſubit, ita vetera quaedam atque ab aliis peracta, ſi res id interdum poſtulat, concinne refricat, ut nova prorſus intactaque videantur. Quid commemorem, quae ad Regia jura ſpectant, Regiique ſacelli Praefectum? Spinoſas res profecto atque impeditas tanta dexteritate expedit extricatque, ut non jam ſinuoſis maeandris, ſed prono alveo fluere convincaris. Ita imperium reveretur, ut Sacerdotium indemne tueatur. Da igitur operam, ut quanto ocius typis edantur. Anne ita agreſtis eris ferreuſque, ut publica vota morari, atque omnium exſpectationem fatigare, hili faciendum exiſtimes? Haud patere, quaeſo, ut diutius in tenebris deliteſcant, quae jam ſitus ſqualoriſque pertaeſa, ut in publicam lucem prodeant, te obteſtantur. Patruum tuum Crotonienſium Antiſtitem, qui licet ſane quam violento acerrimoque δυσουρίας morbo torqueatur, ita tamen ſe hilarem gerit, ut revera dolorem *malum* non eſſe prae ſe ferat, a me plurimum ſalvere jubebis. Vale, meque, ut facis, ama. Ex Aedibus Regii Ephebei poſtrid. non. Octobr. CIↃIↃCCLXIII.

RE-

BENEDICTO CLEMENTI

De Aroſtegui

Paulus Moccia S.D. 9

QVod per litteras officii mei partes impleam, quas ipſemet praeſtiturus omnino forem, haud tibi mirum fortaſſe videbitur, ſi paulliſper attenderis (quod beati non libenter factitant) locorum διάϛημα nummis vincendum, ubi hi defuerint, epiſtolari officio bene laudabiliterque compenſari. Hac quidem una ratione abſentium amicorum, atque vel interjectis fluminibus, maribus, montibuſve a nobis ſejunctorum aegritudo non parum lenitur, leviorque evadit; neque, quod illis diu caremus, gravatim ferimus, aut dolemus vehementer. Namque per litteras quodammodo cum illis colloquimur; quae ſentimus, ingenue aperimus; ſi quid peccatum eſt, aperte fatemur; veniamque damus, petimuſque viciſſim. Quod quidem divinitus factum eſſe arbitror, ut homines praeſertim a re nummaria imparati ita rebus ſuis conſulerent, amicitiamque, ingratiis anguſtiarum rei familiaris, quoquo modo foverent. Quare, quod per litteras meo ſatisfecerim officio, tuo luſtrico recurrente die, id te aequi bonique facturum confido. Quid ni? Vbi enim ſis, neſcitur omnino. Vix comperio te Neapoli eſſe, atque ad te venire ſtatuo, cum alius nunciat te jam peregre profectum eſſe, & pluſcu-

ſculos dies abfuturum . Accedit quod tu aeque atque tuus optimus Patruus, quem moribus, doctrina, eruditione, optimeque inita vitae ratione adamuſſim refers, ab iſtis germanis nugis, tricisque abhorres . At enim , cuinam iſtas commendabo , quo ad te in interiorem aedium partem abditum, uti moris eſt, tuto perferantur? anne tuo praeceptori? At quis illum alloquetur, tibi ſemper haerentem, atque a te ne latum quidem unguem diſcedentem ? Ad Helvetium igitur militem, qui nunc januae praefectus eſt, mihi omnino confugiendum eſt , ipſeque mihi etiam atque etiam orandus (utinam exorem!) ut iſtas , quas ad te dedi litteras, tibi ſiſtat quam celeriter. Vtinam, ubi ad tuas aedes adpropinquabunt, illum minime vino ſepultum offendant ! Actum profecto de ipſis erit , ſi in illum jam temulentum inciderint .. Verum quid angor animi , idque doleo, quod ſit eventurum , nec ne , quis ſciat ? Fortaſſe praeter exſpectationem continget, ut benigne per Helvetium exceptae, illi ſiſtantur , cui jam Neſtoreos annos enixe apprecor, quemque tanti facio, ut non difficile paterer meos illi apponi annos, eoſque quam beatiſſimos. Jam animus praeſagit meus fore , ut ita prorſus accidat, ſpeſque exſpectationi reſpondeat. Illud vero unum in anteceſſum vos monitas volo: cavete, ne verboſiores ſitis. Nihil enim juxta fugitat atque garrulos . Si forte , ut valeo, roget: quod minus belle praeteritis diebus habuerim , nunc vero meliuſcule , ſic reſpondete , ut pudore ſuffundamini. Mirum in modum pudentibus,

bus, honeſtiſque delectatur. At vero ſi ſupercilioſus dimiſerit, officioſe ubi ſalutaveritis, ſtatim digrediminor. Digreſſas limis intuebitur, atque e veſtigio facti poenitens, amice revocabit, herumque veſtrum ſuo nomine plurimum ſalvere jubebit. Eſt iracundus, ſed placabilis idem. At quo progreſſus ſum imprudens, teque vel in otio non otioſum per ſummam impudentiam interpellavi? Paucis accipe: vale pugiliter, teque bono Reip. natum, atque ad omnia ſumma factum quam diutiſſime incolumem ſerva. A me Patruo tuo amantiſſimo, quîcum Muſae omnes, ipſeque Μουσηγέτης Apollo ruſticatum abiiſſe videntur (ita hîc frigemus omnes) ſalutem plurimam impertitor. Praeceptorem tuum ne inſalutatum relinquito, ejuſque ſuaviſſimum parentem. Vale.

MARCHIONI PASCHALI SANCTO-SEVERINIO

Paulus Moccia S. D. 10

Quod ad te adhuc puerulum, atque in linguae latinae ſtudiis tirunculum, latine ſcripſerim, ne mirere, quaeſo. Primum enim haud ita ſcripſi, ut tibi reſcribendi onus imponerem. Quî, amabo te, id poſtulem? Deinde, quod ceteris fortaſſe mirum videri poſſet, id mihi potiſſimum incitamento fuit, ut tecum latiali ore loquerer. Nimirum eo conſilio id egi, ut te ſub non poenitendo magiſtro ad virtutem incitato gradu, pro aetatulae modo, ingeniique viribus,

procedentem , latiniſque auctoribus intelligendis inhiantem , magis magiſque hiſce admotis ſtimulis impellerem . Nonne ego , Parentum tuorum bene de ingenuis artibus meritorum juſſu, te aureas Cornelii Nepotis imperatorum vitas, fortuito tibi ad explicandum oblatas, ita illas ex tempore italice vertentem audivi , ut nihil concinnius praemeditata opera fieri poſſe contenderim ? Et quod mirabilius fuit, cum quid Gallice profeciſſes, periculum ſubinde fieret, latine, verbum *tuer* , tranſtuliſti , Gallia tota reclamante . Verum ego id tamquam bonum omen accepi . Quam tibi latinae cupediae ſaperent , nolens repugnanſque prae te tuliſti . Macte igitur hoc animo, & ſtrenue perge , ut coepiſti . Mihi crede, tuam ſane quam generoſiſſimam familiam , gentemque , ex qua , tanquam ex equo Trojano , praeſtantiſſimi domi , militiaeque viri prodierunt , ingenti laudis acceſſione poſterorum memoriae etiam atque etiam commendabis . Atque haec fuſius , quam par erat, cur latinam ad te epiſtolam miſerim . Nunc , qui jam inſtant Natalitii feſti dies, eos tibi feliciſſimos opto , tuiſque praeclariſſimis parentibus , qui ita tuae educationis ſtudio vacant , ut , qua exemplo (quid enim illis praeſtantius tibi ad imitandum proponi poteſt?) qua expenſis , nihil omnino reliqui feciſſe videantur . A me illis ſalutem officioſiſſime dices. Meo etiam nomine praeceptorem tuum eruditiſſimum virum , laboriſque perferentiſſimum peramanter ſalutabis . Vale . Ex Aedibus Regii Ephebei XIV. kal. Januar. CIƆIƆCCLXIII.

VIN-

VINCENTIO CARAFAE BRVTIANORVM DVCI

Paulus Moccia S. D. II

EN epiſtolam, quam tibi proxima nocte in aedibus Goyſuetianis promiſi. Percelebrati veteris Muſaei, meaeque famae, ſi qua eſt, quae certe exigua eſt, vindicias complectitur. De ignoto epiſtolae auctore pene verbum nullum. Sane quidem, cui bono fuiſſet, certamen more Andabatarum initum? Quocirca ea tantum in medium protuli, quae me non caſu, aut gloriae aucupandae cauſſa in arenam deſcendiſſe oſtenderent. Cetera, tute emunctiſſimae naris juvenis, atque fere omnigena claſſicorum auctorum lectione praeſtantiſſimus, re propius inſpecta, oculiſque ſubjecta fidelibus, melius judicabis. Cuinam palmam des, nihil omnino laboro. At vero triumphabo, ſi me honeſti viri officio functum fuiſſe tibi perſuaſeris. Quod non deſpero futurum, pro ea qua es humanitate, atque ad aequum bonumque propenſione. Verum haec hactenus. Qui jam appetunt Natalitii feſti dies, eos tibi quam fauſtiſſimos intimis animi ſenſibus exopto; infantulumque Chriſtum Ieſum enixe oro, ut te bono Reip. natum ſoſpitet quam diutiſſime. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei xv. kal. Januar. CIↃIↃCCLXIII.

MARCHIONI SALVATORI SPIRITEO

Supremi S. Clarae Conſilii a Secretis.

Paulus Moccia S. D. 12

NAtalitios feſtos dies, quos laudabili conſuetudine Nativitatem infantuli Chriſti Ieſu recolentes jam jam ſumus celebraturi, ex animi ſententia tibi precor illuceſcere fauſtiſſimos. Hui! Num peregre abiturus es, aut pedibus laboras? Neque peregrinatio inſtat, neque podagra implicor. At vero, qui morbus ceterorum pedes plerumque invadit, ille ipſe meas manus corripuit, adeoque arthritide divexor. Apertius dicam, miſſis ambagibus, verborumque circuitu. Mihi vehementer dolet, quod te, cui tantum debeo, quam cui maxime, vel tenuiſſimo pomorum munuſculo proſequi prohibeor. Hinc ad litterulas, levidenſe quidem munus, ſed litteratorum (praefiſcini) ancoram confugi. Has igitur accipe hilari vultu, nec gravare vel raptim, limiſque oculis percurrere. A me idem bonum, fauſtumque omen tuae incomparabili uxori, Patruoque tuo litterarum ornamento ſingulari imperties. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei XII. kal. Januar. CIƆIƆCCLXIII.

STE.

STEPHANO PATRITIO REGIO CONSILIARIO

Paulus Moccia S. D. 13

QUin mecum praeclariſſime agatur, nullus dubito. Quam enim pene conceptis votis optaveram occaſionem, quo ad te non temere, aut gloriae captandae cauſſa aliquid litterarum darem, meam dumtaxat erga te obſervantiam quoquo modo teſtaturus, en mihi nec opino opportuniſſime obvênit. Luſtricus quippe tuus fauſtiſſimus exſpectatiſſimuſque dies recurrit. Quo quidem, quid aptius, quidve mihi jucundius aeque atque praeſtabilius contingere poterat? Quam ob rem, ut hic tibi ſemper laetior, felicior, fortunatiorque multorum annorum circumactu aſfulgeat, D. O. M. bonorum omnium largitorem enixe precor atque obteſtor. Dignus namque eſt, ut Neſtoreos annos vivat, eoſque honorum omnium acceſſione cumulatiſſimos, qui, pro ea, quam inſtituit vitae rationem, conſtanterque retinet, ſe non ſibi ſuiſque, ſed bono Reip., litteriſque fovendis natum, argumentis luce meridiana clarioribus, oſtendit. Illud vero cures velim diligenter, ſi vota tibi publica, meaque qualiacumque omina grata ſunt, uti tibi gratiſſima fore confido, ut te quam diutiſſime incolumem ſerves. Nihil enim univerſis, ac praeſertim, quibus cor ſapere datum eſt, gratius facere poteris. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei VII. kal. Januar. CIƆIƆCCLXIII.

JOANNI CARANGELO

Paulus Moccia S. D. 14

QUas tibi mitto papyraceas multiplicis formae ſpiras pyrio pulvere artificioſe infartas, has ut, Franciſco Goyſuetae alumno tuo, puero praeclaris ingenii dotibus praedito, meo nomine des, te etiam atque etiam oro. Quin ipſi quam gratiſſimae accidant, haud dubito. Bononiae enim compactae ſunt. Quanto autem in pretio hìc habeantur, quae illinc ad nos afferuntur, haud te fugit. His accedit, quod eas mihi dono miſit Ludovicus Archintus, eques tui, alumnique tui ſtudioſiſſimus, quem, abſoluto hoc in Regio Ephebeo laudabiliter ſtudiorum curriculo, jam patrios repetiſſe penates, adhuc vehementer dolemus. Qua litteris, qua morum probitate, auro contra non carus videbatur. Hui! inquies: tu, qui nullum fere diem abire finis (quotidie fere ad has aedes ventitas), quin me amice horteris, quo puerum meae fidei concreditum, quemque ad humanitatem informandum ſuſcepi, pro virili virtutis amore incendam; nunc monitorum immemor, ad puerilia illum oblectamenta invitas? Puderet quidem me facti, tibique viciſſim benevole commonenti libenter manus darem, ni tibi perſuaſum eſſe ſcirem, ſtudia ſcilicet litterarum ita pueris eſſe proponenda, ut illa numquam veluti laborioſa oderint defugiantque. Nimirum ea ſuavitatis ſpecie ſunt conveſtienda, ut ludo non abſimilia videantur. Idque tum omnino contingit, cum animus iden-

tidem

tidem alio aliquantiſper avocatur honeſta qualicumque ratione, ut inſtitutus curſus acrius peragatur. Quare, ne mirere, quaeſo, quod hujuſcemodi munuſcula miſerim. Tantum enim abeſt, ut puerum a propoſito vel tantillum abducant, ut ei potius majori ad virtutem amplectendam incitamento futura confidam. Illud vero te rogo, ut, quos mitto Bononienſes diſcos, ne ipſi omnes una praebeas; verum ſingulos in ſingulis diebus, vel plurimum, duos. Nam ita una fidelia duos parietes dealbabis. Ne nimium in ludos effundatur, cavebis; illudque, mihi crede, etiam aſſequêris, ut, qui nunc tibi dicto audiens eſt, deinceps magis magiſque morigerum experiaris. Hiſce enim licet perexiguis, at elegantibus praemiis pueruli mirum quantum capiuntur. A me Joanni Goyſuetae, atque Iſidorae, pari conjugum beatiſſimo, tuaeque diſciplinae alumni parentibus amantiſſimis, quibus tantum debeo, quantum vix aut ne vix quidem me praeſtaturum confido, ſalutem plurimam officioſe dices; quam etiam puerulo dulciſſimo, ac Benedicto Mauritio, priſcae fidei viro, meis verbis peramanter imperties. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei VI. kal. Mart. CIƆIƆCCLXIV.

ANDREAE FARINAE

Paulus Moccia S. D. 15

GRaviſſimus letaliſque morbus, quo per plures dies conflictata eſt vetula mea parens

annos jam quinque & ſeptuaginta nata, in cauſſa fuit, cur per tres fere hebdomades meis de more litteris carueris. Febris enim eam corripuit aeſtuoſiſſima, poſtquam convellentibus motibus perculſa jam in eo fuit, ut (quod omen Deus avertat) ad plures abiret. Vide quaeſo quanto in periculo verſata eſt: omnibus ſtatim ſacramentis muniendam curavimus. Verum enim vero quod noſtram familiam omnem ſane quam numeroſam percellebat, nimirum proximus abitionis dies, id ei ſolatio, idque incredibili voluptati erat. Hinc enim proficiſci videbatur, non tamquam e domicilio, ſed veluti e diverſorio, ſupremi Numinis juſſa factura. Tanta quidem animi firmitate, tanta conſtantia jam jam appetentem mortem praeſtolabatur. Idque uſque adeo meum jacentem proſtratumque animum pene moerore confectum erexit, confirmavitque, ut ipſemet illam, cum jam (horreſco referens) animam efflatura videretur, ad bene moriendum adjuverim. At inquies, quî nunc valet? Pugiliter; Neſtoreoſque annos ſpero victuram: ita quidem redintegratis viribus tamquam phoenix altera e cineribus revixit. Neque dum malorum Ilias abſoluta eſt. Eodem tempore quo decrepita dulciſſima parens mea aegrotabat, Parens meus & ipſe devexa aetate natuque major duplici tertiana febre laborabat. En quo miſeriarum devêni nec opinus. Dum uni ſuppetias ferebam, en alius meam opem poſcebat. Hinc plerumque fiebat, ut quo me verterem, neſcirem. Verum & hic divino auxilio e morbo emerſit Americanae corticis ope, quam vulgo Chinam appellitant. Et

quod

quod caput eſt, uterque nedum vires, verum etiam corpus recepit. Firma enim valetudine, nullaque corrupta externa lue ſemper uſi ſunt. Deſine ergo tandem mollium querelarum, omnemque, ſi qua oborta eſt, deponito ſuſpicionem. Imo me valetudinarium adminiſtrum fac in poſterum magis magiſque ſuſpicias. Fraggiannianum Epicedium jam emiſſum in publicum eſt, idque dolui, quod in eo veſtra carmina auro contra non cara minime deprehendi. Id qui factum ſit, neſcio. Heſterna die huc redii. Nondum quemquam amicorum vidi. Si divinare liceat, quod ſerius huc illa miſeritis, non temere ſuſpicarer. Si quid certi deprehendero, te certiorem faciam. Campolongus te officioſe ſalutat, ſibique aegre eſſe dicit, quod adhuc nullum ad te Polyphemeidos exemplum miſerit: verum ſe omnem lapidem moturum perſancte affirmavit, ut tuis votis ſatisfaceret. Vide interim, num iſthic aliqua divendi poſſint exempla: id Marchio Berius percupide optat. Editio perelegans eſt, atque Hollandica videtur. Ambabus, uti aiunt, ulnis hic opus exceptum eſt. Vale.

JOSEPHO ACAMPORAE

Paulus Moccia S. D. 16

VIx huc Deo favente ſalvus incolumiſque perveni, cum ad te aliquid litterarum mittere cogitavi. Neque id immerito. Cum primum enim fieri poterat, illa te moleſtia levarem oportebat, quae te non parum torſerat male omina-

tae

tae noſtrae profectionis cauſſa. Jam ut illud primum dicam, quae ceperamus conſilia pene omnia evanuerunt. Auriemma nobilis Surrentinus atque a fortunae bonis laute copioſus homo, a quo certo exceptum iri ſperabamus, jam in eo erat, ut de ſua ſalute actum conclamatumque eſſe pronuntiaretur. Acerrimo enim laterum dolore correptus mirifice torquebatur. Quare alio animum convertimus, viam praemonſtrante Seraphino non impuro Maſſenſi cive. Sed & id fruſtra tentatum eſt. Ejus enim fratrem, apud quem hoſpitatum pergebamus, Maſſam petiiſſe nuntiatum eſt. Hinc conſilii incerti, re infecta Surrentum repetere ſtatuimus. Verum in itinere, tamquam e machina Deus, obviam nobis occurrit Bronzolii propinquus, adoleſcens bene moratus, atque ab hoſpitalitate non alienus. Nos igitur ſuas in aedes ruſticanas duxit, & ea benigne praeſtitit, quibus & corpus longitudine itineris defatigatum curaremus, & non incommode quieſceremus. Vix dici poteſt, quanto ſtudio, ac ſedulitate egerunt, ut nos hoſpitii non poeniteret. Octava tandem noctis hora more Italo pulſata, cymba, quam conduxeramus prima noctis vigilia, Surrentino e portu ſolvimus. Tempeſtatem quippe nacti ſumus ex ſententia. Mare vix ſuperficie tenus criſpatum molliter movebatur. Remis uſque ad Promontorium, quod *Scrana* dicitur, navigavimus; quod ubi praetervecti ſumus, vela ſtatim ventis permiſimus. Atque hinc vento paullatim increbreſcente commodius iter fecimus celeriuſque. His accedebat, quod non ſine lunae luce navigabatur,

quip-

quippe quae jam e montibus emicuerat. Mihi crede, feliciſſimum iter confeciſſemus, ni ubi e regione Regii Suburbani Herculanenſis vehebamur, caelum, quod ſerenum fuerat, nubibus obduci incoepiſſet. Vſque adeo verum eſt, nihil hic eſſe undequaque beatum. Vix Neapolis litus attigimus, cum nec opina pluvia ingruit. Caelum jam piceum ſpiſſiſque nubibus opertum vel ipſius Phari conſpectum impediebat. Hinc Navarchus nautaeque, quo ſe verterent, neſcire viſi ſunt. Ne in ſaxa ad litus oppoſita impingeremus, metus fuit. Verum tandem portum occupavimus, ac vix expoſiti, tanta decidit pluvia, ut vix quo nos reciperemus, otium fuerit. Vbi per pluviam licuit, Caſſai officinam petivimus, quo calidis ſorbitionibus refecti, quod reſtabat itineris, alacrius conficeremus. Recta illinc nos ad aedes communis amici Bronzolii contulimus, audito prius Sacro. Qua vero illic benignitate exceptus ſim, tute judicabis, qui illum intus & in cute noſti. Lectulo vere ſollicante uſque ad meridiem ubi quievi, laute apud eumdem pranſus ſum non ſine Liparitano vino. Vna a prandio meridiati ad duas fere horas, tandem prodeambulatum cum mellitiſſimo Campolongo exivimus. Sanctae Luciae oram totam emenſi, ad amici communis aedes divertimus, ad foros, qui in propinquum mare imminent, conſeſſuri, ac eidem Campolongo obſecuturi. Quid? nondum etiam conquievit? nondum, qui exarſerat aeſtus, deferbuit? nondum ruſticandi fames expleta? ita vero. Qua fieri poteſt, iſthaec amoena loca ſaltem oculis perluſtrat, atque illi aegre

eſt,

eſt, ſi quid forte intuenti objicitur. Vix credas; hac veſpera vehementer angebatur, quod ignes, qui ex condicto iſthic faciendi erant, minime emicuerint. Nebulam obſtitiſſe ſibi perſuaſit, quominus viderentur. Quare te obſecrat, quo ſedulo moneas, quos tu probe noſti, ut ignis ex conſtituto accendatur, manſurae amicitiae argumentum. Haec ad te fuſius ſcripſi eo prorſus conſilio, quia te iſthaec non aſpernaturum confido. Quanti enim Emmanuelem, ac Bronzolium, viros optime de litteris meritos facias, probe novi. Imo & ipſis acceptum refero, quod me nihil tale merentem tibi amicum adſciveris. Joſepho Nerio adoleſcenti ſupra aetatem eruditiſſimo, atque mirifica ad virtutem indole a me ſalutem plurimam dicito. Quam etiam tibi adſcribunt Emmanuel, atque Bronzolius, nec non Nerio amantiſſimo, officioſe. Cura ut valeas.

DOMINICO AMATO

Paulus Moccia S. D. 17

JAm tantum tibi debeo, quantum vix ſpero perſoluturum, licet Neſtoream aetatem ſuperem vivendi diuturnitate. Iis enim me beneficiis affeciſti, iiſque ornatum cumulatumque officiis me voluiſti, quae vel a benemerentiſſimo vix exſpectaſſem. Quid? beneficii ne loco poſuiſti, quod eruditiſſimas Michaëlis Amati, Patrui tui, viri τῶ πάνυ, Diſſertationes, quas mihi dono dediſti, attente legere incoeperim, mihique melle Hyblaeo dulcius ſapere ſcripſerim? Quod edi-

tas

tas jam , quoad per me fieri potuit , laudibus in caelum extulerim ; quaſque domi ſervas non dum prelum expertas , ut quamprimum typis excudas , te etiam atque etiam rogaverim , id mihi laudi vertas ? Num tandem id mihi profuit , quod te continentibus negotiis, iiſque graviſſimis diſtrictum, litteris ex tempore fuſis εὐκαίρως καὶ ἀκαίρως interpellarim ? In hoc certe quidem humanitatem , benignitatemque tuam agnoſco . Verum quî , amabo te, in rationes accepti inferes , quod in tabulas expenſi omnino referendum foret ? Tua enim beneficia eaque ſingularia in me , officiis ſtudiiſque omnibus proſequeris perinde ac ſi a me in te profecta fuerint . Quin imo jam angi videris, atque animo diſcruciari , quod promeritorum copia obrutus pene deſperes fore , ut tandem aliquando par pari referas . Hinc nullam prorſus elabi ſinis occaſionem , quo mihi, meiſque commodis ſtrenue inſervias . Anne exiguum illud eſt , floccique faciendum, quod cum Januario Carbone viro conſummatae litteraturae juxta atque tibi familiaritate coniunctiſſimo ita egeris, ut mihi ſignum ad bene ſperandum ſuſtuliſſe videaris ? Et tamen neque in hac re a tua malitia diſceſſiſti . Nimirum ne tibi ſoli (quod re quidem vera erat) tantum tamque eximium beneficium acceptum referretur , jam te ſtimulos currenti admoviſſe ſignificaſti . Perrara quippe haec eſt beneficia conferendi ratio , quam haud ſcio an quiſquam hactenus inierit , cum iis te debere videri velis , de quibus te non vulgariter eſſe meritum nemo eſt , qui neſciat . Quocirca jam mirari deſinam , quod tuis minime probaris , quod-

que

que rei familiaris negligens audis, cum te non tibi tuiſque, verum Patriae, amicis, publicaeque rei bono natum eſſe expertus cognoverim. A me Patruo tuo Crotonienſium Antiſtiti, viro cum pietate, tum doctrina ſpectando ſalutem plurimam. Carbonem de politioribus aeque ac ſeverioribus ſtudiis inſigniter meritum, eumque mihi meiſque pro virili parte conſulentem meis verbis ſalvere jubebis officioſiſſime. Neque inſalutatos relinquito Marchionem Galianum, ac Maximilianum, Viros in omni humanitate verſatiſſimos. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei VI. kal. Octobres CIƆIƆCCLXIII.

EIDEM. 18

Credideris! Vel ipsâ dialis Nivanenſis ruſticationis recordatione recreor atque confirmor. Identidem occurrunt animo ſuaviſſimi iuxta atque omnigena eruditione conditi Antonii Genuenſis viri τȣ̃ πάνυ ſermones, quos pro re nata ab ipſo exprimebamus. Proh qualem quantumque virum, & quam verſatilis ingenii! ut cetera taceam, alias qui finis ſcribendi? prandium ipſum tot tantiſque leporibus iiſque gravitate inſignium convivarum, conviviique Modimperatoris haudquaquam alienis condivit, ut ſaepe numero riſu non ſine lacrymis cibaria pugna, quam acriter inieramus, conſtiterit. Adhuc animo haeret, haerebitque perpetuum nec opina feſtiviſſimi non minus, quam eruditiſſimi Januarii Carbonis atque expromta jocandi facilitas, qua

nudi

nudi neſcio cujuſdam Patris ad thermas ſedentis, ſudoreque a calce ad caput madentis iconem effinxit. Hic, quod natura peculiari quadam indulgentia praeter modum pendêre voluerat, callide elevaturus, tamquam miſerum quiddam, ac neque hili faciendum contemnebat. Cui callidior naſutiorque, qui forte fortuna adſidebat: Hem bone vir, tam immane monſtrum, quod e Lybia non erupit umquam, in poſtremis habebimus! Quid hîc commemorem mellitum Galianum, Campaniaeque Praefectum, proh qualem virorum bigam! qui ubi pugna paullulum remiſiſſe videbatur, tamquam aliud agentes, narratiunculis *ὀ' ἀπροσδιονύσοις* ita praelium redintegrabant, ut tunc primum committi videretur? Quî vero tandem praedicem divinum Honuphrii Colacii ingenium, quem vere Muſarum corculum, Apolliniſque eximium alumnum appellaverim? Ex tempore, jam oeſtro percitus, divinoque afflatus ſpiritu, ſuaviter interea atque ad numerum chely & cymbalo tinnientibus, qua carminum elegantia, dicendique incredibili volubilitate, Lucretiae factum ad vivum expreſſit? Deus immortalis! nihil omnino ſive quod Hiſtoriam, ſive quod argutiſſimum Poëſeως ingenium ſpectabat, reliqui fecit. Quid plura? Antonio Genuenſi, cujus ille auditorium frequentaverat, prae gaudio lacrymas eaſque uberes elicuit. Jam enim illum haud tamquam juvenem, ac juvenilia tractantem, ſed veluti homine majorem, ac poſthac magna ſonaturum ſuſpiciebat. Quam bene ſic convivia celebrarentur! Haud illa tantum corporibus paullo lautius procurandis, ſed animis

quo-

quoque inſtituendis ad omnem humanitatem inirentur. Quare quid non Ferdinando omnium amicorum glutino, integerrimoque Campaniae Praefecto debetur, qui ita amicos convivio excipit, ut eos & corpore & animo meliores dimittat? Jam pene memoria exciderat Philomarinus Mateolae Antiſtes, vir profecto non vulgari doctrina, ac morum candore, comitate, & facilitate nulli ſecundus, convivaque quantivis pretii, quem a me, ubi primum poteris, officioſe ſalutabis. Meo quoque nomine Patruo tuo Crotonienſium Antiſtiti, Stephanoque Patritio ſalutem plurimam imperties. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei x. kal. Novemb. CIϽIϽCCLXIII.

EIDEM. 19

JAm percurri a capite ad calcem primum πολυθρυλλήτου auctoris tomum, neque indiligenter. Thaſio enim vino, ac melle Hymettio mihi dulcius ſapiebat. Neque aliter fieri poterat, modo ne palatum mihi praejudicatae opiniones exſurdaviſſent. Nemo enim non putavit uſque adhuc pueros ſuis viribus minime relinquendos, atque a teneris uſque unguiculis, litteris imbuendos, ne forte, ubi adoleverint, inepti ſtudiis effecti, perpetua in ſocordia inertiaque marceſcant. Illud, ni fallor, non mediocriter verentur, ne jure ὀψιμαθεῖς redarguantur. Hui! Quam turpiter falluntur. Hoc in illos non injuria dictum eſt, qui cum ceteram vitam omnem otio dediderint, ſeſeque ignaviae manci-

pave-

paverint , tandem aliquantiſper anteactae vitae pertaeſi , ut jacturam compenſent, ἐν παρόδῳ aliquid opellae ſcientiis impendunt . At numquam horum in numero fuerunt tenerae aetatis pueri , quos , donec puerilis ardor deferveſcat , atque corpuſculum viribus accedentibus durius firmiuſque evadat , a libris , atque ab omni litteraturae cogitatione arcere praeſtat omnino . Quid ni ? alias non temere verendum eſt, ne quas litteras per aetatem haud aſſequi poſſunt , ab ipſis pueritiae incunabulis odiſſe incipiant . Nominum infinitorum theſaurus inanis eſt , ni ratio praeſto ſit , quae illis utatur . Quî , malum , utetur , ni mens maturuerit? Quare gratiae publice agantur Auctori ſapientiſſimo oportet; & ab iis, qui publicae rei praeſunt , in id incumbendum naviter eſt , ut ita puerorum inſtitutio temperetur . Milites vi delecti , ubi primum occaſio affulſerit , a duce deſciſcent ; at ii , qui ſponte nomen dederunt , haud ſaepe accidit , ut ſigna deſerant . Qui a pueris ſtudium litterarum exſecrari occoepit , numquam in poſterum adducetur , ut illi reconcilietur . Quare ſinamus , quaeſo , ut pueri , dum licet , ludant par impar , equitent arundine longa , aedificent e luto domos , jungant ploſtello mures, ceteraque puerilia oblectamenta conſectentur . Vbi vero ad adultiorem aetatem pervenerint , ac ſine cortice nare potuerint , quid de illis faciendum ſit, deliberabimus , neque parte inaudita altera . Illorum quippe ingenium , quod ſe vel invitum pro re nata prodet , explorabimus , naturamque ducem ſequemur . Sane quidem, quo pacto naturae obluctabimur ? Quo relaban-

tur flumina, machinis efficiemus certe quidem; at ſi hae defecerint, ſtatim delabantur oportet graviore impetu, quam aſcenderant. Hoc in Dante, hoc in Boccaccio, hoc in Petrarcha accidit (ut veteres taceam) quos ſui parentes aliis rebus devoverant. Furcillis enim naturam expellas licet, uſque recurret. Quorſum iſthaec tam putida oratio? Vt me non infructuoſe, quem mihi commodaſti aureum librum, legiſſe intelligas. A me Marchioni Galiano, Maximiliano, Cymaliiſque mihi oculis ipſis carioribus ſalutem dicito officioſe. Vale.

FRANCISCO DANIELI

Paulus Moccia S. D. 20

NEſcio quî fiat, ut quotieſcumque tecum colloquor, ſive tuis lectiſſimis, iiſque non vulgaris notae libris mihi uti permittitur, quod non perraro contingit; fere toties acutiſſimis ſtimulis adigar, quo aliquid, pro mea ſcilicet ingenii tenuitate, viriumque induſtriae modulo, ſive ad ſcribendum, ſive ad commentandum aggrediar. Qui enim diu conſopiti jacuerant gloriolae igniculi, ita tua opera excitantur, novamque vim adepti, tanto interius ſerpunt impetu, ut foras erumpere connitentes, me ceteroqui ſolutum tardumque hominem minime conquieſcere patiantur. Et quod magis mirandum eſt, qui timide omnia peragere ſolitus ſum (ita enim natura ſum comparatus); te auctore, & veluti occulto impulſore ſic confirmor, tot tantoſque ſpiritus

ritus ſumo, ut qui antea nihil non pertimeſcere, atque vel puerorum terriculamentis concuti ac labefactari videbar, in medias irruam res confidentiſſime, eaſque ſeu temporis injuria corruptas, ſituque obſitas; ſive difficultatis magnitudine impeditas, ſpinoſaſque amplectar volens libenſque. Vix enim mihi allatum fuit Muſaei Poëma de Amoribus Herùs & Leandri italice ſoluto, ut ajunt, verſu redditum per Joannem Baptiſtam Caracciolum, immortalis memoriae virum, qui jam quartum annum Averſana in Cathedra ſanctiſſime adſidet, cum illud avidiſſime legi, atque relegi. Quodque non ſemel tum graece, tum in Etruſcum ſermonem a Bernardo Taſſo, atque a Bernardino Baldo converſum, non perfunctorie, neque limis legeram, ita animum nova perfudit voluptate, ut nullam omnino mihi pepererit ſatietatem, imo magis magiſque famem irritarit. Nuperus profecto ſapientiſſimus aeque ac diligentiſſimus interpres, quod vel unus & alter, praeterea nemo aſſecutus eſt, id quam feliciſſime perfecit. Nimirum ita verbum verbo appendit fidus interpres, ut utriuſque linguae ſplendorem, ingenitum nitorem, &, quod caput eſt, ipſam ἰδιότητα ſartam tectam laudabiliter ſervarit. Nihil quippe graece ſonat, quod non Etruſce translatum eadem venuſtate niteſcat, eleganterque, licet quam diverſo ore, loquatur. Pene dixerim duarum linguarum τὰ ὑστιῶδη ita in unum coaluiſſe, mirabili, atque antehac inaudito interpretis artificio, improboque ſane labore ferruminata & compacta, ut quid utrique ſit proprium innatumque; quidve adſcititium, & foris arceſſitum

tum, difficile judicatu videatur. Hoc vero quo facilius effectum ſuſpicio, eo mirabilius, omnique exſpectatione majus exiſtimo. Quem enim fugit, quot quantaſque exciverit contentiones inter eruditos homines, optimeque de litteris meritos, Muſaei incomparabilis, puraque dictio, veneres, lepores, &, quod primas fert, ſcribendi ſcilicet πρέπον, orationiſque genus honeſtati ubique conſentaneum? Vel ipſum Homerum Poëtarum ſine controverſia principem hinc non pauca imitatum eſſe critices callentiſſimi Auctores affirmarunt. Quid vero de Muſaeo poſt Joannem Tzetzae, Willelmum Canterum, atque Antonium Morellum Julius Scaliger ſenſerit, nemo omnium eſt, qui neſciat. Verum cum id nullo inniti fundamento videretur, & potius temerario quodam auſu dictum, quam ſolidis ſe tueri rationibus putaretur; hinc factum eſt, ut ab opinione virorum ceteroqui doctiſſimorum liberrime diſceſſerint, atque alia omnia cenſuerint. At vix dici poteſt, quot quantaque commenti ſunt, ut ſuam quiſque ſententiam firmo tibicine, quoad fieri poterat, fulcirent. Quae quidem omnia libenter recenſerem, ni id non temere vererer, ne epiſtolium, quod ſcribere exorſus ſum, in juſtum excreſceret volumen. Illud vero ſine piaculo praetermitti nequit, majorem ſcilicet, ſanioremque criticorum partem ita laudati Poëmatis Auctorem ad recentiora revocaſſe tempora, ut parum abfuerit, quin iis, qui Sibyllina carmina confinxerunt, σύγχρονον, aequalemque effecerint. Siquidem Muſaeum Alexandrinum poëtam eſſe exiſtimarunt, qui IV. vertente ſaeculo

culo floruerat. Et prima quidem fronte, neque immerito, neque temere in hanc ſententiam conceſſiſſe videntur. Namque in eo Poëmatio ea ſe deprehendiſſe arbitrantur, quae nonniſi recentioris poëtae indolem, mores, ingeniumque vel caecutientibus exhibent. Sane quidem mores pudentiſſimae juxta atque quam liberaliter eductae puellae ita in eo poëmate exprimuntur, ac tamquam penicu-lo delineati legentibus ob oculos ponuntur, ut dubio procul cultiorem, elegantiorem, atque ad humanitatis, civilitatiſque jura magis informatam aetatem redolere videantur. Nihilo ſecius tamen mihi attentius rem omnem perpendenti, atque pro mei ingenii modo penitius introſpicienti viſum eſt, hoc ipſum obeſſe potius, quam prodeſſe illis, qui pro Muſaeo Alexandrino ſteterunt. Nimirum vel hinc proclivius faciliuſque eſt, colligere Muſaei Poëma nedum recentiorum temporum, verum etiam ſane quam vetuſtorum ita exſiſtere, ut idoneis, iiſque non contemnendis rationibus propugnari poſſe videatur. Hui! qui finis ſcribendi, ſi omnia, quae huc faciunt, enumerem? Quare duo tantum ſeligam ex eleganti Poëmate decerpta, quae mihi in cauſſa fuerunt, cur te adoleſcentem numquam non graviſſimis occupationibus diſtentum hiſce ſolito verboſioribus litteris interpellarem. Haec vero ita ſe habent. Poëta ut caſtiſſimam puellam, cum ſolitudinis ſtudioſam, tum ab iis abhorrentem, in quae nuptae fere omnes effuſiſſimo quodam ſtudio, ne dicam effreni licentia rapiuntur, atque alieniſſimam expingeret, ait illam cane pejus & angue

defugiſſe (*) *ferre pedem choro* , & *certare joco* : quae enim graece habentur , pene iis ſunt *ἰσοδυναμοῦντα* . Quotus autem quiſque eſt , quem fugiat , quanto in id opere incubuerint veteres , ne innuptae conviviis , choris , ceteriſque publicis coetibus intereſſent , quibus matribusfamilias , apud Romanos praeſertim , minime interdicebatur ? Qua de re Horatius Liciniae mores , indolem , ingenium , corporiſque dotes laudaturus , illam inquit haud *dedecuiſſe ferre pedem choro* , nec *certare joco* , ſcilicet ita ſe geſſiſſe , ut jocantis , ſi quando ita res poſcebat , & ſerio agentis , quod in hominum conſuetudine , atque celebritate accidebat , officia calluiſſe videretur . Quod igitur in uxoribus *κατῆκον* exiſtimabatur , illud ita virgines dedecebat , potiſſimum apud Graecos , ut contra ſe gerere , atque omnium conſpectu ſe abſtinere maximae illis laudi duceretur . Hinc quae Venuſinus vates Liciniam adamuſſim praeſtitiſſe officia commemorat , ea Hero dedita opera deſeruiſſe nedum vitioſum , verum etiam honeſtum , rectumque putatur . Quae cum ita ſint , nonne , amabo te , amice amantiſſime , vel Flaccum Muſaei , vel Muſaeum Flacci veſtigia diligenter ſecutum luce meridiana clarius apparet ? At vero Muſaeum Alexandrinum Horatii *φράσεις* graece ver-

(*) *οὐδὲ χορὸν χαρίεντα μετήλυθεν ἥλικος ἥβης,*
μῶμον ἀλευομένη ζηλήμονα θηλυτεράων .
. . . . *Mai non in alcun coro*
Di gioventù della ſua età feſtoſo
S' introduceva ; il motteggiar fuggendo
Invidioſe delle Giovanette .

vertiſſe, cuinam non putidum, abſonumque videtur? Quis umquam fando audivit Graecos faſtidioſiſſimi palati viros, copiaque rerum nulli ſecundos, eo aliquando anguſtiarum deveniſſe, ut latinam reciperent dictionem, atque latiali ore loquerentur?

. . . . *Credat Judaeus Apella*,
Non ego . . . .

Neminem profecto eſſe arbitror, qui neſciat, quot difficultates exhauſerit, & quot quantoſque exantlaverit labores Romanae eloquentiae Parens, ut Latium ea ditaret vocum copia, quae ſingulis quibuſque rebus reſponderent, vel quo quo modo congruerent. Verum haud ſcio an exitus exſpectationi reſponderit. Latinum enim ſermonem arctiſſimis ſe continuiſſe finibus prae graeco, nemo ſanae mentis diffitebitur. Quamobrem illud auſim affirmare Romanae Fidicinem lyrae ea ex hoc vate carpſiſſe, quae ſuis ſenſis quam veriſſime aperiendis accommodatiſſima videbantur, quaeque ſuis aureis dictionibus ſuavius, aptiuſque famulata ſcribentis conſilium exprimerent quam facillime. Haud vero me praeterit, quanto Horatius opere ſit averſatus graeca cum latinis miſcere, quippe qui hoc praecipue capite Lucilium notat, ac non leviter vellicat, populumque Romanum cupidius novis rebus inhiantem, tamquam plus aequo patientem, ut leviſſime diceret, inſimulat ridetque. Sed illud nemo niſi perfrictae frontis inficiabitur, Venuſii ſcilicet Alumnum haud ita Graecis bellum indixiſſe, ut, ſi qua latiale ingenium ſaperent, libenter exciperet, atque civitate donaret. Super-

ſedeo exemplis, quorum vel ſexcenta ſuppetunt. Cum igitur res ita ſe habeat, ecquiſnam dubitabit Poëma de Herûs & Leandri amoribus vetuſtius, antiquiuſque eſſe, quam olim eruditi non pauci cenſuerunt? Praeterea, ſi Venuſinum vatem aetate praecedit, cur Homero non praeiſſe putabimus? Cur illum Homero praeluxiſſe inficias ibimus? At enim maximo erit dedecori vatum principi ea accepta alteri referre, quae tot ſaeculorum circumactu, ac pene omnium criticorum conſenſione nullo praeeunte habuiſſe nemo non exiſtimavit. Perridiculum ſane, irritumque effugium. Ergone vitio vertetur Ciceroni, quod Demoſthenem graece eloquentiſſimum ſit imitatus, ipſique Demoſtheni probroſum erit, quod Thucydidem, auctore Dionyſio Halicarnaſſeo, teſte locupletiſſimo, octies legerit, atque octies manu ſua exſcripſerit? Minime vero. Quocirca ut, quod ſentio, ingenue dicam, haud umquam adducar, ut quis iſtis, aliiſque hujuſcemodi rationibus ductus, dejiciat jure antiquitatis mellitiſſimum juxta atque ad unguem perfectiſſimum Muſaei Poëmatium, inque nuperorum ſcriptorum gregem ablêget. Vno igitur alteroque dicendi genere ita triumphas, ut quadrata rotundes, ac tamquam oeſtro percitus, εὕρηκα, exclames? Ita vero. Quid enim? Vel unum verbum ſatis ſuperque eſſe contendo, quo libri cujuſcumque γνησιότης dignoſcatur, certeque ratio temporis ineatur, quo in vulgus, publicamque lucem prodivit. Nonne, quaeſo te, hinc clariſſimus Mabillonius quamplurima Diplomata, quae vetuſtiſſimam aetatem, ſeniumque ingens oſten-

oſtentabant, recentiſſima eſſe liquido oſtendit? Vna quippe voce *Aſſaſſinus* tamquam Ariadnaeo filo uſus eſt, quo ex falſo proditae antiquitatis ambagibus, involutiſque temporum maeandris pedem tuto expediret, atque triumphata veteratorum aſtutia veritatem clariſſimo in lumine collocaret. Quid igitur impedimento eſt, quominus una alterave dictione deprehenſa, eâque ad Horatianum dicendi genus tamquam ad lydium lapidem exacta, Muſaei divina carmina in priſtinum παλαιότητος jus, ſtatumque vindicemus? Accedit quod hiſce ita ſe habentibus non mediocris lux affundetur laudato Venuſini vatis loco, quem perperam hactenus interpretati, Poëtam licet repugnantem, invitumque, per fas atque nefas, ταυτολόγον effecerunt. Namque illic, ni mea me fallit opinio, atque φιλαυτία pervideo, *chorus* haud locum ſaltationi, choreiſque deſtinatum, ſive ſaltationem ipſam ſignificat; ſed hominum multitudinem, coetumque, qui aliquò dedita opera concedunt, diem, noctemve mutuis colloquiis, ludis, jociſque ex tempore expromptis hilariter fracturi. Qua quidem in re, quî ſe geſſerit Licinia, & quam concinne liberalis feminae, honeſtaeque dominae officiis ſatisfecerit, legenti paullo attentius Horatium (*) liquido patebit. Nam, quid in ſaltatorio ludo profecerit, & quam belle atque ad numerum membra moverit, inferius innuit, cum vel tenellulae aetatis die ſacro celebris Dianae, ſaeculari

(*) *Ode XII. lib. II.*

lari ſcilicet feſto illam cum nitidis virginibus choreas ducentem inducit. Licet haec tanti non ſint, ut, ſi in vulgus exeant, non injuria pertimeſcendum ſit, ne velut aegrotantium ſomnia ſibilis excipiantur; tamen, ut promiſſis ſtarem, fidemque liberarem, qualia ea cumque ſint, ad te mittenda curavi; ita tamen ut tibi tamquam alteri Tarpae ſiſtantur, tuumque candidum judicium exſpectent. Cui enim latet, quanti te merito facio, & quam merito tuum veneror judicium, ſententiamque deoſculor? Quare illud tibi perſuadeas velim, me ita eſſe affectum, itâque animatum, ut, quidquid tibi videbitur, ambabus, ut ajunt, ulnis ampleƈtar, tuamque in ſententiam manibus, pedibuſque concedam. Quam bene mecum ageretur, ſi Marchio Salvator Spiriteus, ſubciſivis horis, haec vel raptim, curſimque legeret! Tum enimvero utriuſque judicio, ſuffragiiſque ſuffultus ſecurum agerem aevum, atque in utramque aurem otioſe dormirem. Omnes enim norunt, quam praeclare de politioribus litteris, ac praeſertim de Α'ρχαιολογίας ſtudiis meritus ſit, & quot quantaque divini prorſus ingenii atque ad omnia verſatilis monumenta ediderit: a me illi ſalutem plurimam impertitor perofficioſe. Vale, meque, ut facis, ama. Neapoli ex Aedibus Regii Ephebei prid. idus April. CIↃIↃCCLXII.

EIDEM.

EIDEM. 21

EN iterum ex umbra ad ſolem, licet perinvitus, prodeo. At in quemnam culpa conferetur? Aperte dicam: in me unum dumtaxat. Namque, niſi maximum piaculum putabam, fidem, quam pene reluctans obligaveram, vel tantillum laedere, nedum prodere; minime eo deveniſſem, quo nunc progreſſum eſſe me non parum piget, taedetque. Jam, velim nolim, ab illo propoſito diſcedam oportet, a quo nonniſi morte ſolum dimotum iri ſperabam. Apud me enim firmus ſtatueram ita vivere, ut, ſi homines fallere mihi contigiſſet, praeclariſſime mecum actum exiſtimarem. At male ſit tibi, amice ceteroqui amantiſſime, qui tamquam invidiſſes meae felicitati (quorſum enim res evaſura eſſet haud neſcius) eo me perpuliſti mellito ſermone, phaleratis verbis, rationibuſque prima fronte non contemnendis, ut, quae ἐν παρόδῳ, atque per jocum de Muſaei antiquitate chartis illeveram, quominus typis mandarentur, minime adverſarer. Praeterea metu, ne factum mutarem, conſiliumque revocarem, aſtute hujusmodi tempus captaſti, quod neutiquam mihi profuturum videretur, quamvis enixe vellem. Ad Coniclen enim perrexeram ſacras de more exercitationes obiturus. Ecce modo praeproperae tuae feſtinationis poenam luo licet omnino immeritus. Vix quidem extemporalis epiſtola promulgata fuit,

fuit, cum rumor dilatus eſt operam oleumque deperditum, eo quod in id fruſtra incubitum fuerat, ut ea extitiſſe viderentur, quae utrum fuerint umquam, omnino ignorabatur. Laudatum Muſaei Poëma, & quot quot illi tribuuntur, fabulis omnia accenſenda. Neminem omnino Poëtarum Homero anteiſſe, & quidquid litterarum eſt, ab illo uno ceu fonte promanaſſe. Quod vero Criticorum non pauci, neque ineruditi illud quaeſierint, exſtiterint ne aliqui, quos Homerum praeceſſiſſe appareret, id tantum factum eſſe, quo ſtilum declamatorio, umbratilique more exercerent, paratioreſque evaderent, ubi vera argumenta pertractanda pro re nata offerrentur. Ceterum certo certius eſſe quidquid de Muſaeo proditum eſt, prorſus commentitium eſſe, atque otioſorum hominum pura putaque ſomnia fuiſſe. At enim bene multa in Poëtarum principe offenduntur, quae adamuſſim Muſaei dictionibus reſpondent, atque ad illas tamquam ad obruſſam exacta videntur. Λῆροι. Ergone ſic apud unum quempiam ſermo inſtituitur, itâque ſibi ſua ipſius ſenſa vindicat, ut, quae ipſe cogitando, commentandoque ab ſe ſe extudit, ceteris eodem forte ingenio, iiſdem induſtriae viribus, eodemque ad virtutem, diſciplinaſque impetu praeditis ita illis interdicantur oporteat, ut ſuos fines, veluti albam lineam tranſilire per moratores prohibeantur? Nonne haec in dies obſervare licet in eruditis doctiſſimorum hominum operibus, in quibus quandoque nedum ſenſus ipſos, ſententiarumque ipſos longos numeroſoſque anfractus; verum etiam vel ipſiſſima verba conſentire, atque in

unum

unum idemque amice conjurare animadvertimus? Et tamen neutrum neutri quidquam ſuffuratum confidenter dicimus, neque illos plagii inſimulamus. Quae igitur nunc accidunt, quodque accidant minime miramur, cur non & pridem ita ſe rem habuiſſe dubitabimus? En quî fieri potuit, ut neuter neutri quidquam omnino debere videatur. Haec, atque alia hujuſcemodi ita efferunt, ut a ſigno (ſi ſuperis placet) ne latum quidem unguem aberraſſe laetentur. At quonam progreſſus ſum? Quove me imprudentem ſcribendi vis abripuit? Vtinam in tempore illud in mentem veniſſet, qui contra ſentiunt, aliaque omnia cenſent, vel illud ſparſiſſe Muſaeum numquam in vivis degiſſe, nedum, quod circumſertur, Poëma condidiſſe, quam bene dictis ſuperſeſſum foret! Atque utinam heic conſiſteret novarum rerum ſtudium! Haud temere deinceps verendum erit, ne omnia ſuſque deque miſcentes, eo res tandem redeat, ut nihil niſi incertum, anceps, dubiumque deprehendatur. Quid, Deus bone! ita ne homines deſipient, ut, quidquid ad critices canones exactum, ceteroqui neque conſtantiſſimos, neque exploratiſſimos, non ſtatim ſuo ipſius ſplendore, nativoque decore in oculos incurrit, tantum ut non praeſtringat, illud Ariſtarcheo ſupercilio rotunde e medio tollendum pronuntient? Quod, ni fallor, ita omnino fit, aut quod ſic ab ineunte aetate, jurati in verba magiſtri, inaudiverint, ac pene ipſo cum lacte ſuxerint; aut quia, ubi adoleverunt, critices ſtudiis (praefiſcini) adeo ſe ſe dediderint, litterionum fama qualicumque ducti, ut ne

ad

ad biennium quidem ſilentio ſervato Pythagoreorum laudabili conſuetudine, in ſingulos quoſque obvios libros, Auctoreſque ſive vetuſtate venerabiles, ſive doctrina, eruditione, ſcientiiſque omnibus ad miraculum excultos cenſoriam virgulam diſtringere ſibi ſuo quodam jure ſumpſerint atque vindicarint. Quod jure ne, an injuria, aut potius per ſummam impudentiam fiat, aliorum judicium eſto. Haud enim tantum mihi adrogo, ut tantae litis diſceptator haberi audeam. Illud vero ingenue, uti ſolitus ſum, fateor, eos, qui ita autumant, haud affecutos eſſe ea, quae me, ut epiſtolam conſcriberem, ſi non aliud, ſaltem perſpicuitate non contemnendam, impulerunt. Ad viginti dies, antequam id aggrederer, legens Horatii oden XII. lib. II. ubi in illud incidi: *quam nec ferre pedem dedecuit choris*, aliquantiſper ſubſtiti, animique pependi. Haud enim ſibi conſtare mihi prima facie videbatur Poëta ceteroqui ſollertiſſimus, atque ad minima quaeque ſupra fidem oculatiſſimus; quippe qui inferne repetebat, quae ſuperiore in verſiculo diſerte expreſſerat. Quare, licet timide, ita accipiendum vatem eſſe arbitratus ſum, ut explicata, atque ob oculos poſita Liciniae elegantia, qua ferre pedem choris, hoc eſt inferre gradum in diurnos, nocturnoſve coetus perbelle conſueverat, laudem etiam profecto eximiam ſibi partam, progreſſioneſque in ſaltatoria palaeſtra pro modulo aetatis factas minime praetereundas exiſtimarit. Deinde vix pauci effluxerunt dies, cum tuâ operâ legi elegantiſſimum Muſaei poëma pari elegantia, diligentiaque per eruditiſſimum, atque

que *ἀκριβέστατον* Praeſulem Etruſce translatum. En mihi nihil tale cogitanti, ubi ad illa, cum attentiſſime legerem, graecaque cum Etruſcis *ἐκ παραλλήλου* conferrem, perveni (*): & illud occurrit, quod paucis ante diebus non perfunctorie adverteram, atque non temere ita intelligendum putaveram. Vt verum fatear, non potui, quin laetitia exſultarem, mihique plauderem, quod mea me opinio minime feſellerat. Sane quidem, quis non ſibi gratularetur, ac pene triumpharet tanti interpretis auctoritate, limatoque judicio ſuffultus? Verum, ut aliud ex alio incidit, vel illud hinc non invita Minerva, iratiſque muſis erui poſſe mecum ipſe reputavi, nimirum haud ita ſpernendam tanti Poëmatis *παλαιότητα*, neque ſomniantes inter amandandos, qui ita ſenſerunt. Quocirca non abs re fore duxi, ſi quae nova mihi deprehendiſſe videbar, litteris conſignaſſem. Profecto ſecurus omnino id peregi, neque mihi cramben recoquendam exiſtimavi. Videlicet, exſtiterit ne Muſaeus, vera ne an ſuppoſititia carmina, & quotquot illi adſcribuntur. Hoc enim pacto ceterorum veſtigiis inhaerens, jam dicta alias, atque eruditiſſime poſteritati commendata perſecutus, tum alienis laudibus inhiaſſem, tum nulli non mediocre negotium faceſſiſſem. Cui enim iſta non cognita, licet vel primoribus labiis litteras delibarit? Quamobrem tantum illud imbibi, tamquam ex tranſverſo incurrens, ut ab Julio Caeſare Scaligero ſtans,

(*) *Οὐδὲ χορὸν χαρίεντα μετήλυθεν ἥλικος ἥβης, μῶμον ἀλευομένη ζηλήμονα θηλυτεράων.*

ſtans, Patris manes per filium impudentiſſime violatos ab injuria, quoad fieri poterat, vindicarem, providerremque, ne in poſterum impune inquietarentur. Hinc tantum abfuit, ut argumenti veritatem curioſe anquiſierim, ut potius nihil omnino addubitans, confidenterque conatus tantummodo ſim, ut Muſaeum vetuſtati, unde dejectus fuerat, reſtituerem. Quae cum ita ſe habeant, haud ſatis intelligo, cur in me nihil tale merentem ea dicantur, quae ſi ſomniaſſem dumtaxat, pudore ſuffunderer. Accedit his, quod ſub initium epiſtolae, quid inter eruditos diſceptaretur innui ita, ut vel leviter litteris imbutis ſatis ſuperque eſſe viderentur. Quare deſinant, quaeſo, in me invehi, atque mihi objectare, quod ad illa aſſeveranda ſecurus proceſſerim, quae nonniſi rationibus magni momenti, iiſque ſingulatim recenſitis, atque ad trutinam naviter revocatis in medium proferri potuiſſent. Neque iniquo animo ferendum eſt, atque crepantibus ambabus buccis exprobrandum, quod immanem hiatum Horatium inter atque Homerum vacuum reliquerim, atque aliis Muſaeis valere juſſis, ne gomphis quidem oppleverim. Namque ſi quis Bibliothecas illuſtrium virorum qua graecorum, qua latinorum vel obiter percurrerit, nedum mihi ſuccenſere, verum etiam ne hiſcere quidem auſurum vel depoſito pignore contenderim. Nullus enim toto illo tempore, quantum quantum eſt, quod Horatium inter atque Homerum intercedit, poëta fuit, qui hoc nomine laudatorum carminum dignitatem ſuſtineret. Niſi vero iis, quibus in deliciis eſt pro numero operum aucto-

auctores multiplicare, imperitumque vulgus ludiſicari, temere accredere velimus. Quod in Muſaeo, quo de agitur, quivis, vel ſi leviter attenderit, contigiſſe animadvertet. Haec ſi aequi bonique conſulentur, haud deſpero futurum, ut invidentiae os obſtruatur, atque Muſaeo, qui ad Caeſarem uſque Scaligerum Homero praeiverat, Edicto *uti poſſidetis* adverſus Joſephum ejus filium, ceteroſque, qui deinceps pedibus in ſuam ſententiam iverunt, uti, Praetorio jure non reluctante, permittatur. Haec raptim ſcripſi, non modo ut ſatis amicorum votis facerem, quorum aures jam obloquentium vocibus caluerant; verum etiam, ut ne detrectare viderer imperium ſummi, eruditiſſimique viri, cui tantum debeo, quam cui maxime. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei XIII. kal. Quinct. CIƆIƆCCLXII.

STEPHANO PATRITIO

Regio Conſiliario

Paulus Moccia S. D. 22

QVam heſterna die Regiis in Aedibus, quo te contuleras, ut annum jam ineuntem Regi noſtro, qui ad populorum felicitatem, hujuſce Regni incolumitatem, bonarumque artium ornamentum adoleſcit, bonum fauſtumque apprecarere, quam, inquam, a me petiſti Diſſertationem, tibi mitto volens libenſque. Eam enim in ipſa aggredior ἀπολογίαν, quam te, nedum

pro ea qua nites chriſtianae Religionis integerrima laude ; verum etiam propter non vulgarem Eccleſiaſticae hiſtoriae cognitionem notitiamque, ambabus, uti dicitur, ulnis amplexurum confido. Divum quippe Baſilium, quem prae ceteris Patribus juramento inſenſum Barbeyracius, neſcio quonam deliramento, commentus eſt, defendendum ſuſcepi. Neque id ſponte feci, aut eruditionis venditandae, eloquentiaeve oſtentandae gratia; ſed ut noſtrae Academiae praeſidi ac *προςάτῃ*, Canonico Joſepho Sparano, viro inſigniter de ſcientiis diſciplinisque merito, uti par erat, obtemperarem. Is enim illic ſollemnis mos eſt, ut quiſque illam ornet Spartam, quam, qui omnibus ſapienter praeeſt, ornandam demandat. Mihi igitur ea obtigit provincia, ut Baſilium a Barbeyracii calumniis ac ſycophantiis vindicarem. Quid profecerim, & an *σκοπὸν* attigerim, tute, qui multiplici rerum omnium cognitione tantum praeſtas, quam qui maxime, tute, inquam, judicabis. Quod ſcholarum methodum rationemque defugerim, haud mirabere, ſi animum adverteris, ex perpetua commentatione, ſibique invicem neceſſario ſuccedentibus rationibus, ac momentis, majorem exſiſtere perſpicuitatem, quam ſi oratio in partes diducta & conciſa, legentium oculis fruſtillatim ſubjiciatur. Tandem ſi ſeria quandoque cum *σαρκασμοῖς* miſcui, id quidem feci, tum ut lectorum ſatietati occurrerem, tum ut adverſario par pari referrem. Ita interdum praeſidens eſt (vide, quaeſo, quo tranſverſum illum agit verae Religionis praeconceptum odium), ut Catholicorum arma, tamquam luſoria atque batuen-

batuendo tantum apta, contemnat. At vero, ni fallor, pro merito vapulavit. Vtinam tuo etiam adjuver ſuſtenterque elegantiſſimo judicio! Jam me cauſsam viciſſe triumpharem. Legas igitur hanc te precor, ac, ſi per negotia, quibus pene obrueris, licebit, etiam relegito. Scire valde cupio, quid de ea ſentias. Cura, ut valeas. Ex Aedibus Regii Ephebei poſtr. kal. Januar. CIƆIƆCCLXIV.

MARCHIONI XAVERIO DANZAE

M. C. V. Judici

Paulus Moccia S. D. 23

NIhil quidquam minus putaſſem, quam ut per te nedum amantiſſime, verum etiam honorificentiſſime in tuum ſuburbanum Herculanenſe pranſurus invitarer. Jam enim conſcius mihi eram nihil me de te ita meritum eſſe, ut me & benevolentia tua, & communione menſae dignum exiſtimares. Et tamen ita ſe res prorſus habuit. Apud eos quidem tu equites, quos nuper vocaſti, ita queſtus es, ut, quod non me quoque ſecum una adduxerint, cum tua carruca, qua vehebantur, tres facile admitteret, non parum doluiſſe videreris. Id, ut vere quod ſentio dicam, pro eo ac debui, admodum graviter, ac moleſte tuli. Te namque, quem numquam non graviſſimis negotiis, occupationibuſque forenſibus diſtentum, inque litterarum ſtudia tota mente, omnique animi impetu incumbentem cogno-

vi; jam gravitatem remittentem, ſeveritatemque exhilarantem ſelecto honeſtorum virorum conſortio perſpexiſſem. Neque ulla alia prorſus de cauſſa id dolendum mihi fuit, quippe qui, cum te adiiſſem una cum Philippo de Januario Regio Ephebo equite, cum moribus, tum litteris, quibus pro modo aetatis imbutus eſt, illuſtri, meique perſtudioſo, & nunc eo magis, quod ſui avunculi Marchionis Aulettae τῦ μακαρίτυ amorem erga me cum reliqua hereditate creverit, cum te adiiſſem, inquam, quo Natalitiis fauſtis ominibus tibi bene precarer, benigne exceptus iis officiorum indiciis fui, quae ne optare quidem auſus eſſem. Tuum praeterea mihi ſtudium, operam, fidem, opemque perliberaliter detuliſti. Quod mihi uſque adeo gratum jucundumque extitit, ut vel ipſius illius diei, qui mihi tam feliciter illuxit, me recordatio non mediocriter conſoletur. Quae cum ita ſint, tibi gratias ago, quod mihi tua ſponte aditum ad tuam amicitiam patefeceris; atque illud etiam tibi ſancte recipio me diligenter operam daturum, ut huius ad me amandum inductionis animi, voluntatiſque te numquam poeniteat. Quid tibi prolixius pollicear, haud mihi omnino ſuppetit. Vtinam, quod animo valeo, id etiam litteris praeſtare poſſem! Profecto id efficerem, ut aliquod grati animi monumentum tuae eximiae erga me benevolentiae, ſingulariſque humanitatis apud poſteros exſtaret. Nunc hanc meam qualemcumque voluntatem fac aequi bonique conſulas, &, quem gratiam referre non poſſe noſti, cum tibi ſaltem gratias egiſſe, ſatis habeas. Philippus de Janua-

rio

rio te plurimum ſalvere jubet. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei kal. April. cIↃIↃCCLXIV.

EMMANUELI CAMPOLONGO

Paulus Moccia S. D. 24

Haud te fugit, quippe qui philologicis tantum excellis, quam qui maxime, veteres Romanos id caviſſe quam accuratiſſime, ut nihil niſi auſpicato perageretur. Quin imo eo proceſſit ſuperſtitionis ſtudium, ut nedum Jovem Elicium conſulerent, quid facto opus eſſet, exploraturi; verum etiam nominibus male ominatis dedita opera abſtinerent. Idque tum maxime videre erat, cum delectus habebantur. Jam primi omnium legebantur ii, quibus Valerio, aut Statorio nomen erat. Praeterea nihil omnino inceptabant, niſi prius rite praefati eſſent: *Quod felix, fauſtum, fortunatumque ſiet*. Si rogites, cur ita fieret? en in promptu reſponſum: nimirum quia pene jam perfeciſſe negotium vulgo putabatur, qui illud bene incepiſſe videretur. Quae cum ita ſe habeant, vel me tacente, in proclivi erit colligere fere conclamatum illius opus videri, qui inauſpicato illud aggreditur peragendum. At inquies: hui! jam me confeciſti tam putida oratione, quae quorſum ſit eruptura, prorſus ignoro. Bona verba, quaeſo. Non poſſum ſimul omnia loqui. Id eo conſilio ſcripſi, ut ne obſtupeſceres, ſi Polyphemëis, quae hominum exſpectationem vicit, nulli omnino uſui

 labo-

laborioſo illius auctori ac opifici exſtiterit. Nimirum quod argumentum perſecutus eſt luctuoſum atque infinitis aerumnis, vicibuſque refertum, id in cauſsa fuiſſe ſi affirmavero, moriar, ni σκοπὸν attingam. Quid, ſodes, boni e calamitoſo amatore extunderes? Niſi vero illud non contemnendum bonum tibi videtur, quod lacrymis, ſuſpiriis, ſiti, fami, aerumniſque omnibus ferendis aſſueveris. Jam poſthac paupertatem minime tamquam quid malum, turpeque defugies, quodque nullus omnino nummus e tua crumena vel excuſſa emittatur, haud gravatim patieris. Hinc ſi, quando tua adſcititia coma pectenda eſt, pecten defuerit, haud gravaberis ſi ſtrigili defricabitur. Pro punicea roſa Paeſtana, ſi Heliotropium per ſervulum tibi praebebitur, quo politulorum, comptulorumque ritu pectus exornes, num, quaeſo, iraſcêris? Minime gentium. Jam enim Polyphemi ornamentis aſſuetus, haec nullum penitus tibi negotium exhibebunt. Quare ſi iſthaec tibi bona videntur, haud poenitendum opus te aggreſſum tandem ad umbilicum feliciter perduxiſſe aſſeverabo. Ceterum ſi tibi ab initio mens non laeva fuiſſet, aliquod felicius, fauſtius, laetiuſque argumentum legiſſes ſolida cum voluptate aeque atque ingenti utilitate pertractandum. Sane quidem, quibus te non divitiis cumulaſſet Boruſſus Rex, Belli fulmen paciſque ornamentum, ſi ejus fortiter pugnata praelia, vere Muſis dicenda, cecinisses? Jam curru vectus aureo per urbem incederes imis juxta atque ſummis conſpiciendus ubique. Culpam igitur omnem ſi in teipſum inclinaveris, tibique uni adſcripſeris, quod

male

male tecum actum ſit, tot jam exhauſtis laboribus, evigilatiſque noctibus uſque ad ipſum mane, haud fallêris, opinor. Abſit vero, credas haec me ſcripſiſſe, propterea, quod tuum conſilium improbem omnino, quodve illi nuncupaveris opus (cui quando fides, juſtitia, liberalitas, ceteraeque virtutes omnes invenient parem?) ſed quod argumentum neſcio quonam fato male ominatum ſelegeris, adeoque litora bobus non profecturis aranda ſuſceperis. Verum quoniam factum infectum fieri nequit, poſthac ſaniora ac utiliora conſilia inibis. Ita haud dubie fiet, ut nedum publicae rei conſulas; verum etiam tibi tuiſque eas proſpectum. Publica quidem bona privatis anteferenda quis perneget? verum illa ita gerantur oportet, ut noſtra ipſorum commoda omnino poſthabuiſſe minime redarguamur. Haec ſi maturius perpenderis, numquam deinceps te tui conſilii poenitebit. Marchionem Berium hujuſce aetatis lumen ac ornamentum a me ſi ſalutaveris plurimum officioſe, per mihi gratum facies. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei poſtrid. idus Septemb. CIƆIƆCCLXIII.

MARCHIONI SALVATORI SPIRITEO

Supremi S. Clarae Conſilii a Secretis

Paulus Moccia S. D. 25

Litterae tuae ſane quam elegantes, atque humanitatis, officii, diligentiae, amoriſque plenae, quas ad me per communem amicum

Franciſcum Danielem perferendas curaſti, per mihi jucundae, grataeque acciderunt. Ex iis profecto, quanti me faceres, quantoque me amore proſequereris, aperte cognovi. Primum enim, quas ad te identidem αὐτοσχεδίως litteras dederam, quanti feciſſes, vel ex eo intellexi, quod eas diligenter ſervaveras. Omnes quippe remiſiſti, neque unas omnino intercidere paſſus es. Quod quanti ſit, is dumtaxat dijudicabit, qui te virum omni humanitate perpolitum, divini humanique juris ſcientiſſimum juxta atque graviſſimis negotiis tantum non obrutum probe novit. Deinde non potui non vehementer gaudere, quod ita tibi illas probari ſignificaſti, ut, quam celerrime publici juris quo facerem, etiam mihi auctor eſſe volueris. Quid? quod jam amicorum precibus atque ἐγκελεύμασι expugnatus illas praelo committere conſtitueram, quod te inaudiſſe ſignificabas, nedum mihi, verum etiam Reipublicae (vide quo te mei amor impulit) gratulandum exiſtimaſti. Multum igitur te amo ac merito, tibique gratias ago, habeoque immortales. Illud vero te oro, ut me amare pergas, ut facis, mihique recipias fore, ut tua mihi opera, ſtudium, fideſque praeſto ſit. Tum enimvero haud deſperabo futurum, ut exſpectationi de me concitatae quoquo modo reſpondeam. Quin ita facturus ſis, pro tua ſingulari erga me benevolentia, nullus dubito. A me Franciſco Danieli juveni de philologicis inſigniter merito ſalutem dices. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei XII. kal. April. CIↃIↃCCLXIV.

IDEL-

IDELPHONSO CLEMENTI
DE AROSTEGVI
Hiſpaniarum apud utriuſque Siciliae Regem Oratori

Paulus Moccia S.D. 26

MAle ſit occupatiunculis, quae neſcio quonam meo fato in dies, aut potius in horas ſingulas emergunt me prorſus enecturae! Nam, abſque eo eſſet, jamdiu tuis juſſis, uti par erat, obtemperaſſem. Quodque me magis angit, jam jam mihi in eo fuiſſe videor, ut apud te, cui tantum debeo, quam cui maxime, jure ac merito ingratus audirem. Praeter enim conſuetudinem tuam, quod mihi imperaras, quoties tuum in conſpectum prodii, mihi in memoriam redegiſti. Quo quid jucundius, quidve honorificentius mihi accidere poterat? Quid tandem incitatius, quo tua imperata quam celerrime facerem? En igitur quae curſim notavi ad *μόριον Nae* ſpectantia. Fere ſemper pronominibus, modiſque, qua ὁριστικοῖς, qua ὑποτακτικοῖς praemittitur. Verum & illud apud eoſdem Grammaticos exploratum eſt id non omnino ſervari. Horatius lib.2. ſerm. 3. v.98. juxta Henrici Stephani viri τοῦ πάνυ lectionem ſic habet: *Clarus erit, fortis, juſtus, ſapiens, nae etiam Rex*. Plautus antea ita adhibuit, ut ἐπιῤῥήμασι Aedepol, Mecaſtor, aliiſque praeiviſſe voluerit. Plura in hanc eam-

camdem ſententiam corraderem, cumulatius tibi morem geſturus, ſi plus otii eſſet. Ceterum ubi curae, quae nunc circum latus, caputque ſaliunt, paullulum quieverint, aeſtuſque Diatribarum deſerbuerit, haud committam, ut meam diligentiam ſedulitatemque requiras. A me Benedicto fratris tui filio quantivis pretii adoleſcenti, ejuſque non poenitendo διδασκάλῳ ſalutem plurimam. Cura ut valeas. Ex Aedibus Regii Ephebei poſtr. id. Decemb. CIↃIↃCCLXIII.

MICHAËLI TESTAE

Paulus Moccia S. D. 27

QVanto nos opere noſtra plerumque fallat opinio, quamque a vero aberremus, ſi numquam alias, heſterna die domi tuae cognovi. Jam enim illud imbiberam, mihique penitus ea inſederat opinio, primarias quaſque feminas, utpote ingenitae nobilitatis conſcias, quotquot filios terrae natura eſſe voluit, illos nedum tamquam infra ſe poſitos; verum etiam ut triſte evitandumque bidental exiſtimare. Atque hac in ſententia adhuc obfirmate perſtarem, ni ipſemet hiſce oculis rem aliter ſe habere perſpexiſſem. Proh magnum facinus egregiumque, aureoque ſeculo dignum! Primariam feminam, ataviſque Regibus prognatam, &, quod caput eſt, praeclaris animi corporiſque dotibus praeſtantem, hanc, inquam, ita ſe ceteris aequare, ut par infimis fiat, nulla majeſtatis jactura, quis non jure mirabitur? Quin quotquot Venuſinus alumnus in Liciniam laudes

laudes affatim congeſſit, eas potiore jure tali Principi feminae deberi, fateatur oportet. Namque & ferre pedem choris, & certare joco ita illam decet, ut primas ferat. Sane quidem, ludere libeat, ejus joci ipſis Atticis ſalibus ſalſiores videntur. Quodque mirabile eſt, & loco jocatur, & πρεπόντως. Alterius vita exprimenda eſt, ita actiones imitatur, ut nihil lepidius, nihilque venuſtius fingi queat. Tute, amice, teſtis es locuples, qui, quod ſubſidente collo humeriſque arrectis incedis teſtudines imitaturus, quodque tenero ſupplantas verba palato, pene totius fabulae argumentum fuiſti. Quid memorem, qua oris elegantia, quibuſque leporibus Virgines Veſtales, quibuſcum vixerat, maritalis vitae tirocinium poſitura, ſacro in Odêo cantillantes agebat? Nullus quidem eſſet finis ſcribendi, ſi quidquid de non invenuſta ancillula, quam ad novas dapes parandas adſcivit, dictum eſt, chartis illinere vel curſim eniterer. Illud vero haud praetermittam, me ſcilicet tanta admiratione fuiſſe correptum, ut, quae ſcripſi, me ſomniaſſe, haud oculis vidiſſe mihi videar. Vide, quaeſo, amice amantiſſime, quî me, qui uſque adhuc alia omnia cenſueram, permira atque incredibilis praeſtantiſſimae Heroinae urbanitas perculerit! Quare potius, ut meum qualecumque grati animi atque obſervantiae monumentum erga tantam feminam, atque omnibus retroactae aetatis matronis ſine controverſia anteferendam exſtaret, quam quod meo me officio ſatisfacere poſſe putaverim, haec feſtinanti calamo ad te, cui forte fortuna propius illam ſuſpicere, colere atque obſervare

con-

contingit, ſcribenda exiſtimavi. Tu qui Chiron alter videris, fac eamdem morum ſuavitatem urbanitatemque praeclariſſimo eius filio tuae fidei concredito inſtilles. A me noſtri ſeculi Heroinae, matrique familias lectiſſimae, ejuſque incomparabili viro, ſuaviſſimoque filio, mihi oculis ipſis cariori, ſalutem impartitor multam officioſiſſime. Eamdem infantulo Principi nomine omnium epheborum equitum nunciabis peramanter. Cura ut valeas. Ex Aedibus Regii Ephebei IV. kal. Decemb. CIƆIƆCCLXIII.

JOSEPHO CARVLLO

Paulus Moccia S. D. 28

MAle ſit Dominico Amato, quem ceteroqui vere dixerim amicorum glutinum, alienarumque laudum ſincerum praeconem, qui heſterna die domi tuae dum ſermones caedebamus, de mea diſſertatione mentionem fecit. En tibi ſitis excitata, en fames inexplebilis. Statim, ut illius tibi exemplum mitterem, mihi amice imperaſti. Quî tua juſſa non faciam, tibique non illico dicto audiens ſim, cui tantum debeo, quantum vix perſolvi poteſt? Verum, quî mihi mens colorque ſua in ſede manebunt, cum in illius eam manus perventuram cogito, qui nedum in omni humanitate, quanta quanta eſt, verſatus eſt; verum etiam ita de ſacratioribus ſtudiis eſt meritus, ut nemo non ipſi primas deferendas jure optimo arbitretur? Quis non coram illo contremiſcet, tamquam Lugdunenſem dictu-

dicturus ad aram, ad quem nihil niſi perfectum ingenio, elaboratumque induſtria afferri oporteat? Atque ad haec omnia illud tamquam cumulus accedit, quod tanta, tamque firma vales memoria, ut quaecumque legeris (quae ſit in te aviditas legendi, quem ex omnibus praeterit?) omnia in numerato habeas. Quae cum ita ſe habeant, qua animi alacritate tibi morem geram, tu omnium optime vides. Saltem illud te oro, ut impudentiae me nota abſolvas. Alias, qui ferendus eſſem, quippe qui nedum reprehenſione, verum animadverſione quoque dignus exiſtimarer? At tu mihi poenas pro merito dabis, juriſconſultiſſime Amate, qui me nihil tale cogitantem has in anguſtias conjeciſti, quique ut meae famae conſuleres, me plane perdidiſti. Interim hanc fac legas, &, ſi tibi ita viſum fuerit, ubi legeris, conſcindito. Illud mihi pergratum accidet, ſi tanti viri manibus interierit. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei poſtrid. kalend. April. CIƆIƆCCLXIV.

SERGIO SERSALIO

Paulus Moccia S. D. 29

ATtentiſſime legi ac relegi, quam mihi miſiſti omnigena eruditione refertiſſimam diſſertationem de Romanae Eccleſiae Patriarchatu, &, quod caput eſt, nihil in ea offendi, quod non ad obruſſam exactum videretur. Rem enim ipſam ab ipſis incunabulis mira ſedulitate, elegantique judicio repetitam animadverti,

ti, atque ita ad perfeſtionis faſtigium gradatim perductam, ut nihil ſupra. Praeterea dictio pura puta eſt, atque Auguſteae candorem aetatis munditiemque prae ſe fert. Verum illud te etiam atque etiam oro obteſtorque, ut aequi bonique facias, quod, graece quae ſcripta erant mendoſe, aliaque pauciſſima, in quae ſcribae oſcitantia errores irrepſerant, liberrime correxerim. Pro ea qua mirifice praeſtas humanitate, non deſpero fore, ut hanc veniam libenter impetrem. Ceteras quoque diſſertationes, diligentia qua fieri potuit maxima, perluſtravi, tantamque cepi voluptatem, ut utri ſermoni, latiali ne, an Etruſco primae ſint deferendae, dijudicatu difficile exiſtimem. Mira incredibiliter perſpicuitate nitent, Tyrrhenique idiomatis veneres ubique oſtentant. Et, quod mirum eſt, ab omni fucatae dictionis ornamento omnino abhorrent. Macte igitur animo, ac perge, ut inſtituiſti. Brevi enim ad eam pervenies virtutis laudem, quam tibi contentum ſtudium, improbus labor, atque acerrimum, quo polles, ingenium certo certius polliceri videntur. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei poſtrid. id. Februar. CIↃIↃCCLIX.

STE-

STEPHANO PATRITIO

Regio Conſiliario

Paulus Maccia S. D. 30

VBi heſterna die accepi te filiolo, eoque ſcitiſſimo auctum, laetatus ſum vehementer. Quodque ſalva tua incomparabili uxore id evenerit, mirum quantum gaviſus ſum. Quare tibi gratulor, quod tanto bono cumulatus ſis, quodque tibi Rempublicam novis pignoribus, tamquam quantivis pretii obſidibus obſtrinxeris. Intereſt ſane omnium e tantis parentibus liberos ſuſcipi, quos utpote bonis prognatos, tum ſponte ſua, tum paternis auſpiciis rite nutritos, uberrimos ſuo tempore fructus parituros quis deſperaverit? Illos igitur ita fac tollas, educeſque, ut te referant. Jam cives numeris omnibus abſolutiſſimos, eoſque publicae rei deditiſſimos habebimus. Quem enim fugit, quam tu egregiam naves operam communibus rebus, cum tuis ampliſſimis muneribus tam laudabiliter perfungaris? Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei VI. kal. April. CIƆIƆCCCLXIV.

MA-

MAXIMILIANO MVRAENAE

Paulus Moccia S. D. 31

EX quo te de facie cognovi, quem ceteroqui jampridem de nomine noveram, tantum mihimetipſe placui, ut nihil magis. Licet enim, quae litteris prodideras, ſatis ſuperque, quis eſſes, oſtendiſſent: ingenii ſane foetus, animi imago ſunt; tamen nondum animi mei impetus, flagranſque tui cognoſcendi ſtudium conquieverat. Neſcio quidnam amplius deſiderabatur, quo omnino voti compos viderer. Hoc tandem forte fortuna domi Marchionis Galiani, viri inſigniter de litteris meriti, accidit. Tum enimvero is mihi viſus fuiſti, quem te ſcribentem animo conceperam. Facilitate enim, morum probitate, animique aequabilitate tanta te expertus cognovi, quanta te praeditum eſſe haud temere divinando exiſtimaveram. Cumulus vero ad meam de te exiſtimationem acceſſit, ubi auream tuam laudationem in Fraggiannium τὸν μακαρίτην, virum memoriae immortalis, compoſitam mihi legendam tradidiſti. Quantum Etruſce ſcires, quantumque fructus e latinis graeciſque litteris hauſiſſes, aperte intellexi. Haud enim innumera inſignis Herois geſta, inclytaque facta orationis floribus conveſtire contentus, quot quantaque e veteribus monumentis repetita ad bene actam vitam magis magiſque illuſtrandam pro re nata adſperſiſti! Et quod magis mirari ſubit, numquam veritati offeciſti. Quae cum ita ſint, quî te ex ani-

animi ſententia mecum agere mihi perſuaſerim, cum mihi per Dominicum Amatum mirae eruditionis, ac ſubacti ingenii virum, communemque amicum ſignificas, tibi haud injucundum fore, ſi litteras ad te qualeſcumque, etiam nullo argumento, dedero? quid? te me ludos facere velle ſuſpicer? Fractum potius illapſurum orbem crediderim. Niſi (ut mitius tecum rem tranſigam) id eo conſilio facis, ut qualecumque mei erga te amoris benevolentiaeque teſtimonium extundas mihi vel invito repugnantique. Quod ſi ita rem ſe habere cognovero, te nedum unis atque alteris, verum ſexcentis litteris obruam, atque, illud prorſus tibi uſuveniat, faciam, quod plerumque in cantoribus quotidie obſervamus. Quod ſi tuae exſpectationi minime reſponderint, ne gravatim patiaris, te obſecro. Alias, qui ferri poteris, ſi, quod tibi flagitanti morem geſſi, id mihi vitio vertendum cenſueris? Dominicus Amatus, ac Marchio Galianus, quorum in ore pene habitas, quique te jure ac merito in ſinu ferunt, tibi ſalutem plurimam impertiuntur, fauſtamque ruſticationem precantur. Cura ut valeas. Ex Aedibus Regii Ephebei VI. kal. Novemb. CIƆIƆCCLXIII.

MVTIO NOVELLO

Paulus Moccia S. D. 32

EN ad te mitto epigraphen lapidariam, utinam non lapidandam! quam ſi hebdomadis ſanctae tempore accepiſſes, bene tecum actum iri

putabas. Vide, quaeſo, quam naviter meam fidem liberaverim! illud vero non mediocriter vereor, ne non tuae exſpectationi reſponderim. Quod profecto mihi ita aegre foret, ut nihil magis. At pauculis verſibus nullo omnino pigmento infuſcatis, nihilque oſtentationis redolentibus (cuinam latet quam faſtidioſi palati ſis?) amicorum inopiam, qua iſthic laboras, aëris intemperiem, ſolitudinis faſtidium, congerronum caritatem, tandem hortulos ad normae rigorem conſitos exactoſque, quis, amabo te, expreſſerit? ille profecto dumtaxat, qui te argute cogitantem, preſſeque ſcribentem exaequabit. Quare ſi aliena appetis, ut mutatis vel in deterius eſcis famem irrites; quidquid a tua exſpectatione votiſque abſonum offendes, aequi bonique facito. Qua quidem ratione ſi te mecum geſſeris; quin epigramma benigne excipias, meamque voluntatem probes, nullus dubito. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei VI. kal. Mart. CIƆIƆCCLXII.

QVO

QVO
SVCCISIVIS HORIS
SOLITVDINIS MOLESTIAE LEVAMEN
LIBERIORE SI NON SALVBRIORE CAELO
PRAESTO FORET
MVTIVS NOVELLVS REI FAMILIARIS CAVSSA
INOPINANTER EX VRBANO RVSTICVS
HOSCE HORTOS NORMALITER EXACTOS
SIBI AMICISQVE PARAVIT
ANNO A. P. V. CIƆIƆCCLXII.

MICHAËLI TESTAE

Paulus Moccia S. D. 33

HOc matutino, ſcholaſticis exercitationibus abſolutis, cum meo in cubiculo ad abacum de more ſederem, calamum in manum ſumpſi, ut aliquid ad te litterarum darem. Aliquantiſper cogitabundus haeſi, ut argumentum unde unde conraderem, ne prorſus quidquid in buccam. Ecce tibi, tympanotribae exaudiuntur, qui e colle Lucullano deſcendentes copias, ad numerum pulſatis tympanis, praecedebant. Hoc mihi ſtatim in memoriam redegit, quod Campolongo, communi amico contigerat, cum intempeſta nocte inter ſilentia lunae, e Regio Theatro Pauſilypum pergebat quoſdam amiculos ex condicto conventurus. Ipſe enim, cum in excubias incidiſſet, rogatus, cui Regi incolumitatem optaret; tam putida reſponſione excubanti morem geſſit, ut tantum non enecuerit. Memoriter omnem Regiam progeniem protulit ab avo atque atavo, & quod magis mirabile eſt, nullo omnino honorum titulo praetermiſſo. Rides? tanta memoriae felicitate reſpondit, ut, ne de ſcripto diceret, excubitori ſuſpicionem non mediocrem injecerit. In poſterum, credo, valde cavebit, ne tales ad miraculum uſque officioſos ad ſalutandum impellat. Hiſtoriam Regiae domus, tota quanta eſt, ne porrecto jugulo audire cogatur, non temere pertimeſcet. Neque tamen velim quidquam ita detractum amico quantivis pretii. Ab officio, cui

cui unice atque anxie ſervit, id profectum arbitreris, te rogo. Numquam enim non cinctus eſt, etiam cum decoquitur olus. Ita natura comparatus eſt, hoc eſt ejus vitium. Quid illi facias? nemo vitiis ſine naſcitur. Vtinam hujuſmodi verrucis omnes urgeremur! Perpauca, mihi crede, in amicis offenderemus, quae nobis nares corrugarent. A me Alumno tuo ſuaviſſimo feſtiviſſimoque, ejuſque incomparabilibus parentibus, quos vere diſciplinae exemplum appellaverim, ſalutem dicito plurimam. Campolongum etiam, inſigniter de philologicis meritum, amicumque communem, meo nomine multum ſalvere jubebis. Cura ut valeas. Ex Aedibus Regii Ephebei III. Non. Decemb. CIϽIϽCCLXIII.

EMMANVELI CAMPOLONGO

Paulus Moccia S. D. 34

QVod propediem Maſſam Lubrenſem una cum communi amico Cajetano Bronzolio petere conſtitueris illic ad paucos dies ruſticaturus, laetatus ſum vehementer. Quin imo id mihi dupliciter gratum prorſus accidit. Locum enim legere nequibas, qua natura ſua, qua induſtria incolarum ac ſedulitate amoeniorem, ut altera Tempe videantur. Praeterea eum comitem ſociumque tibi adſciviſti, qui iis omnibus dotibus boniſque copioſe praeditus eſt, quae verum, candidum, fidumque amicum ornent oportet. Quid? ſi ad iſthaec omnia non modicae divitiae acceſſerint? Tum profecto nihil penitus

 erit,

erit, quod amplius optetur. Qua de re illud non deſpero futurum, ut, quos conſtituiſtis dies, laetos tranſigatis. Quid ni? Locus, mutuus animus, incolarumque aurei mores, veſtra in commoda amice conjurabunt. Verum illud ne gravemini ſi vos monuero: animum ita facite ut remittatis, ut aliquando in officium redigendum cogitetis. Corpus praeterea ita procurate, ut ne laboris impatiens evadat. Hoc non raro accidit immoderate ruſticantibus, ut prae eo ut acrius revocent intermiſſas exercitationes, eas oderint defugiantque. Cavete igitur ſedulo, ne tamquam equi impotentes frenum morſuri videamini, ubi huc pugiliter valentes reduces eritis. Inſueviſſe quidem voluptariae vitae malum eſt, ubi ad laborem neceſſario eſt redeundum. Curate igitur, ut animo obſequamini, genioque indulgeatis ita, ut rure tandem valere juſſo, vobis iterum in urbe, nimirum negotiorum in fluctibus vitam traducendam eſſe exiſtimetis. Quod ſi ita feceritis, recordatio ruſticana, quae hic cum eritis, identidem recurret, nullam prorſus vobis moleſtiam faceſſet. Magno potius vobis erit levamento, ſi quando inter laborum incommoda, negotiorumque faſtidia, quam illic voluptatem cepiſtis, animo, memoriaque recoletis. Nam licet malorum jam praeteritorum jucunda ſit recordatio; tamen dubitari nequit, quin beatae vitae, & procul a negotiis actae memoria jucundior ſit putanda, praeſertim cum nobis integrum ſit, quando collibitum fuerit, illam facili negotio revocare. Ἑνὶ λόγῳ: quae ſponte relinquimus, ubi meminimus, voluptatem; quae inviti repugnanteſque

que, moleſtiam pariant neceſſe eſt. Haec eo tantum conſilio ſcripſi, ut ne, ubi redieritis, nobis moroſi, difficileſque evadatis. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei kal. Octob. CIƆIƆCCLXIII.

MICHAËLI TESTAE

Paulus Moccia S. D. 35

HEm! quid ſibi latinum os cum Etruſco ſermone, eoque eleganter numeris adſtricto? Verum dicis, haud diffiteor: manus volens libenſque do. Quin ſi tantum Etruſce pollerem, tantumque (quod pene ἀδύνατον ἐστὶ) daretur, ut vel ipſis linguae, nulli ſine controverſia ſecundae, parentibus oppedere poſſem, vix aut ne vix quidem tibi par pari referrem. Sane quidem, quî nervoſum ſtilum aſſequar, ubi gravia perſequeris? Quî fiet, ut non inficetum dicendi genus quis attingat, ubi ridicularia tractas, Bernioque ipſi ſalivam moves? Quis te liquidum aethera tranantem, inque nubes ipſas, ut Ὁμηρικῶς loquar, caput condentem conſequetur, cum ſublimia argumenta verſare, peniculoque exprimere tibi collibuerit, quod non raro contingit? Quare haud deſpero fore, ut aequi bonique conſulas, ſi pedeſtribus copiis (utinam ſatis!) inſtructus, pedeſtri ſermone reſpondeam. Rides! Nonne, amabo te, Muſa te ſolum voluit dicere dulces cantus Phillidis, pectuſque Laurae mutuis bene fidum amoribus? Ecquiſnam hoc, niſi illi ſit oſſea facies, pudoremque abjecerit, pernegabit? Crede mihi, nemo non tibi lampadem tra-

 det,

der , ubi tua carmina vel curſim legerit . Vale , meque , ut facis , ama . Ex Aedibus Regii Ephebei prid. kal. Maj. CIƆIƆCCLXII.

EMMANVELI CAMPOLONGO

Paulus Moccia S. D. 36

POſtero die , ſi ſuperis placuerit , una cum Cajetano Bronzolio , omnium horarum viro , te conveniam . Quare jube ſterni lectulos , & ea parari , quae hoſpitibus excipiendis neceſſaria videbuntur . Parochum te eſſe memento . Hui ! num legatione libera impetrata iter facitis legatorum honoribus fruituri ? Ita vero . Amicus plus legato eſt , ſi ita ipſum expertus noveris . Quid? fugit ne te φίλων πάντα κοινὰ ? Fac praeterea praeſto ſint culinaria vaſa : ollae ſcilicet , ahenum , tripus , ſartago , craticula , veru , cochleare , batillum . Haud enim lucanicis tantum contenti , teſta ſi adfuerit , jam menſa opipare inſtruetur . Hinc nobiſcum paſtillos , agninam carnem , haedos integros , botellos , caſeum Parmenſem , primariumque panem afferemus . Crede mihi , haud moleſtis hoſpitibus opprimêris . Interim faxit Deus , ut maris tranquillitas perſeveret ! Alias omnia conſilia ad irritum recident . Quî enim inſolens maris me cymbulae committam ? Michaël Teſta tandem aliquando precibus expugnatus hodierna die *Pollenam* petivit . Ipſemet infantulus Princeps una cum Comite Giannettio Neapolim venit . Cajetani verbis , & a me tuis ruſticationis ſociis , Acamporae ſcilicet , & ejus contuber-

nali ,

nali, animis Apollini amicis, ſalutem plurimam impertitor. Vale.

IDELPHONSO CLEMENTI DE AROSTEGVI

Hiſpaniarum apud utriuſque Siciliae Regem Oratori

Paulus Moccia S. D. 37

LEctis tuis eruditiſſimis juxta atque ſale Attico refertiſſimis litteris, vix dici poteſt, quamdiu conſilii incertus, quo me verterem, addubitaverim. Primo ſuccurrebat mihi ſingularis tua humanitas, atque non vulgaris benevolentia, qua me ſine gente homuncionem proſequeris foveſque. Hinc admotis veluti facibus, adactiſque ad vivum ſtimulis incitari videbar, ut in tuorum promeritorum, officiorumque commemorationem, praedicationemque crepantibus ambabus buccis effunderer. Quem enim fugit, quae in me nihil tale merentem contuliſti, quotque per te ſum nedum affectus, verum etiam obrutus beneficiis? Deinde attentius perpendenti, quae in me ſtilo Auguſteo quidem aevo haudquaquam impari, ſed ſalſo nimis acrique effudiſti, veluti frenum quoddam injectum eſt, ne latius exſpatiaretur oratio. Ita enim mecum ipſe: num latet anguis in herba? num infidum calco ſolum lubricumque? num mihi imprudenti atque alia omnia agenti clanculum parantur inſidiae? Athe-

nas

nas ne perrexiſſe malum ? utrumne vinoſus mihi obſuit Tejus vates Anacreon ? Num ne docuiſſe, quod olim Columbae tabellarii vicem functae fuerint , Dominiſque ſuis fideliter *διηκονήσωσι* , mihi fraudi fuit ? Haec aliaque animum meum *μελαγχολίᾳ* tamquam ſpiſſa nubecula circumfuſum ſubiere . Verum , ubi me paullulum recepi, fugienteſque ſpiritus collegi ; e tenebris ad lucem emerſi , quidque mihi humaniſſime ſignificares , probe tenui atque cognovi . I nunc , atque Iberos tamquam forenſibus rebus , juriſque vafritiei minime aptos accuſato . I nunc , atque illos tamquam rudi minimeque fucato dicendi generi addictos ne vereare , atque veluti Lacedaemones alteros ab omni orationis pigmento , adſcititiiſque coloribus abhorrentes exiſtimato . Immo meo judicio , vel depoſito pignore , callentiſſimos omnium ſchematum , troporumque , quos verſatiſſimi , inque omnem formam ſe vertentes Oratores effinxere , autumato . Egone Domus tuae quietem , tranquillitatemque interturbavi , quod honeſtiſſimos adoleſcentes proprio quodam naturae munere ad omnia ſumma factos ad ſacra Cecropia manu duxi ? Habes confitentem reum : neque quaeſtionibus opus eſt , quo tormentorum vi veritas exprimatur . Egone illos abs te veluti e paterno ſinu avulſos abſtraxi, quod ita ad Graeca proſequenda hortatus ſum , ut illorum amore incenſi , cetera tamquam obſoleta, vieta , & caſca averſentur ? Potius mihi oculos emungi ſinam, quam adducar, ut iſta pernegem . Egone in cauſſa fui , cur Bartholis , Bardis , aliiſque hoc genus vale dicerent ? Vtinam , quod modo contigit,

decem

decem ab hinc annis accidiſſet! o quam praeclarius ſecum actum fuiſſet, ſi, quod effluxit tempus, minime in tricis, gerris, apiniſque conſumptum fuiſſet! Quam melius ſapuiſſet ipſis Vinnius civilis juris ſupra omnes retro auctores peritiſſimus, graeceque ſcientiſſimus! Minime quidem, ipſis inter legendum ore excidiſſet, ubi quid graecum occurrerat: *graecum eſt, non legitur*; tamquam ſi ingens viſus fuiſſet anguis, puerorum terriculamentum, ne facerent oletum. *Anguis eſt, ne pueri mejite.* Vtinam quod per me alte deſcendit vulnus, altius deſcendat! crede mihi nulla *γαστροθήκης* opera indigerent. Vulnus enim ipſum alit ſaucii vires roboratque; & tantum abeſt, ut quis ſanare velit, ut potius diligenter curandum ſit, ne obducatur. Quin iſtud vulnus, vel gladiatoriae ſaginae anteferendum, immortalitatem parit, utque noſtris cineribus ſuperſimus, committit. Quare abeant in malam crucem Galenus, Hippocrateſque, ſuaque ſibi habeant pharmaca, curationeſque. Nos enim noſtris malis haerere, atque immori malumus, quam illis utcumque emergere. Vtinam humaniſſime omnium, multo ante in me iſta jamdudum concepta enutritaque effudiſſes! Vtique in id incubuiſſem diligentius, ut tibi, qui tam concinne lepideque iraſceris (faxit Deus, ut ſemper ita ſuccenſeas!) gratias agerem verbis quam exquiſitiſſimis, tuiſque litteris mihi exſpectatiſſimis tamquam verae ſolidaeque benevolentiae fruerer monumento. Si concepta iracundia tantum parit boni, utilitatiſque, iraſcare quaeſo, iramque evomito non ſine elegantiſſimis epiſtolis. Nonne

iſthaec

iſthaec Archilocum celeri armavit jambo in Lycambem, effecitque, ut verſibus auro contra non caris uteremur? Verum illud non concoquo, quod ita tuis contubernalibus φιλελλήνετι uteris frueris, ut omnino meo conſpectu colloquioque avellantur. Ergo ne per menſem ſolidum ſolitudine hîc maceratus ipſe ſolus dolebo, ringarque? Ergo ita illorum cuſtos eris, ut Draconis ad inſtar Heſperiis malis ſervandis deſtinati, omni me excludas aditu, acceſſuque? At inquies, nonne te iſthuc ruſticatum invitavi, utque quamprimum venias, hortatus ſum? haud diffiteor, gratiaſque tibi ingentes ago, habeoque immortales: verum ita nunc vivo, ut nonniſi difficile loco cedere, aliquóque animum occupationibus delaſſatum aliquandiu remiſſum abire concedatur. Quae cum ita ſint, ita mihi infenſus eris, ut tamdiu me ipſorum abſentia torqueas, deſiderioque conficias? Quae tua humanitas eſt, haud adduci poſſum, ut credam, te ita geſturum, neque vel tantillum ſeveritatem remiſſurum. Ceterum, ut ut res erit, ſemper mecum praeclare actum putabo, modo tibi meum conſilium probaſſe non deſperem. Commodum haec ſcribebam, qualia ea cumque ſunt, cum repente pulſato oſtiolo mei cubiculi commotus, rogo, heus tu, quis es? En nec opinus Nicolaus Algherius occurrit mihi, mutuiſque perſolutis officiis, quid ſcriberem, ſciſcitatur. Tuis reſpondere litteris ſubjeci. Statim ſubdidit, ni grave eſt, meam ipſi ſalutem adſcribito, meque, ſi diutius hîc morari daretur, etiam illuc libenter advolaturum. Male ſit pecuniae, quae in cauſsa eſt,

quo-

quominus iter aggrediatur. Credideris! emungi vel paucis denariis ipſi perniciofum. Hui! qui finis ſcribendi! Anne id ago, ut, quantum quantum tibi tempus a negotiis vacat, meis iſtis inelegantibus litteris nulloque ſale condîtis legendis impertias? profecto impudentis notam ſubirem, frontemque perfricuiſſem. Et tamen haec ſcripſi tanto obloquentium tumultu obrutus, ut, quid ſcripſerim, neſciam. Quare te etiam atque etiam rogo obteſtorque, ut haec qualiacumque ex tempore carptimque chartis illita aequi bonique facias. A me meis graecis μαθηταῖς ſane quam diligentiſſimis, meique ſupra fidem ſtudioſiſſimis ſalutem plurimam impertitor; quod idem officium tibi, tuiſque, qui hîc adſunt Ephebi omnes una cum ſuaviſſimo beneque morato Nicolao Algherio perſolvunt libentiſſime; nominatim vero Archintus φιλόπονος, morumque probitate ſpectatiſſimus adoleſcens. Vale noſtri ſaeculi, reique publicae litterariae decus atque ornamentum. Ex Aedibus Regii Ephebei VI. non. Octob. CIƆIƆCCLXI.

BENEDICTO CLEMENTI DE AROSTEGVI

Paulus Moccia S. D. 38

LVſtrico clariſſimi tui Patrui, fauſta temporis circumactione, recurrente die, haec qualia ea cumque ſunt, ad te ſcribenda omnino exiſtimavi, ut tua vicaria opera officii mei partes praeſtarem. Haud enim ſum neſcius, quod is, qui

qui in omni vita ab aulicis tricis, atque morionum, maleque feriatorum hominum ambitione, fucatiſque manuum prenſationibus abhorruit, hodierna luce quam maxime undam ſalutatorum confertim ultro citroque itantium declinet. Quamobrem, quandoquidem litteras non erubeſcere neminem praeterit, id illarum ope perficiendum curavi; & quo ſcriptori negatur adire, illuc ipſae, te tamen admittente, eaſque veluti manu ducente, penetrarent, ipſique licet pudibundo atque officiorum faſtidioſo ſe ſiſterent confidentiſſime. Quin ita futurum ſit, haud dubito. Jamdudum, Benedicte auro contra non care, quanti me faceres, expertus cognovi. Te, te igitur duce atque auſpice non deſpero fore, ut meis flagrantiſſimis votis ſatisfiat. Neque te pigebit id facere, propterea quod adeant te opobalſamo affatim perfuſum, Gallice comptum, Angliceque veſtitum, horridulae, impexae, panniſque obſitae. Haud enim ignoras quam acriter earum dominus urgeatur fortuna. Quod non vernacula lingua loquantur, ne mireris, quaeſo. Namque Auguſteus ſermo, quoad fieri poteſt, uſurpetur neceſſe eſt, ubi Auguſti viri, Auguſtamque perſonam pro dignitate ſuſtinentis eſt conſpectus ſubeundus. Faxit Deus, ne majeſtatis, licet morum ſuavitate attemperatae, ſplendore praeſtrictæ concidant, metuque perculſae obmuteſcant! Illi igitur annos Neſtoreos, ſalutemque pancraticam meis verbis comprecaminor enixe. Et, ſi tantum licebit, Benedicti praeſertim opera atque beneficio, ipſi manum meo nomine adorate quam officioſiſſime. Cavete, quaeſo, ne

quid

quid audacter, aut impudenter agatis. Oculos a Benedicto ne vel tantillum dejiciatis, vos rogo obteſtorque. Quidquid ille nictantibus oculis indicaverit, illud peragite quam diligenter. Haud enim facile concoquerem, imo gravatim id ferrem; ſi officii mei partes impleturae, jure ac merito inofficioſae, audaculae, atque inurbanae apud illum, hoc praeſertim die, audiretis. Abite ergo bonis avibus, meaque juſſa adamuſſim exhaurite, Benedictoque humanitate, eruditione, probatiſque moribus nulli ſecundo, ejuſque erudito praeceptori, ubi gratias, uti par eſt, exquiſitiſſimis verbis egeritis, ſalutem meis verbis maximam impartiminor. Vale, meque, ut facis, ama.

EIDEM. 39

EN, quod tantopere, ac pene conceptis votis expetebatur, quodque curioſorum hominum exſpectationem fatigabat, jam abiit, momentoque temporis evanuit. Jam acta tranſactaque ſunt omnia, atque exſpectatiſſima Pompa haud dubie cum veterum triumphorum (abſit verbo jactatio) apparatione conferenda tamquam dies heſterna praeteriit. Vbinam, amabo te, hodie ſunt Equeſtrium cohortium turmae pulvere ſordidae, ſoliſque aeſtu aduſtae, clare ſtrepentium tympanorum, tubarumque ſonitu, agmine inſtructo procedentes? Vbinam fortiſſimi agminum Ductores equis generoſis iiſque magnifice phaleratis inſidentes, aliis quoque honorariis, ſumptuoſis ſtragulis gentilitia ſigna auro argentoque eleganter inter-

intertexta referentibus , pone ſtipati? Vbinam annoſus exercitus Imperator magna Centurionum, Succenturionum , Tribunorum , Primipilorumque corona circumfuſus , qui tamquam copias luſtraturus , ſurſum deorſum decurrebat non ſine ſpectantis frequentiſſimi populi admiratione ? Vbinam longus perpetuuſque pretioſarum , ſplendidarumque carrucarum ordo ? Vbinam pompaticum carpentum Regio conſpectu , Majeſtateque plenum, tanto auro collucens tamque affabre elaboratum, ut opus Daedalaeum eſſe videretur? En, ut fori ſive ferrei , ſive lignei , feneſtraeque omnes , quae heſterna die prae ingenti innumerae multitudinis onere laborabant , nunc deſtitutae, ſolaeque proſtant? En, ut viae vacuae ſunt multitudine ultro citroque itante , & terra ipſa, quae heri gemere prae gravi pondere videbatur, nunc quieſcit onere tanto levata , ac , pene dixerim , reſpirat. Sed neſcio quî factum ſit, ut id , in quo caput eſt, memoria exciderit. Quonam abiere epulae opipare ſplendideque inſtructae, & exquiſita vina e longinquis oris huc advecta? Quonam ſaltationes, & choreae? tamquam aegrorum ſomnia evanuerunt. Evanuerunt? Quin imo tanta laxiſſimos heluonum ventres faſtidia inceſſerunt, ut vel memoria ipſa pridiani cibi crucientur. Sane quidem, quanto aeſtuant calore , quam acri capitis dolore torquentur , quantaque ſomni difficultate laborant! Vel ipſae ſollicantes culcitae molli pluma infartae, dura ſtramenta videntur. O quam bene nobiſcum heſterna luce actum fuit, quam beati , quamque fortunati fuimus ! Menſa excepti frugali, ſed mellitiſſimo numquam ſatis lauda-

laudati Patrui tui ſermone condita , nulli vel magnifice lauteque apparato convivio prorſus invidimus. Comptuli quidem cincinnatique equites, primariaeque defuere matronae, dapſilium menſarum ornamentum juxta atque incitamentum ; verum nobis novenus adfuit chorus , junctaeque nymphis gratiae decentes , cana fides , religio , pietaſque non ſine auro contra non cara temperantia . Adde his carrucariam pomeridianam tranſvectionem non ſine aprica per amoena paluſtria loca inambulatione, albo catello nos ſideliter comitante , caudaque adblandiente. Sacchari ſacra fames, quo non ipſos catulos rapis ? Tandem , quid nobis redeuntibus jucundius ſuaviuſque accidere poterat occurſu tui cordatiſſimi graviſſimique Patrui aureo curru vehentis ? quid optabilius , amabiliuſque illo non exſpectato viatico colloquio ? Nihil igitur defuit , quominus beati putaremur . Sibi igitur habeant paraſiti epulas , convivia , crapulas , comeſſationes , ſaltationes , ſcenicoſque ipſos ludos ; nobis nihil extra noſmetipſos expetetur ; quodque alii foris veſtigant animum voluptatis cupidum exſaturaturi ; nos ſi parvo contenti vixerimus, intus, domique nullo labore , nullaque omnino corporis mentiſque jactura inveniemus. Vide, Benedicte in paucis care, quo me impulit hypochondriacum virus, quo non leviter divexor atque arrodor , ut tamquam pro meo jure Ethica pertractem, virtutem ſcilicet collaudem, vitiaque inſecter! utinam mihi conſtem , propoſitique tenax perſiſtam ! A me Patruo tuo priſcae fidei viro ſolidaeque virtutis amantiſſimo ſalutem pugilicam , Neſtoreoſque an-

nos. Idem officium, ni grave eſt, tuo fido Achati imperties meis verbis per quam diligenter. Vale, meque, ut facis, ama.

EMMANVELI CAMPOLONGO

Paulus Moccia S. D. 40

QVod meas laudes in te, tuumque immortalitate dignum Polyphemeidos opus rudi calamo congeſtas, pro ea qua es humanitate, aequi bonique feceris, gratias tibi ago maximas, habeboque immortales. Per mihi gratum accidit, te, qui tuo judicio contentus tuto eſſe potes, ac ceteris praeluces, haud poſthabenda cenſuiſſe, quae ex animi mei ſententia, ac pro ingenii modulo de tuis carminibus latinis juxta atque Etruſcis, chartis illeveram amicorum votis ſatisfacturus. Medius fidius, ita laetatus ſum, ut qui praeter ſpem ſignum attigit. Diſtuli vero id facere, quia neſcio quonam pudore impediebar, quominus animi mei ſenſa in apricum producerem. Varia enim multaque mihi occurſabant, quae me a propoſito deducerent. At vero illud inter cetera, ne arrogantiae jure ac merito inſimularer. Tandem ſpectata ſatis animi tui modeſtia omnem mihi prorſus ſcrupulum exemit. Quare modo & illud addo, nec timide, tibi Polyphemeida tantum parituram honoris ac dignitatis, quanto ornatus auctuſque omnium conſenſione fuiſti, cum Mergillinem, ſeu Halieutica carmina Etruſca, quibus proſa oratione praeludebas, publici juris feciſti. Actio ſincero, ut leviſſime dicam, ſi in vivis fuiſ-

fuiſſet, ſalivam procul dubio moviſſes. Paſtores enim, qui uſque ad id temporis nonniſi meras oves, capraſque crepuerant, te duce atque auſpice de piſcibus iiſque cujuſcumque generis, Neptuniaque familia univerſa ſermonem inſtituere haud refugerunt. Quandoquidem igitur tanti vales, illud cures velim, ut ſemper recentibus ingenii tui vere verſatilis fetibus litterariam rem publicam ornare, quoad fieri poterit, contendas. Ita profecto committes, ut ſuus utrique linguae nitor, ſuaque elegantia munditieſque ſarta tecta ſerventur. Et, ſi recurrentibus quibuſque ſaeculis, quidam divino beneficio exſtiterunt praeſtantes ingenio viri, qui obſoleſcentem litterarum ſplendorem revocarent, tu certe is es, qui hac aetate ceteroqui florentiſſima, ne quid hujuſcemodi umquam accidat, praeſtiturus videris. Qua de re, ſi novis nos operibus ditaveris, nedum litteris ornamento eris, verum etiam valido firmoque illas tibicine, Atlas alter, ſuſtentabis. Perge igitur, quaeſo te, operam tuam in commune conferre, ac publicae, quod in te ſitum eſt, utilitati fac proſpicias. Id enim honeſti ratio, id Patria, id amici, id denique univerſum hominum genus ſibi jure quodam ſuo poſtulant. Haud quidem nobis, ſed Patriae, amicisque nati ſumus. Neque te tui ipſius rationem habiturum putes, ni ceterorùm exiſtimationi, bonis, commodis, publiciſque rationibus utilitatibuſque conſulueris. Quod ſi feceris, uti te haud dubie facturum non deſpero, cumulatiſſime officio tuo non ſine ingenti reip. emolumento perfungêris. Marchioni Berio, meis verbis ſalutem plurimam

F 2 im-

impertitor. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei prid. idus Septemb. CIϽIϽCCLXIII.

DOMINICO AMATO

Paulus Moccia S. D. 41

JAm acerrimus capitis dolor, quo jam tertium pene diem mirum in modum torquebar, nedum levior factus eſt, ſed etiam propemodum evanuit. Idque neque cibi parſimoniae, neque que bibendi abſtinentiae, nec ipſis calidis Caffai potionibus acceptum referendum exiſtimavi; verum (ne vivam) tuae conſuetudinis ſuavitati, tuaeque lectiſſimae familiae non minus quam feſtiviſſimae urbanitati omnino debeo. Sane quidem, quem vel moerore confectum curiſque perditum non exhilaraſſent tui liberi, cum ſcitiſſime perſonati, nobis nihil tale opinantibus, in medium prodiere, belleque ſuas partes praeſtiterunt? Imo neque muta contenti perſona inertique, ne ſtatarii viderentur, ſtatim variis ſaltationibus, qua gravibus, qua feſtivis initium fecerunt. Adhuc mihi ante oculos obverſatur tuae ſororis filia vix quinquennis, quae pro aetatulae modo, ita Anglicum, & Germanicum ſaltandi ritum moremque ſane quam laborioſum, miraque pedum celeritate abſolvendum expreſſit, ut nihil concinnius fieri poſſet. His acceſſit nec opinus Canonici Crotonienſis Eccleſiae Cimeliarchae adventus, qui mihi jucundiſſimus laetiſſimuſque accidit. Quid enim? Quod, vel te deprecatore, me obtenturum deſperabam, id ille mihi ſponte obtu-

obtulit. Nimirum ad ſuam mihi amicitiam aditum aperuit, in quam jampridem me inſinuare cupiviſſem. Ipſe enim de litteris tantum meretur, quam qui inſigniter, & morum probitate nulli concedit. Vide, quantum tibi debeo, tuiſque! Qui enim prae dolore, quo mirifice cruciabar, vix ſomnum capturum eumque leviſſimum ſperabam, nunc tua ope pluſquam Machaonia ita valeo, ut & haec chartis illinere, & ceteris meis occupationibus aliquid temporis tribuere potuerim. Neque illud deſpero fore, ut, cum ſtata hora dormitum pergam, ſomnum, qui me alias reliquiſſet, quam facillime reperam. Credideris? dum haec ſcribo, jam paullatim non intellectus obrepit, meoſque urget importunus ocellos. Quare jam faciam modum epiſtolae, quam verboſiorem ac longiorem animo conceperam. Tui enim Patrui, Crotonienſium praeſulis laudes minime reticuiſſem. Nunc igitur te illud oratum volo, ut ipſi a me manum oſculeris officioſe, atque ſalutem peramanter nunties; quam etiam meo nomine tuis omnibus, atque Crotonienſis Eccleſiae Cimeliarchae, viro eruditiſſimo, meique ſupra fidem ſtudioſiſſimo communicabis. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei III. kal. Febr. CIↃIↃCCLXIV.

EIDEM. 42

QVantum temporis a continentibus occupationibus, quibus in dies neſcio quonam meo fato diſtineor, ſurripere potui, quod certe perexiguum fuit, id totum tui Patrui τ8 μακαρίτ8

F 3 eru-

eruditiſſimis Diſſertationibus legendis maxima cum animi mei voluptate impendi . Et ut verum ingenue dicam nihil non occurrit , quod non ſubactum omnijugena eruditione ingenium prae ſe ferret , nihilque quod non exquiſitiſſimi palati virum liquido oſtenderet. Vno verbo: a calce ad caput totus ſapientia eſt . Hui ! quantam Scripturarum cognitionem , qualem quantamque SS. Patrum lectionem prodit , quotieſcumque res poſtulat, ut ejuſmodi teſtimoniis firmetur. Quid Concilia commemorem? Canones illorum ita calluiſſe apparet , ut illi uni tantum ſtudio operam navaviſſe omnem videatur . Si quid in illis obſcurum offenditur, ita colluſtrat, ut, cavillis omnibus declinatis, Patres ita omnino ſenſiſſe, idque, cum illos conderent, animo imbibiſſe, affirmetur oporteat. Et tamen quis crederet? ita animi ſui ſenſa aperit , ut nullibi non ejus modeſtia , docilitas , aequanimitaſque luce meridiana clarius deprehendatur. Ita quandoque diſſentit , ut non vitilitigandi cacoëthi , diſcrepandique libidini , ſed tantum veritati litaſſe videatur. Macte eſto igitur , tantoque cum Patruo ſi ſuperbiam ſumpſeris , nemo eſt, qui te illam merito ſumpſiſſe negaverit. His accedit , quod tanta praeditus es virtute , tantumque tibi , editis cedro linendis operibus , honorem comparaſti , ut non ab illo aliquid mutuatus eſſe ornamenti decoriſque videaris ; verum, quod acceperas, auctius cumulatiuſque effeciſſe jure ac merito ab omnibus exiſtimeris. Haec modo ſcribenda ad te duxi, tum ut tibi pro merito gratias agerem, quod me nihil tale merentem tanto munere affeciſti ;

tum

tum ut tibi morem geſturus quid de illo ſentirem, quoad fieri poterat, te ſacerem certiorem. Cum ceteras, prout otium erit, Diatribas legero (nunc tantum illam, in qua de eſu Avium diſputatur, integram luſtravi, una cum iis, quae maleferiato Critico reſponſa fuerunt) iterum ad te ſcribam. Nunc ita ſcripſi, ut qui leonem ex ungue. A me Marchionem Galianum, Maximilianum, ac Campolongum, viros optime de litteris meritos, ſalvere plurimum jubebis. Vale.

SALVATORI SPIRITEO

Supremi S. Clarae Conſilii a Secretis.

Paulus Moccia S. D. 43

HEſterna die vix me domum recepi, cum chartis illevi, quae mihi imperaſti epigrammata in τὸν πάνυ Joannem Baptiſtam Jannuſium. Hui! tam cito. Certe quidem urinum ovum edidiſti. Quî, malum, obcalleſcere potuiſſet adeo brevi temporis intervallo? Ita prorſus factum. Qua fronte inficias iverim? Verum ne ita quidem venia indignus videor. Is enim ſum, qui imperata ni ſtatim fecero, vix eſt, ut conquieſcam. Quare te oro obteſtorque, ut quae calente oeſtro effudi, obſtetricantibus manibus foveas; quaeque rudia ſunt, concinnes, aut iterum refingas. Interim voluntatem licet praeproperam aequi bonique facito, &, quae corrigenda, aut mutanda autumabis, ſi amice ſignificaveris, per

mihi gratum facies. Vale, meque, ut facis, ama. Ex Aedibus Regii Ephebei IX. kal. Novemb. CIↃIↃCCLXIII.

Ampliſſimum Praefecturae Commercii munus
A Franciſco Ventura
Ac deinde a Dominico Caravita
Publica privataque approbatione adminiſtratum
Ab eodemque ſponte ſua abdicatum
Quum
Ferdinando IV. utriuſque Siciliae Rege jubente
Joannes Baptiſta Jannuſius
Vir doctrina vigilantia celeritate ingenii
Miraque in rebus agendis dexteritate
Vſu atque conſuetudine
Frequentium delatorum honorum
Comparata
Alacriter gerendum ſuſceperit
Cives atque peregrini negotiatores
Ne tanti beneficii memoria
Intercideret
Has grati animi ſignificationes

FER-

FERDINANDO IV.
Vtriuſque Siciliae & Jeruſalem Regi
Quod
Joannem Baptiſtam Jannuſium
Summis quibuſque honoribus uſum
Omnis juris humani divinique ſcientiſſimum
Adeoq; ad impeditiſſima quaeq; negotia expedienda
Proprio naturae munere factum
Juri Dicundo
Cives inter atque peregrinos praefecerit
Vniverſum negotiatorum Collegium
Beneficii magnitudine obſtrictum
Domino indulgentiſſimo providentiſſimoque
Litterariis monumentis
Vtinam numquam intermorituris
Grates immortales
Devotum numini majeſtatique ejus
Perſolvit

Digitized by Google

CAJETANO MIGLIORE

Paulus Moccia S. D. 44

QVae recenſuiſti folia, jam accepi, praeloque committenda curavi. Mirum quantum gavisus ſum, cum illa omni vel tenuiſſimo mendo carere, & quod magis eſt, ita interpuncta animadverti, ut nihil limatius, nihil elegantius, nihilque argutius optari poſſe videretur. Cetera, quaeſo, ita fac percurras. Jam quidem illis tanta fiet acceſſio dignitatis, quantum tibi ornamenti attulerunt, quae tu tanto cum reipublicae litterariae bono, tuaeque patriae ſplendore ac gloria publici juris feciſti. Neque tui ingenii fetus quantivis pretii promulgaſſe contentus, qui, ſi non aliud, tibi illud pepererunt, ut inter Cortonenſes Academicos αὐτομάτως cooptareris; nunc improbo ſane labore, ac ſedulitate quanta maxima in id incumbis, ut Joannis Baptiſtae Vici, viri procul dubio omnis Minervae, opuſcula ἀνέκδοτα, quam nitidiſſima elegantiſſimaque in publicum emittantur. Age, quaeſo, & meis hiſce epiſtoliis αὐτοσχεδιαστὶ conſcriptis aliquid temporis impertire; & quantum otii tuis occupationibus, quibus continenter diſtringeris, ſubripere poteris, id totum mihi uni fac tribuas. Otioſe profecto dormiam, ſi ita feceris, operamque te mihi tuam, quoad fieri poterit, dicaturum receperis. Vale, meque, ut facis, ama. Ex Aedibus Regii Ephebei XI. kalend. Majas CIƆIƆCCLXIV.

FABRICIO PIGNATELLO

Paulus Moccia S. D. 45

Litteras tuas amoris, officii, humanitatiſque plenas legi libentiſſime. Verum praeter modum meam auxit voluptatem id, quod mihi in eis peramice atque benevole ſignificaſti. Laetitiis certe omnibus, non potui, quin geſtirem, cum per te comperi Joſephum germanum tuum natu minorem, jam clericali militiae mancipatum, die Virginis Purificationi ſacro, Orationem domeſtico in Sacello, coram frequenti auditorum corona, maxima cum laude habuiſſe. Atque eo vel magis gaviſus ſum, quod, quae hic divinando dixeram, jam exſtitiſſe cognovi. Jam enim viridi in aetate praecox emicabat ingenium, qualiſque futurus eſſet, apparebat. Macte igitur eſto tot tantiſque progreſſionibus, atque illud non deſperet futurum, ut tanto ſub magiſtro deinceps fructus induſtriae percipiat uberiores. Quam bene cum Eccleſia ageretur, ſi tale ponerent tirocinium, qui ſacrae inhiant militiae. Qua de re minime miratus ſum, quod merito Etruſcis carminibus, iiſque elegantiſſimis ornatus ſit. A quonam, amabo te, non egregias laudes expreſſiſſet adoleſcentulus tenellula in aetate inſigniter de interioribus litteris meritus? Gratulor igitur ei tantam felicitatem, quam ipſi Deus propriam perpetuamque ſaxit! Gratulor ejus parentibus, quod gnatum habeant tali ingenio praeditum, ut omnes uno ore laudibus efferant;

rant : poſtremo gratulor tibi , quod hujuſmodi fratrem nactus ſis , quem cum tute laudandum ſuſceperis , omni prorſus privati commodi careas ſuſpicione . Quod enim Etruſce ab eruditiſſimo viro , Hieronymo Epiſcopo, in ejus laudem compoſitum fuerat , id ita Latine , pene verbum verbo appendendo, tranſtuliſti, ut, muſa Latina prior , muſane Tuſca ſiet , difficile judicatu videatur. Quod vero tibi aegre fuiſſe dicis , quod haec non ante ad me miſeris , quam publici juris fierent , id tanti non eſt , ut angaris. Imo pecces velim in hanc partem , modo tantum emolumenti Reip. eximiis ingenii tui fetibus ſis allaturus. Illud , extra jocum , te oro etiam atque etiam , ut , ſi per occupationes licebit , crebriores ad me epiſtolas mittas. Exſpectatiſſimae mihi accidunt atque jucundiſſimae. Valde enim te amo ob egregios mores tuos, tuum praeſtans ingenium , modeſtiamque ſingularem. A me Praeceptori tuo ſalutem officioſe , quam etiam meo nomine tuis parentibus , fratribuſque omnibus tuis peramanter nuntiabis. Cura ut valeas. Ex Aedibus Regii Ephebei III. idus Febr. CIↃIↃCCLXIV.

FRANCISCO DANIELI

Paulus Moccia S. D. 46

HOc matutino vix lecto ſurrexeram (licet dies multum proceſſiſſet) cum mihi tuae exſpectatiſſimae litterae redditae ſunt. Hui! qui antelucano tempore tantopere delectabaris, ut, ſi quan-

quando opificum maturiore induſtria atque opera victus eſſes, vehementer doleres, nunc derepente ſomniculoſus inerſque uſque ad ipſum diem ſtertis? Bona verba quaeſo; iramque jam naſo ſe ſe prodentem, paulliſper comprimito. Statim, ſpero, illam ad Erebi tenebras abire jubebis, ubi, cur ita omnino factum oportuit, audies. Heſterna luce una cum univerſa ephebica familia, ne canibus quidem relictis, Caſoriam commigravimus, dialem ruſticationem peracturi. Quo ubi perventum eſt, e veſtigio omnes diverſi abiere, diverſe vecti. Partim enim aſellis inſidentes Averſam perreptaverunt; partim vero, iique palaeſtrae equeſtris ſcientiores Caſertanum Praetorium concitatiſſimo curſu, veredis ſcilicet vehentes, petiere. At tu, inquies, quonam verſus moviſti? Solitaria rheda in municipium Frattenſe me contuli meos parentes jam grandaevos, innumerum nepotum numerum, Patrioſque Penates, anniverſaria itione, reviſum. Magno illic opere laetatus ſum, ubi illos offendi ita validos aeque atque floridos, & quod caput eſt, roſeos, ut non jam ſenum, verum juveneſcentium ora mihi intueri viderer. Diuturna illis Deus haec munera faxit! At quorſum verboſa iſtaec oratio? Mane: non poſſum unâ omnia. Vix dies ad umbilicum pervenerat, cum omnes dicta hora incolumes redierunt. En nulla interpoſita mora menſa parata fuit quam opipara. Hîc qua fame omnia deguſtata, aut potius devorata fuerint, vel me tacente, tute potes aſſequi. Haud enim inambulationibus ſubter proceriſſimas populos, uti mos erat philoſophorum,

verum

verum praecipiti curſu omnes famem opſonaverant pene paraſiticam. Credideris? integra uſque ad ultima fercula permanſit. Remotis primis menſis ad ſecundas vocati. Huc irritatiores atque acriores acceſſimus, quippe qui bellariis omnigenis, frigidiſque ſorbitionibus iiſque ita concretis, ut varios ad vivum fructus, piſces, praeſertim mullos, caſeoſque exhiberent, viniſque exteris invitabamur. Momento temporis omnia evanuerunt. Boruſſos ira percitos captum oppidum diutina obſidione eâque laborioſa victum avide direque depopulantes vidiſſes. Quae cum ita ſint, permirum tibi videbitur, ſi, cui alias nigram epotare lucernae fuliginem volupe fuit, is ipſe totam noctem uſque ad ipſum mane ſtertuerit! Quî, malum, aliter pridianum cibum edormiſſem, crapulamque exhalaſſem? Atque haec hactenus. Quatuor Thyleſiana exempla ruſtice glutinata apud me ſunt, quorum jam unum ad Joannem Baptiſtam Caracciolum Averſanorum Antiſtitem perferendum curavi. Cetera vero mittam, ubi opportune & tuto potero. Vale, meque, ut facis, ama. Ex Aedibus Regii Ephebei XII. kal. Novemb. CIϽIϽCCLII.

P. S. Complicatam epigraphen juſſu Melphitanorum Antiſtitis, mei ſupra fidem ſtudioſiſſimi, ex tempore fudi. Tuo illam acri judicio remitto, &, quid de ea ſentias, ſi ſcripſeris, mihi quam gratiſſimum continget. Quanti enim te faciam, nemo ignorat. Iterum vale.

D.O.M

D. O. M

ET MEMORIAE THEODORAE BASTAE
HIC IVXTA OSSA CINERESQVE FRATERNOS
SEGREGE IN REQVIETORIO SITAE
CAELIBATV ATQVE INGENTI VIRTVTVM PENORE
SVPRA SEXVM COMMENDATISSIMAE
PASCHALIS THEODORVS
SORORI CARISSIMAE ET INCOMPARABILI
AETERNVM MOERENS P
VIXIT ANNOS LX. M. . . D. . .
OBIIT XI. KAL. SEPT. CIↃIↃCCLXII.

MAR.

Digitized by Google

MARCHIONI PASCHALI SANCTO-SEVERINIO

Paulus Moccia S. D. 47

ADhuc mihi ſapit, ſapietque magis tua mellitiſſima epiſtola, qua mihi nedum reſcribere, verum etiam gratias quam exquiſitis honorificiſque verbis perſolvere voluiſti. Eam profecto ego tamquam non vulgare tuae erga me benevolentiae, eximiique amoris indicium ac monumentum diligenter ſervabo. Atque haud ſcio an edam, cum meae qualeſcumque litterae, pro re nata conſcriptae, publicam hominum lucem intuebuntur. Ita demum factum oportebit, ne amicorum votis obſiſtere, exſpectationemque videar fatigare. Interim illud te rogo, ut, pro eo quanti me facis, Latinis auctoribus operam navare ſedulam pergas, cumque illis, tamquam cum tui, tuaeque dignitatis ſtudioſiſſimis agere in deliciis habeas. Etenim hinc tua omnis laus repetenda eſt, atque ad iſtos tuam omnem induſtriam, ſtudium, operam, ſedulitatemque referas oportet. Iſtos nunc diurna, nocturnaque manu verſare, quantum per aetatem licebit, haud te pigeat. Cum vero tuo τῷ πάνυ magiſtro duce atque auſpice eos in ſanguinem & ſuccum convertiſſe cenſeberis; ad graecos auctores animum gradatim appelles. Nimirum fontes ipſos repetes, unde ad nos ingenuae artes, ſcientiae, diſciplinaeque omnes profectae ad ſummum faſtigium pervenerunt. En quî paullatim ad ſupremam adoleſces eruditionem. Qua

tan-

tandem, uti ſpero, ſi praeſtiteris, cum proſapiae claritate, tum tua non vulgari doctrina, Patriae tuiſque eris ornamento ſingulari. Magno fortique animo fac ſis igitur, nec laboribus deterreare. Nihil enim arduum, nihil difficile, nihilque impervium volenti. His accedit, quod id es aetatis, ut nihil difficultatis non exhauriri poſſe videatur. Iis praeterea abundas praeſidiis domi, quibus facili negotio virtutem aſſequêris. Tuos tantum inſpice praeſtantiſſimos parentes: praeſto jam tibi erit acutiſſimus ſtimulus, quo ad virtutem comparandam contentiſſimo curſu inciteris. Nemo enim eſt, qui neſciat, quam bene uterque de litteris meritus ſit. A me illis ſalutem plurimam dices officioſe, tuoque eruditiſſimo praeceptori. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei prid. non. Jan. CIƆIƆCCLXIV.

DOMINICO AMATO

Paulus Moccia S. D. 48

HEbdomadario penſo, quod per orbem abſolvimus, impeditus, quominus cum Campaniae Praefecto Nivanum irem, me jure excuſavi. Verum, quî tibi amiciſſime me vocanti repugnem, qui pene in hac noſtra vicinia habitare exiſtimaris? Si hodie per tempus, quod vere piceum eſt, & urceatim aquas effuſurum minatur, carrucis prodeambulatum exeundum eſt, ſtatim huc, quamvis bene pranſus potuſque, convolabo. En, cur iſthaec fuſius, quam par erat. Alias tibi dicto audiens fuiſſem, nihil omnino cauſſatus. Quare

re me exſpecta , atque ita exſpectes velim , ut tibi non cum homine cibi parciſſimo ; verum cum edaci rem tibi futuram perſuadeas. Integram famem ad carnem jurulentam , aut potius offam affero , atque ita uſque ad aſſum vitulinum opera perducetur. Te igitur para , utque tota feſtinet familia ſedulo curato. A me ſuaviſſimo atque eruditiſſimo Crotonienſium Antiſtiti , tuaeque lectiſſimae conjugi una cum jucundiſſimis liberis ſalutem. Marchioni Galiano coram ſaluta. to ipſe propinabo. Vale.

FRANCISCO DANIELI

Paulus Moccia S. D. 49

VAlde gratulor diligentiſſimo noſtro Paulo Simonio pene Manutiis haud ſecundo, quod iis operis utatur , quae nullum emendationi locum relinquunt . Vtinam eadem induſtria , eademque ſedulitas ubique vigeret! Jam purgatiſſimi libri , nitidiſque excuſi typis manibus omnium tererentur . Praeterea quam bene ſtudioſae juventuti conſuleretur , quae neſcio quonam fato nonniſi mendoſos libros magna cum operae induſtriaeque jactura pervolutat . Quare pro virili ſollertem Paulum noſtrum cohortare , quo neque ſumptibus, neque laboribus parcat , Male ſit feſtinationi , ac avaritiae , quae duo rem typographicam prorſus peſſumdant . A me Marchioni Spiriteo viro τῷ πάνυ , atque Paulo ſalutem , Vale. Prid. kal. Octob. CIƆIƆCCLXIV.

EM.

EMMANUELI CAMPOLONGO

Paulus Moccia S. D. 50

QVod Cajetano Bronzolio aedificii ruſticani ichnographiam exaraturo ad radices montis Spinaei te comitem adjunxeris, non potui, quin id ſummopere probarem. Nam aperte oſtendiſti te illi laboranti amicum, cum eumdem Surrentinam univerſam oram animi relaxandi gratia autumnalis ruſticationis tempore peragrantem ſectatus ſis libenter. Hoc quidem amicitia poſtulat, id nos officium cogit. Quod ſi vero aegre tibi fuerit rheda convectum fuiſſe inſtrumentis omnibus architectonicis inſtructa ſuffarcinataque; ut, ubi pedem poneres, haud eſſet omnino: in mentem fac, quaeſo, revoces, quî, Surrenti cum eſſes, exceptus, acceptuſque fueris, quî cubueris ſollicantibus certe quidem plumeiſque culcitis, & iis in aedibus, ubi doſſuariae & brachiatae ſellae affatim proſtabant, & tandem quibus honoribus affectus pene intumueris. Haec ſi memineris, quantum quantum incommodi ſubiiſti, jam tibi leve fiet, neque amico quantivis pretii ſubiraſcèris. At, inquies, iſthaec quodam modo ſunt ferenda (quis non det aliquid amicitiae?) verum illud quis concoquat, quod vel ipſius rhedae procurrentes vectes ita funibus erant obligati, quippe qui Circinos, Euthygrammos, Decempedas, Gromas ſive tetrantes, ceteraque architectonica ὄργανα ſuſtinebant, ut nedum rheda, verum plauſtro vectari videremur? Crede mihi,

ſi vaſa culinaria adfuiſſent, jam Scytharum in plauſtris degentium ſpeciem praebuiſſemus. At vero ſi illud cogitaſſes, te haud cum Saltatricula, aut Pſaltria, ut nunc ſunt mores, iter feciſſe, quae ni ciſio umbella teſtudineata, velis ſericis, lemniſcis, plumeis pulvinis, cryſtallis, & ſcandulis inſtructo vehantur, vix eſt ut pedem quoquam efferant; verum cum viro Architectonices callentiſſimo, quique adeo incommodis viarum, ſiti, fami, pulveri, ſolique aſſueverit vel a teneris, ut ajunt, unguiculis, mirari deſiiſſes omnino. Quin & illud meo monitu efficies, ut talem tantumque virum, tuis carminibus, quibus jam ita inclaruiſti, ut ab axe Boreo ad Auſtrum tua fama merito perſonare coeperit, inornatum minime patiaris. Dignus enim eſt, qui poſterorum memoriae commendetur. Hem! quid ringeris? Nonne is ille eſt, quem antiquitas omnis caelo beaſſet, ſi illa in tempora incidiſſet? Ita factum. Sed haud mihi illa vis ingenii, & copia dicendi; neque ipſi animus egens laudum hujuſcemodi. Toto caelo erras, qui ita loqueris. Nemo eſt, quin a laudato viro laudibus ornari haveat. Vel ipſe perſonatus Polyphemus ſcommatis dicteriiſque omnibus proſciſſus, ubi mutato ſermone, te ad laetiora convertebas, Galateae benignam imponens perſonam, jam illico injuriarum oblitus, ita laetitiis omnibus geſtiebat, ut Jovi de felicitate bellum inferre videretur. Quare Cajetani laudibus ſi quid dicaveris opellae, vel ſubciſivis horis, quotquot reip. ſtudent, iis omnibus gratum facies. Ita quidem agatur oportet cum iis, qui publicum bonum unice ſpe-

ctan-

ſtantes, quidquid privatum eſt, in poſtremis habendum arbitrantur. Cura igitur, ut quae te amice monui, accurate exhaurias. Ita dubio procul committes, ut tanti viri memoria apud poſteritatem omnem numquam intermoritura perennet. A me illi officioſe ſalutem impertito plurimam, quam etiam meis verbis germano tuo, Eccleſiaſtici ordinis ornamento ſingulari, ac Michaëli Teſtae communicabis. Vale.

COMITI CAROLO REZZONICO

Paulus Moccia S. D. 51

PRimas tres Anacreontis odas abs te Etruſcis verſibus translatas, ac pene ad verbum exſpreſſas, maxima cum animi mei voluptate legi & relegi. Quam belle, (licet ſane quam diverſo loqueretur ore) Tejus vates niteret, quamque vivi adhuc ſpirarent commiſſi fidibus calores, non potui, quin maximopere ſuſpicerem. Ceteras quoque te miſſurum ſignificas, antequam typis committas. Vere ut dicam, avide illas exſpecto. Nam, perfeceriſne illas, quas hoc in Regio Ephebeo tantum informaveras, an penitus refinxeris, novaque methodo utendum cenſueris, id quidem certe ſcire quam maxime cupio. Quid enim? Quanti te, cum hîc nobiſcum eſſes, fecerim, haud te fugit. Hîc tu mihi aſſiduus ſocius ac ſodalis, tu mihi contubernalis eras. Tibi uni mea libraria ſupellex prae ceteris patebat, atque apud me privatim ſtudiis litterarum, quibus incredibiliter incendebaris, operam navabas.

Me tandem auctore ac duce graecam linguam auſpicatus, pene anni curriculo, totam percurriſti. Percurriſti autem? Imo & primum Iliadis librum ſoluto verſu Italice vertiſti, atque Anacreontem vario carminum μέτρῳ non ſine laude atque omnium admiratione Etruſce reddendum ſuſcepiſti. Atque id nunc laetor vehementer, quod jam ita abſolveris, quae hîc exercitationis gratia adumbraveras, ut quam primum promulgare decreveris. Perge, quaeſo, neque incepto fac deſiſtas; imo in id incumbe ſedulo, ut rempublicam novis ſemper operibus illuſtres. Egregium enim nactus divino beneficio ingenium, atque ad omnia ſumma factum, ita illo utaris oportet, ut patriae tuiſque utilitati, ac litteris litteratiſque viris gloriae atque ornamento exſtitiſſe videaris. Poſtremo, ut cetera deſint, da operam, ut ita te geras, quo parente tuo, viro de ingenuis artibus, diſciplinisque omnibus ſine controverſia praeclariſſime merito, dignus exiſtimeris. Cura ut valeas. Ex Aedibus Regii Ephebei kal. Maiis CIↃIↃCCLXIV.

BENEDICTO CLEMENTI

DE AROSTEGVI

Paulus Moccia S. D. 52

QVod Heroum bene auſpicatas nuptias graece, latineque (praefiſcini) laudaverim, id in cauſſa fuit, cur apud tuum Patruum, tamquam ardelio, ac πολυπράγμων audirem. Bo-

ne

Digitized by Google

ne Deus! quo progredimur, cum maledicendi cacoëthe incitamur! Antehac mirum in modum traducebar, quod ventralium officinas, flabellorumque opifices non raro adirem, atque illic otioſus nullam partem de ſolido die demerem, ignavuſque veluti unus e forenſi turba, tunicatoque popello marceſcerem. Abſtinui, quoad fieri poterat, meque in Bibliopolia recepi, experturus, utrum hoc pacto carpendi ardor reſtingueretur. Vix aliquot dies interquieveram, famamque, cujus non mediocrem jacturam feceram, jam me reciperaſſe laetabar; cum ecce tibi novum vellicandi genus e faucibus orci erupit. Quod maritas taedas, nuptialiaque ſacra collaudem, non leviter deſcribor. Benedicte amantiſſime, pene rumpor ira, maceror que. Id quod Lex Julia de maritandis ordinibus, Lexque Papia Poppaea ſibi propoſuerint, perinde ac ſi prorſus neſciret (aſtutus!) ita in me invehitur, ut conceptam iram numquam depoſiturus eſſe videatur. Verumtamen faciat, quod lubet, per me licebit. Namque patientia atque ἀδιαφορία id efficiam, ut praeacutum linguae gladium retundam. Quae cum ita ſint, te rogo, obteſtorque, ut illum, quoad fieri poteſt, mitiges, mihique amiciorem reddas. Profecto fieri poterit, ut metu, quo fere in ſingulos dies concutior, tandem confectus tabeſcam. Tum, amabo te, quid fiet mea miſella vetulâ? Vide, quaeſo, ut tanto malo opportune occurras. A me illi ſalutem plurimam nunciato, ubi jam iram deferbuiſſe, ac jucundiorem induiſſe vultum cognoveris. Idem officium praeſtabis meis verbis Lucae Machaonia arte prae-

ſtantiſſimo, ejuſque ſuaviſſimis filiis, ac praeſertim Michaëli Angelo forenſibus technis ad miraculum inſtructiſſimo. Tandem illud etiam atque etiam te rogo, ut ſcitiſſimae Infantulae, in cujus os omnes charites, venereſque conceſſiſſe confertim videntur, ſalutem meo nomine impertias. Vale, meque mutuis apud Deum precibus adjuva. Ex Aedibus Regii Ephebei prid. idus April. CIↃIↃCCLXII.

DOMINICO AMATO

Paulus Moccia S. D. 53

HAec curſim ſcripſi, ac vino ſomnoque ſepultus. Vix enim e diali ruſticatione reverſus me domum receperam, cum mihi tuae jucundiſſimae litterae redditae ſunt. In aliud tempus rejicere conſtitueram reſpondendi officium, metu ne praepropera officii feſtinatione inofficioſus exiſtimarer. Quî pro dignitate tantum ad virum, cui tantum litterae debent, quam cui maxime, ſcriberem, omnigena ciborum, vinorumque copia ad nauſeam uſque refertiſſimus? Quî autem manum abſtineas dubio prandio adſidens? tute, qui hac eâdem luce opipara menſa exceptus es una cum eruditiſſimo Marchione Galiano, recte judicabis. Tandem, qua fronte liberali convivatori adverſaberis, qui continenter inter prandendum: hoc probum eſt: illud melius: iſtud recte curarunt ſervuli: hoc vero artificioſe condîtum: haec vitulina acipenſerem ſapit? Et tamen pluris mihi amici imperium fuit, quam certa meae exi-

exiſtimationis, ſi qua eſt, quae certe perexigua eſt, jactura. En epiſtolam ad communem amicum Maximilianum Muraenam. Quin aequi bonique conſulas, nullus dubito. Quibus enim temporis anguſtiis coërcitus illam conſcribillarim, probe tenes. A me Galiano ſalutem. Vale. P. S. Tuum Patruum Crotonienſium Antiſtitem a me plurimum ſalutabis. Iterum vale.

JOSEPHO DANIELI

Paulus Moccia S. D. 54

QVam me ſollicitum habuerit tua adverſa valetudo, quaque jam ad duos pene menſes conflictaris, vel ex eo intelligere poteris, quod nullum ad te ventitantem abire ſiverim, quin, poſtquam de te quaeſierim, tibi ſalutem meis verbis nunciare juſſerim. Dolebam equidem vehementer te adoleſcentem bene moratum, praeclaraeque ad virtutem indolis, quique jam magnam tui exſpectationem concitaveras, jam eo perveniſſe, ut pene jam a viris medicis de tua ſalute conclamaretur. Quanta modo laetitia affectus ſim, cum te jam bene habere certis auctoribus accepi, tute facile judicabis. Atque eo magis laetatus ſum, ubi relatum eſt, quod nedum vires, verum etiam corpus recipere occoeperis. Quare iterum in eam ingreſſus ſum ſpem, qua praeteritis diebus fere decideram, nimirum fore, ut ſimul ac firma commodaque valetudine uti incipies, illa revoces ſtudia, quae morbi cauſſa intermiſiſti. Neque dubito, quin tibi perinde u-

ſu-

ſuveniat atque iis, qui ruſticatum abierunt, qui ſtatim ac lares quiſque ſuos repetunt, acrius ad intermiſſa negotia animum convertunt. Interim vero illud te etiam atque etiam rogo, ut ſaluti parcas, animumque, quoad licuerit, remittas. A me tuo germano ſalutem plurimam impertire. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei IV. non. Octob. CIƆIƆCCLXIII.

FRANCISCO DANIELI

Paulus Moccia S. D. 55

Elegantiſſimum juxta atque ad unguem perfectum clariſſimi viri Joſephi de Januario τοῦ μακαρίτου elogium, quod mihi dono peramanter dediſti, ubi perlegi, mihi temperare non potui, quin nulla interpoſita mora per litteras meam tibi ſignificarem voluptatem. Quid enim? Virorum praeclariſſime de litteraria Rep. meritorum, qualicumque data occaſione, quantum in nobis ſitum eſt, memoria poſteritati commendetur oportet. Sane quidem haud alia ratione fieri poteſt, ut erga illos, quibus tantum debemus, quantum vix aut ne vix quidem perſolvi poteſt, ſi non referenda gratia, ſaltem habenda, officioſi gratique videamur. Quare, ne boni viri officium deſeruiſſe jure ac merito redarguerer, quippe qui publicum bonum ipſe unus oculis irretortis, atque ἀδιαφόρως intuerer, tibi gratias ago maximas, habeoque immortales, quod me nihil tale merentem tanto tamque ſingulari munere beaveris. Quid enim mihi jucundius, quidve optabi-

tabilius poterat contingere, quam viri ad miraculum eruditi elogium, nedum miro latini ſermonis nitore; ſed preſſo, nervoſoque dicendi genere conſcriptum; verum etiam veluti peniculo delineatum, atque ad vivum expreſſum contemplari? Accedit quod ſapientiſſimus auctor ita illum, puerum, adoleſcentem, juvenem, ſenemque proponit legentibus, ut, qui is in omni vita vitia defugerit, quique virtutem ſedulo ſemper ſecutus ſit, ſepoſitis partium ſtudiis, veritatis unice ſtudioſus, patefacere voluiſſe facili negotio dignoſcatur. Quod quidem tum gnavum, diligentemque *βιογράφον* maxime decet; tum etiam peculiari quodam jure modoque in Aurelii vitam quadrare nullo non conſentiente exiſtimatur. Ita enim natura comparatus erat, ut veritati vel *πάσης οἰκουμένης* dominatum imperiumque 'poſthabere; quam ne latum quidem unguem ab illa mallet aberrare. Quamobrem auctori praeſtantiſſimo, ſollertiſſimoque magnopere gratulor, quod ita laudationem *πολυμαθεστάτου* viri pertexuit, ut non ſolum Patriae monumentum aere perennius reliquerit; verum etiam univerſis exemplum ſolidae, minimeque ſucatae virtutis ad imitandum propoſuerit. Et quis ſcit, an tanti viri, poſtque fata majoris exemplo, tantis tamque doctis editis operibus, ſtudia qua amoeniora, qua ſeveriora magis magiſque augeſcant, ſacratioriſque juriſprudentiae dignitas, ad illud ſplendoris culmen, faſtigiumque perveniat, quo illam clariſſimi viri legum callentiſſimi laudabiliter perduxerunt? Forſan hanc noſtram aetatem, qua litterae refloreſcunt, tanta tamque incredibilia

bona

bona, commodaque manebunt. Faxit Deus Opt. Max. ut ſpes, in quam non temere ingredimur, exitu comprobetur! Marchioni Salvatori Spiriteo, viro ſubacti ingenii, omnijugena eruditione ac doctrina exculto, atque ad promovendas bonas artes diſciplinaſque, eorumque, qui iis inclaruere, memoriam ab interitu vindicandam proprio quodam naturae munere facto, meis verbis ſalutem plurimam perofficioſe impertitor. Vale, meque, ut facis, ama. Ex Aedibus Regii Ephebei poſtrid. non. Decemb. CIƆIƆCCLXI.

BENEDICTO CLEMENTI DE AROSTEGVI

Paulus Moccia S. D. 56

QVae ſolido virtutis fundamento nititur amicitia, atque mutua benevolentia, officiiſque ultro citroque culta confirmataque eſt, haud patitur, ut locorum intervallo, mariumque interjecto ſpatio vel tantillum obliteretur, minimeque frigeſcat. Quin mutuis litteris, quibus perbelle abſentium veluti colloquium, commerciumque ſervatur, ita plerumque augeſcit, ut de locorum diſtantia haud conquerendum videatur. Abſque enim eo eſſet, quanam alia re, amabo te, a feris differemus? Quae ſentimus, ita litteris concredimus, itaque conſignamus, ut cum amicis colloqui, inambulare, ludere, confabulari, epularique videamur. Quare licet urbe abſitis, ruſticationeque fruamini; tamen ita mihi adeſtis, ut animo veſtra ſpectra aſſidue obſerven-

tur.

Digitized by Google

tur. Quod profecto immenſum creſcet, atque praeter modum voluptas cumulabitur, ſi a ſcribendo minime ceſſaverimus. At, inquies, enecat ruſticantes vel leve defunctoriumque ſtudium, penſumque vel rudi calamo abſolvendum. Haud diffiteor, manuſque darem, ſi ſeria, graviaque ſcripturus, animo, cui iſthic liberiores laxantur habenae, vis eſſet inferenda, quodque exaratur, ad trutinam eſſet revocandum, tamquam acerrimorum judicum examen ſubiturum. Quid, ſi chartis illinendum, quidquid in buccam venerit, nullumque epiſtolae conquirendum argumentum? Quid, ſi ſcribendum, quod edentula anus ſuburbani Domina, diligentius attentiuſque ſolito uvis carpendis operam det, caveatque, ne racemus quidem depereat; quodque excubiarum ritu tamquam e ſpecula circumſpectet, ne quis pirum, malumque punicum ſuffuretur? Quid, ſi ſcribillandum, quod ſcitiſſima coqui filia cum eleganti lepidoque Michaële inter prandendum altercetur, pugnâque victrix diſcedat, tuo ſuaviſſimo Patruo plaudente, cachinnoſque tollente? Haec aliaque hujuſcemodi ſuppetent, ſi meam hîc ſolitudinem commiſeratus, me nihil tale merentem recreare volueris. Verum haud tale ſe mihi nunc offert argumentum, cum tuo fidiſſimo Achati ea ſim perſoluturus officia, quae vel Tullianam vincunt eloquentiam. Luſtrico enim ipſius die recurrente, unde exordiar, neſcio. Annosne illi Neſtoreos adprecer, an Croeſi divitias, Attalique? Thiaram, trinamque Coronam, an vero animi tranquillitatem nullo adverſariae fortunae impetu perturbandam? En ad tempus Venuſi-

nuſinus Vates auriculas mihi vellens me monet, ut ipſi mentem ſanam in corpore ſano uſque ad extremum ſenium enixe exoptem , Deumque O. M. obſecrem , ut haec ei munera propria faxit. O factum bene! Neſcio quo modo mea ceteroqui jactata navicula , fluctuumque impetu perculſa tantum tamque immanem ſcopulum incolumis ſit praetervecta. Profecto, qui Horatio dexter adſtitit Apollo, cum a garrulo conficeretur, idem me ſervavit , tantoque eripuit periculo. Qua de re ſi hujuſmodi tibi argumenta pertractanda proponerem , utique iniqui putidique viri nota inurerer, meritoque vellicarer. Sed jocorum, tricarumque ſatis. A me Patruo tuo mihi oculis ipſis cariori , quemque intimis animi mei ſenſibus nedum diligo , verum etiam amo, ſalutem Athleticam , ruſticationemque fauſtiſſimam, optimeque ominatam. Meo quoque nomine Michaëlem Angelum non injuria tanto inſignitum nomine plurimum ſalvere jubebis, vitamque corniculae comprecaberis. Vale, meque quam devinctiſſimum tibi exiſtimato. Vale.

P.S. Aloyſius Archintus tuo Patruo, tibi, tuoque praeceptori ſalutem plurimam impertit; idemque officium praeſtato, ni grave eſt, iiſdem nomine omnium Regiorum Epheborum , qui , cum jam jam complicarem epiſtolam, me, ut id ipſorum verbis adſcriberem , etiam atque etiam rogarunt. Iterum vale.

DO-

DOMINICO AMATO

Paulus Moccia S. D. 57

LVſtrico tuo recurrente fauſtiſſimo die, ea tibi intimis animi mei ſenſibus ab omnium bonorum largitore Deo precor, quae mihi conjunctiſſimo amico conceptis votis exoptarem. Quid, ſi hunc litterae qua politiores, qua ſeveriores ad miraculum uſque una cum aureis moribus excolerent? Tum quidem certe nihil prorſus eſſet, ſive dignitate, ſive pretio, ſeu quovis alio nomine commendabile, quo non eum dignum exiſtimarem. Is tu profecto es, amice in paucis care: in te haec omnia examuſſim conveniunt, quippe qui unus omnium praeclariſſime de litteris diſciplinisque cunctis mereris. Et quod caput eſt, ea tu es modeſtia, ut, tum cum maxime laetaris, gaudioque exultas, cum ceteros fefelliſſe vidêris. Macte quaeſo iſthac non vulgari virtute, ac de te ipſe demiſſe ſentire pergito. Ita profecto fiet, ut cum tibi numquam ſatisfacias, nobis in dies operoſioribus ac utilioribus ſummi ingenii tui fetibus etiam atque etiam ſatisfacias. Doleas per me licebit, quod tenui ſis ingenio: modo in litterariam rempublicam tot tantaque bona ab iſta tenuitate proficiſcantur. Illud vero meum eſt officium, ac non ſine maximo piaculo hac praeſertim fortunatiſſima luce Divo Dominico ſacra deſereretur, nimirum Deum O. M. enixe orare, ut tibi Neſtoreos annos benigne impertiatur, teque non ti-

bi

bi tuiſque , ſed bono publico natum quam diutiſſime incolumem ſoſpitemque tueatur. En tibi ceteros ingenioſae educationis tomos mira prudentia refertos. Societatis vero nova omnino elementa atque uſque adhuc, quod ſciam, intaĉta nondum abſolvi. Mirum quantum omnigenis occupatiunculis in dies ſingulos diſtringor. Vale.

ANDREAE FARINAE

Paulus Moccia S. D. 58

LEĉtis tuis melle Hyblaeo dulcioribus Hendecaſyllabis, tuis, inquam, quia te duce atque auſpice ab alumno tuo concinnata elucubrataque ſunt, non potui, quin ſummopere tuam prope divinam induſtriam atque in erudiendis adoleſcentulis dexteritatem collaudarem. Proh ſuperûm fidem! tam brevi tempore (nondum enim annus effluxit) tantas iſtos tuos auditores progreſſiones feciſſe, ut publicam lucem editis carminibus intueri minime vereantur? Vereantur autem? imo jam ſine cortice nare poſſe crediderim. Qua de re gratulor Fabricio, quod jam hominum exſpeĉtationem ſuperarit. Gratulor praeterea tibi, quod pene jam laborum fruĉtus uberrimos perceperis. Gratulor tandem fortunato Parenti, quod eos naĉtus ſit liberos, quos ſibi magno ornamento futuros nemo omnium eſt, quin auguretur. Quoad impreſſionem ſpeĉtat: titulus idem retentus eſt, quippe qui ad rem erat. Editio curata eſt quam diligentiſſime. Nullum omnino

mnino mendum irrepſit. Exemplaria ad centum & viginti excuſa ſunt, quorum duo apud me ſunt. Cetera tradidi ſervo, prout juſſeras, una cum elencho impenſarum, tum quoad impreſſionem, tum quoad compactionem. Quo ipſemet typographo deferret, mandavi. Tandem & illud eidem non vulgariter commendavi, nimirum ut quam accurate illa compacta tela cerata operiret adverſus pluviarum lutique injurias. Hugo Petra eques quantivis pretii tuis alumnis, quo ſalutem ejus nomine adſcriberem, mihi praecepit, non ſine querimonia intermiſſionis litterarum. Conquerebatur enim ſuis litteris reſponſum minime fuiſſe. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei poſtr. non. Octob. CIↃIↃCCLXIII.

EIDEM. 59

QVod omnia exempla elegantiſſimi Phaleucii Fabricii Pignatelli tui alumni tradiderim, praeter duo tantum, in cauſa fuit metus, ne tibi iſthic deeſſent. Nec temere. Quis enim non illa ambiat ac deoſculetur? Praeterea gratias tibi Fabricioque ago, quod qualemcumque meam curam, quam illis edendis corrigendiſque impendi, aequi bonique feceritis. Haud vero eſt, quod doleas vocem *adprecatio* minime in Lexicis inveniri. Num te fugit illud Venuſini vatis? *rite Deos prius adprecati*. Quid non inde *adprecatio* ſponte ſua fluet? Qui Tabulas Heracleenſes, ac commentarium Alexii Mazochii, viri de antiquitate praeclariſſime meriti, vel leviter legerit, id liquido intelliget. Proh quot quantaſque voces

illic deprehendimus, quas temporis injuria obruerat! Cui umquam notum vocabulum *Laniſtitium*? Et tamen illinc erutum eſt. Quot graecae dictiones in lucem prodierunt, quae ad duo millia annorum in tenebris delituerant? Quare bono fac ſis animo, ac ſuſpicionem omnem amolitor. Atque id eo vel magis, quod jam truncus exſiſtit, unde proles ſuboleſcere potuiſſet. Quam complicatam miſiſti epiſtolam, jam ad tuum germanum perferendam curavi una cum exemplo Hendecaſyllaborum, quod penes me erat. Qui enim epiſtolam tuam pertulit, janitori ubi tradidit, abivit. A me excellentiſſimo Principi, ejuſque ſuaviſſimis liberis, ac nominatim Fabricio, ſalutem plurimam nunciato. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei x. kal. Novemb. CIↃIↃCCLXIII.

EIDEM. 60

HEm! tanta te nec opinum corripuit fames epiſtolaris, ut continenti perpetuoque litterarum commercio non modo non minuatur, verum etiam in dies magis magiſque ingraveſcat? Vt verum ingenue fatear, animo concidi, ac vix mihi tantum virium ineſſe cerno, quî tam improbo labori ſufficiam. Et quod magis mirabile eſt, ſi quando, vel tabellarii incuria, vel temporis cauſsâ, epiſtola forte deeſt, ita ringeris, tamquam de bonis, fortunis, ac capite ipſo agatur. Vel ipſo ruſticationis tempore, cum nemo non animum relaxat, conqueri auſus es, quod ſcribere vel ſemel intermiſerim. Parce, precor, amico

mico non exiguis occupationibus diſtento , ejuſque non firmiſſimae valetudinis rationem habeto. Illud cogites velim, quid meis fiet, quorum innumerum pene numerum noſti , ſi quid mihi humanitus contigerit ? Quare brevibus litteris , iiſque levi calamo ſcriptis contentus eſto . Haud enim ex illis, quî ſcribam ; verum quî te amem (amo equidem te intimis animi ſenſibus) intelligas velim. Quod ſi ita te geſſeris , qualicumque te epiſtola , tamquam promulſide dumtaxat conficiam . Hîc Novemdialia indicta ſunt, ac interim Theatra omnia conſtiterunt, Poloniae Regis morte. His exactis, iterum ſcena reſumetur. Vale.

MARCHIONI SALVATORI SPIRITEO

Supremi S. Clarae Conſilii a Secretis

Paulus Moccia S. D. 61

FOrenſem vafritiem , cauſſidicorumque tricas ſemper juxta atque peſtem externamque luem averſatus ſum. At vero iis loco uti , non ultimam ſapientiae partem exiſtimavi. Quidquid enim intra recti aequique fines ſiſtit , modumque non excedit , commendabile eſt. Haud te detinebo pluribus. Hodierna luce multis capitibus fauſta , ac eo etiam nomine , quod tuus luſtricus dies recurrit , ſi ad te , quem ceteroqui ſemper comem , humanum , affabilem , benevolumque expertus ſum, ipſemet de more veniſſem, haud ſcio an admiſſus eſſem . Statim profecto ac

Procaetonem ingreſſus eſſem, illud audiſſem per admiſſionum Praefectum: *Herus, hui! quot negotiis diſtrictus ringitur! ſummo mane e lecto ſurrexit, & necdum oſtium crepuit. Ni fallor, ad abacum aſſidet heſternum momentoſum negotium expediturus. Redi cras, perendie. Credideris? ne per nos quidem pretioſioribus veſtibus indutos (viden!) ſe ſalutari paſſus eſt. Ita ſalutatorum moleſtam turbam exſecratur*. En quae mihi aulicae vitae peritiſſimo (jam enim ad XIV annum hoc ſaxum volvo) reſponſa fuiſſent reddita, devoratis jam declivibus tuarum aedium gradibus, vixque ſpiritum ducenti. Quare aliam mihi viam ineundam duxi, quo voti compos, pene ſine ullo labore, evaderem. Ad rudes ac molli brachio fuſas litteras tamquam ad anchoram confugi. Hîc certe nulla cauſſa, hîc nullus color, nulluſque emendicatus praetextus per admiſſionalem Praefectum in medium proferri poteſt. Haud temere litteras aedibus extrudit; neque ita ſuae famae, ac commodi parum ſollicitus eſt, ut Hero illas non exhibeat. Timet aſtutus, ne quid momentoſum in illis agatur. En, qua plerumque eſt imperitia ac bonitate (ignarum fere atque ignavum hominum genus hoc munere fungitur) litteras excipit, ſuiſque ipſius manibus eas Domino officioſae turbae, eo praeſertim die, faſtidioſo libens ſiſtit. Caperabit interea ille frontem, atque ore diſtorto pedes ſupplodet. O maria! o caelum! o terra! iratus clamitabit. At vero ego voti compos laetitiis omnibus exulto. En, cur per litteras ea tibi ex animi ſententia opto, quae coram tibi, manu prius rite adorata,

ta, ab omnium bonorum largitore Deo enixe eſſem precatus. Haec igitur abſentis officia aequi bonique conſulito, atque ita velim agnoſcas, tamquam praeſens praeſenti detuliſſem. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei poſtrid. non. Sextil. CIƆIƆCCLXIII.

EMMANVELI CAMPOLONGO

Paulus Moccia S. D. 62

Alſne Ludovicum germanum tuum de Philologia praeclare meritum uſque adeo non abhorrere a meis litteris, ut illas etiam in deliciis habere coeperit? Quod illas, te hortante, vel leviter ac defunctorie legiſſet, id mihi tanti fuit, ubi per te comperi, ut nihil mihi amplius optandum videretur. Nunc, quî exultaverim, quantaque perfuſus ſim laetitia, poſtquam reſcivi, eas & ipſi ſapere, atque aliquo in pretio haberi, tuum judicium eſto. Tanti profecto illum facio, tantumque ipſi jure ac merito tribuo, ut, ſi ejus in judicio dumtaxat acquievero, omnium judicio me niti, non temere exiſtimem. Qua de re te etiam atque etiam oro obteſtorque, ut illi meo nomine gratias agas, quod de me tam honorifice ſenſerit, quodque meam induſtriam ſua aequanimitate ad ſcribendum auxerit. Atque ita prorſus fiet, ut, ſi quid publice profuero, (abſit verbo jactantia) ipſi primum, tibique deinde acri impulſori, omnino acceptum referendum eſſe videatur. Admotis veluti facibus me indormiſcentem excitaſtis, utque publicam homi-

num lucem intueri audeam, pene jam effeciſtis. Bone Deus! haud contenti Remp. litterariam per voſmetipſos operibus immortalitate dignis ornaſſe, ceteros quoque, quo pro ſe quiſque ad idem faciendum contendant, cohortari non deſinitis? Pergite, quaeſo, ac veſtro exemplo, quo mirifice univerſis praelucetis, viam ad virtutem, quam aſperam ſalebroſamque vulgus exiſtimat, quoad fieri poterit, expedite. Vobis enim praeeuntibus, nemo erit, quin ſe itineri committat, ac, difficultatibus exhauſtis, eo brevi perveniat, quo nullo comite ac praemonſtratore ſe perventurum deſperabat. Interim Deum O. M. enixe precor, quo vos & natura & ſtudiis vere germanos publicoque bono natos quam diutiſſime ſoſpitet, ut cunctis ad virtutis aditum procedentibus, quam diutiſſime facem praeferatis. Dominicum Amatum, Cajetanum Bronzolium, ac Dominicum Malarbium, quos plus quam oculos meos amo, meis verbis plurimum ſalvere jubebis. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei prid. kal. Octob. CIↃIↃCCLXIII.

IDEL.

IDELPHONSO CLEMENTI
DE AROSTEGVI

Hiſpaniarum apud utriuſque Siciliae Regem Oratori

Paulus Moccia S. D. 63

LVſtrico jam tuo illuceſcente die, novis votis nuncupandis ſuperſedebo. Illud vero Deum O. M. enixe oro, ut, quae praeteritis annis pro tua incolumitate volens libens ſuſcepi vota, illa firma rataque eſſe patiatur. Ipſe enim id pro virili petieram, ut te, ſemper novis honoribus auctum, ſoſpitem tueretur, tuique fratris filium, tibi oculis ipſis cariorem, recte valentem ampliſſimis dignitatis gradibus ornaret. Idque exoravi. Qua de re tibi gratulor, quod optatis potitus es; mihi vero gaudeo, quod jam voti damnatus ſum. Perſolutis igitur, uti par eſt, illi gratiis, a quo tanta bona profecta ſunt, quemque deinceps majora tibi tuiſque largiturum confido, tandem ei majore hoſtia litabo. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei x. kal. Febr. CIƆIƆCCLXIV.

FRANCISCO DANIELI

Paulus Moccia S. D. 64

EN tandem divino prorſus conſilio factum eſt, ut, quae invidum ſane, rerumque omnium edax tempus tamdiu hominum genus celaverat, denſiſque tenebris circumſaepta tantum non abſumpſerat, hoc fortunatiſſimo ſaeculo, ab interitu vindicata, publicam in lucem prodirent. Ad CC. annos & amplius, clariſſimi Antonii Telesii quantivis pretii Opera delituerant, ſituque pene corrupta marcuerant; &, quod caput eſt, nulla affulgebat ſpecula fore, ut e tenebris emergerent, ſqualoreque deterſo hominum conſpectum lucemque intuerentur. Quodque deſperatum profecto, atque conclamatum opus videbatur; illud, te uno, quali quantoque juvene! accurante, & expeditum eſt celerrime, atque ad exitum perductum quam feliciſſime. Ipſe enim nulli pepercisti labori, nullas non exhauſiſti difficultates, nihilque tandem intentatum reliquiſti, quo omnia penitus laudati Auctoris Opera undique diligenter conquiſita corraderes, inque unum coacta volumen promulgares. Quantum vero operae pretium feceris, quamque fructuoſe operam collocaveris tuam, is haud dubie intelliget, qui vel defunctorie tanti viri, tamque praeclare de litteraria republica meriti divinas lucubrationes percurrerit. Tot quidem, tantiſque abundant ingenitis bonis, iiſque in oculos nulli non incurrentibus, ut, quid prius mirere, quidve poſterius, am-

ambigas oporteat. Tanta enim ſe prodit elegantia, puritas, nitor, tantaeque enitent veneres, ubi proſa utitur oratione, ut nihil cultius, nihilque ornatius optari poſſe videatur. Quod ſi ad ea, quae metro adſtricta ſcripſit, oculos animumque converteris, mirum profecto erit, ſi tibi conſtiteris. Jam ad ea te derepente tempora, neſcio quanam occulta vi, impetuque pertractum, ac ſenſim ſine ſenſu translatum intelliges, quae Landinum Vatem, Venuſinumque Alumnum tulerunt. Abſit vero, ut iſthaec inter paradoxa amandentur. Siquidem Antonii Telesii elegantiſſima juxta atque puriſſima Poëmatia ita Achillis Statii, ac poſtea Joſephi Scaligeri (proh quam emunctae naris viros, quamque ſagaces!) oculos praeſtrinxerunt, ut illa tamquam diu, ſeu temporum injuria, ſive hominum inertia atque incuria, tenebris conſepulta, demumque eruta atque vitalis lucis uſura iterum donata, jure poſtliminii Caſſio Parmenſi vindicaverint. Neque *σφάλμα τῦτο ἀναχρονιστικὸν* detectum patuiſſet, ni ipſemet Sertorius Quadrimanus, qui Achilli Statio impoſuerat, ſive dedita opera, ſive imprudens in quadam epiſtola ad Franciſcum Baronem, qui tum in philologicis facile primas ferebat, quae inferne poſuimus (†), ſcripſiſſet. At enim cui hoc acceptum referendum eſt? Incompara-

(†) Quattromani (*Lettere lib.* I. *lett.* XIII.) Avrà V. S. con queſta un' altro Poema dell' iſteſſo Telesio intitolato da lui *Orpheus*, il quale è così dotto, e così maraviglioſo, ch' egli medeſimo vi ſcriſſe ſopra: *hoc imprimatur omnino*. Veggialo con diligenza, che il giudicherà tale, quale è ſtato giudicato dagli altri.

parabili profecto tuae induſtriae , atque ἀκαμάτῳ ἀρχαιολογίας ſtudio , quod pene una cum ipſo lacte hauſiſſe videris . Jam vero , ut omnia omnibus numeris abſolveres , operique feliciter incepto , atque ad umbilicum laudabiliter perducto coronidem imponeres , quae ceteri ſparſim , pro re nata , atque aliud agendo de ANTONIO TELESIO litteris conſignata reliquerunt , ea Tu , tamquam Abſyrti disjecta membra naviter colligens ita affabre compegiſti , ut uno prorſus tenore continentique ſerie , atque ab uno eodemque auctore profecta & exarata eſſe videantur . Proh quale & quam verſatile ingenium ! Ecquid enim , amabo , eſt tam retruſum , quod non luce meridiana clarius reddis ? quid tam a vulgari cognitione remotum , quod non ita facile aſſequeris , tamquam ſi de trivio , nulloque labore peteretur ? Poſtremo, ne longus ſim , omnibus his unum tantummodo addam , quod nemo , ni fallor , negaverit , nimirum te ita purum putumque aureorum Scriptorum dicendi genus probe callere , ut nativo puritatis candore atque elegantia , quaecumque publici juris feciſti , ſe commendare videantur . Haec me neque aſſentandi cupiditate , neque veritatis infuſcandae gratia ſcripſiſſe ; ſed tantum ut quae ſentiebam ingenue aperirem , neminem omnino fore confido , qui inficias ſit iturus . Jampridem animis omnium , quibus cor ſapit ac palatum , iſta inſedit opinio , te ſupra tenerae aetatis vires , ea iſtud aetatulae edidiſſe ingenii experimenta , quae nonniſi a conſummatae litteraturae viro , eoque ſubacti ingenii exſpectari poſſe videbantur . Qua

de

de re te etiam atque etiam oro obteſtorque, ut haec, qualia ea cumque ſunt, aequi bonique conſulas, tibique perſuadeas, me tibi, tuaeque famae tantum eſſe addictum, quam qui maxime. Quod ſi feceris, uti non deſpero te facturum, me tibi beneficii memoria devincies ſempiterna. Marchionem Salvatorem Spiriteum, virum omnigena, qua ad miraculum uſque excolitur, eruditione, hujuſce ſaeculi lumen ac ornamentum, cujus quotidianae conſuetudini tantum debes, ut, quidquid es, te illius ope aſſecutum non injuria prae te feras, a me ſi plurimum ſalvere juſſeris, per mihi gratum facies. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei kal. Mart. CIƆIƆCCLXII.

BENEDICTO CLEMENTI DE AROSTEGVI

Paulus Moccia S. D. 65

ENimvero perii, actum eſt de me, conclamatumque. Calamitates enim, quibus non mediocriter conflictor, non modo hominum animos non tangunt, neque miſericordiam cient; verum etiam, quod pejus eſt, illos efferatiores faciunt, ſolitoque immaniores. O tempora! o mores! Nec opino correptus morbo, ſeu potius rheumate, decumbere coactus fui. Vix in lectum, quem feſtinanter ſtraverunt, aſcenderam, vaſtumque corpus compoſueram jam gauſapa bene contectum, cum gelidum frigus per oſſa nervoſque pervaſit. Deinde ita contremui, itaque ſubſultim

tim membra dimovi, ut, continenti ſuccuſſatione, ſcamna aſſereſque tantum non in fruſtilla lancinata diſſiluerint. Cohorrui, ſteteruntque comae, denteſque dentibus reciprocante motu contuſi colliſique fremuerunt. Vix frigus, rigorque conſtiterat tremoris, cum derepente ita concalui, ut igni, qui interius oſſa nervoſque depaſcebatur, tandem abſumendus viderer. Hinc modo dextrum, modo ſiniſtrum latus expertus, ne hilum quidem profeci. Nihil intentatum reliqui: procubui, incubui lecto, num ita loco ſtare poſſem: verum omnia irrito conatu. Incredibili aeſtu torquebar. Tandem excalefacta cutis tot tantoſque improviſo meatus patefecit humoribus jam erumpentibus, ut a calce ad caput totus maduerim. Induſium madefactum adhaeferat carnibus, neque, niſi aliena ope, detractum fuit. En tantillum requietis, ſed nulla affulgebat ſpes fore, ut ſomnum caperem: oculi pervigiles erant, tamquam diuturna exſaturati quiete. Cibi nulla orexis; tantum lingua, quae jam calore exaruerat, aquae appetens, qua illam affatim prolui. Proh quot quantaque in uno morbo incommoda malaque! Nemo non me tantis conflictatum aerumnis commiſeratus eſt. Quid enim tam aequum, rationique conſentaneum eſt, quam hominem nihil humani a ſe alienum putare? Et tamen, quis crederet? tuus amantiſſimus Patruus, quem natura clementem, etiam Clementino cognomine donavere Majores, audito meo morbo per Paternonium noſtrum in Regia Pinacotheca, vix haec, ſed frigide protulit: en paratum eſt remedium: *Qui rheumate laborant, octonaria inedia utuntor.*

Aſtu-

Aſtutus! Quî, amabo te, ad octiduum vitam producerem, ni labans venter vacuuſque aliquo cibo ſuffulciatur? Vel ipſi Chamaeleonti id difficile, licet, ſi vera fabulis tribuamus, aëre paſcatur. Itane illi neglectui ſum, ut vita mea aeque afficiatur atque morte? O fallaces meas ſpes! utique haud deſperabam futurum, ut, meo morbo audito, ſtatim peregrinis me donaret vinis iiſque ſelectioribus. Hui! quam bonum eſt, ſapidum, fervidumque illud, quod neſcio quo caſu de *Siccis* vocitant! Nihil enim aeque aptum ad rheumata profliganda atque vina quam generoſa. Torpentes quidem humores attenuant, aptioreſque efficiunt, quo foras facilius erumpant. Vt omnia uno verbo comprehendam: tot tantiſque malis, vinis dumtaxat iiſque optimae notae obviam itur. Amice mihi oculis ipſis carior, quanto correptus ſim dolore, ubi frigidum reſponſum accepi, ex iis, quae ἀτάκτως chartis illevi, haud difficile intelliges. Tantum non perii. Nihil quippe minus exſpectabam. Vale.

EIDEM. *66*

HAud falſus vates fuiſti. Jam enim pituita omnino carebam, quique me tentaverat calor, jam deferbuerat, imo prorſus effluxerat, cum tuas elegantiſſimas litteras perlegi. Atque nunc cum maxime perſuaſum habeo, amicos plerumque, quae ad amicos pertinent, nedum perſentiſcere, verum etiam praeſagire. Neque id temere ſentio. Namque cum ſit amicus dimidium animae alterius amici, cumque duo corpora

ra una pene inſideat regatque anima, quis neget, quin, quae in nobis fiunt mutuo utriuſque *ὠσίας* commercio (quî fiant, viderint philoſophi) eadem, amicorum ratione fere eodem vinculo conjunctorum, contingant? Idque haud multis abhinc diebus mihimetipſi accidit, cum lecto decumberem, neſcio quonam importuno phlegmate implicitus. Ab Antonio enim Serſalio pedeſtris cohortis ductore, ſuavitate morum praeſtanti equite, qui nunc Meſſanae moratur, litteras àccepi; ſeque, ut excuſatum haberem, me rogabat, quod ſua ipſius manu minime ſcripſerat, morbum cauſſatus *ἐπιδήμιον*, qui illic graſſabatur licet impune; idemque ſubdebat, haud ſcio an iſthic quoque furat ſerpatque, tuque etiam illo urgearis. Commodum (credideris?) mihi jacenti, eoque morbo laboranti litterae redditae fuerunt. En quî haud dubie fieri potuit, ut me convaluiſſe jam, morboque emerſiſſe quaſi divinus praeſcieris. Verum haec ſatis. Quod tuus mei ſtudioſiſſimus Patruus me non vulgariter Hoſtiliani Principi viro commendaverit, ipſi tibique gratias ago maximas, habeboque, quoad mihi vita ſuppetet, immortales. Vtinam Deus Opt. Max. meis votis annuat! A me Patruo tuo, cui, quidquid ſum, acceptum refero, licet aliud agere meiſque commodis *ἀδιαφόρως* conſulere videatur, a me, inquam, ſalutem pugilicam impertito peramanter. Quod officium, ut illi etiam verbis Martini Panſani perſolvas, te rogo obteſtorque. Commodum heri perveſperi cum funus Fraggiannianum viſum iviſſemus, id mihi quam accurate in mandatis dedit. Archintus, Somaliaque te reſalutant amiciſſime. Caeſari montis

tis

tis Pagani Marchioni dolet, quod neſcio quo fato anguillae omnes, quas olim Sebethus alebat copioſiſſimas, nunc effugerint, evaſerint, perierint. Quare te obſecrat, ut ipſum excuſes, quod promiſſum non praeſtiterit. Haud enim per ipſum ſtetit, quominus obligatam fidem liberaret. Te igitur ſalutat una cum tuo Patruo de ſe optime merito, quam officioſe. Proh labilis memoria! Jam pene animo exciderat, quod in primis ſcribendum fuerat. Quos communione menſae cohoneſtaſti ephebos equites ab aſcopêra, ii me ſtatim de eo certiores fecerunt, utque ego etiam tibi gratias eorum nomine agerem per litteras, me etiam atque etiam rogaverunt. Quî igitur tibi gratias agam? Pudore ſuffuſus humanitatem tuam deoſculor. Michaëlem Angelum, ejuſque dulciſſimum Parentem, amantiſſimoſque fratres ſalutabis meo nomine ſingulatim. Cura ut valeas, familiamque tuam omnem ſalvere jubeto officioſe. Ex Aedibus Regii Ephebei III. idus April. CIƆIƆCCLXIII.

P. S. Quam tibi adſcribo ſalutem, eam tibi dicunt Trinitarius Miniſter, qui meliuſcule habet, oculiſque utitur commodius, & Hiſpanus Pater, qui nuper ab aeterna Vrbe huc advenit, quemque hac veſpera in Area maxima ante Caſtrum novum obvium habui, cum forte fortuna ſimiam juxta Aretalogi praecepta ſaltantem proſpicerem. Iterum vale.

DO-

DOMINICO AMATO

Paulus Moccia S. D. 67

QVod domum tuam nondum venerim, neque officio, uti par erat, ſatis meo fecerim, ne mirere precor. Is enim ſum, qui non dicis cauſſa amicos ſalutare aveo, & ſatis habeo, ſi atrii cuſtodi dixerim: *memento, ubi Herus ſalvus redierit, illi dicas, me adveniſſe, ut ipſi manum adorarem. Id mihi eſt nominis, & is ipſe ſum, quem ipſe heſterna die una cum Joanne Baptiſta Puccio Regio in Ephebeo inviſit. Ne oblviſcare, quaeſo te, vale.* Hoc ſi pacto me gererem, haudquaquam tamquam inofficioſus male audirem. Verum ab hoc officiorum genere, tantum quo amicis (utinam non fictis!) illudatur excogitato, ita abhorreo, quam qui maxime. Jampridem tuas ad aedes ceteroqui non valde diſſitas, & quod caput eſt, prima in contignatione ſitas, me contuliſſem, tuaſque ſcalas adſcenſu deſcenſuque detriviſſem, ni illud perſuaſum habuiſſem, mihi tantum cum tuis ſervis fuiſſe ſalutationis negotium tranſigendum. Primo enim mane lectulo ſurgis, tum quo forum frequentes, tum quo Regis vice defungentes miniſtros adeas, tuorum clientium negotiis operam daturus. Contra vero hîc nonniſi ſummo die aeris campani ſigno excitamur, quippe qui fere ſemper nocte intempeſta cubitum pergimus. En quî fit, ut infrequens ſim, ac tamquam officii immemor merito traduci poſſe videar. Quare ſi vis tecum pom-

patico

patico pittacio agatur, jam nulla interpoſita mora Paulo Simonio Typographorum diligentiſſimo, ut mille exempla excudat, mandabo. Tunc nedum ſemel atque iterum, verum centies te conveniam, pulſatoque oſtio audiam per ſervum Atrienſem. *Quem quaeris? eſtne herus domi? Hui! jamdudum exivit. Neque, ut redeas, cogita. Meridie enim ipſo ſe recipiet. Hem! cape pittacium, vale.* Haud ſcio an ſic officioſus urbanuſque perhibear, qui antehac fortaſſe tamquam μισάνθρωπος, humanitatiſque expers carpebar. Interim, quae per litteras perſolvo officia, aequi bonique fac conſulas: deinceps me tibi morem geſturum recipio, prout juſſeris. A me Joannem Baptiſtam Puccium adoleſcentem litterarum ſtudiis deditiſſimum, quemque, prout ſe dant initia, nemo eſt, quin ſperet magno litterariae Reip. futurum uſui, ſibi utilitati, ac Patriae ſuae ornamento, ſaluta officioſiſſime. Vale.

EMMANVELI CAMPOLONGO

Paulus Moccia S. D. 68

INique prorſus comparatum eſſe, ut ſemper, qui paupertatis anguſtiis premuntur, iis addant, qui divitiis affluunt, vivuntque facillime, nemo omnium eſt, qui neſciat. Quare, ſi ita loqui liceat, neſcio quid magneticum nummos adipiſci putarem, ubi eo pervenerunt, ut ſolum appendi, nedum numerari patiantur. Hinc tantum abeſt, ut, cum congeſti fuerint, detumeſcentes decreſcant, ut potius quidquid pecuniae ipſis

ipſis accedit, totum illico attrahant, corradantque. Neque aliter Midae fabulam interpretatum irem. Sane quidem, quid, amabo te, ſibi illud vellet, quod eum finxerint, quidquid tangeret, in aurum convertentem, niſi id profecto, quod nihil intuebatur, quod non, oculis ſuffuratus, manibus contrectaret? Huc praeterea facit quidquid omnes poëtae carminibus poſteritati commendarunt, nimirum eam eſſe pecuniae vim, ut quavis ingenti immodicaque copia non modo vinci, verum etiam ne paullulum quidem valeat ſedari. Quae cum ita ſint, deſine, quaeſo, mirari, ſi a nummis imparatus cum ſis, a ditioribus, ac pecunioſis expileris. Haud certe quidem tibi novum poſthac accidet, ſi, quae levi calamo ſcripſi, paullo attentius perpenderis. Ceterum illud te erigat ſoleturque, quod plerumque tamquam aranea diſſlantur, quae diutino labore parata, perpetuum duratura videbantur. Fac enim animum inceſſat inanis gloriae cupido, ſtudiumque nobilitatis oſtentandae: en corruat neceſſe eſt cumulus ingentium nummorum minorque evadat. Hoc unum, ſi locupletem corripuerit, nummis fundo arcae adhaereſcentibus hederae ad inſtar, nummis, inquam, quidquid glutinoſum tenaxque inerat, adimit exſcinditque. Atque id tum cum maxime cernere eſt, cum nuptiae ſunt parandae. Tum enimvero, ut quam ſanctiſſimae magnificentiſſimaeque fiant, cum primis ſedulo cavetur. Haud aditur Pontifex, quod vulgo fit; verum, ut ipſe ſponſi domum veniat, id curatur diligentiſſime. Atque interea domus frigidis ſorbitionibus calidiſque, bellariis, peregriniſque vinis multabitur,

mul-

multoſque alios ſumptus admittet. En quî emunguntur nummi, atque ex arca eruuntur, in qua ceteroqui aeternum ſuſpiraſſent. Proh plumbeum funginumque hominum genus! Quo inani gloriolae aura, Chamaeleontis ritu, paſcantur, fucumque tunicato popello faciant, haud os oblituri cordatis, eos faciunt ſumptus, quos ne pro vita quidem tuenda, vel medico jubente, feciſſent. Haec ſaltuatim ſcripſi: nondum enim relaxatum animum, ruſticationeque, licet brevi, pene jam torpentem collegeram. Ad ſex enim dies una cum clariſſimo Campaniae Praefecto, viro mihi amiciſſimo, ruri moratus ſum liberiore caelo fruiturus. De te illic cum ſermonem a coena inſtituiſſem, uſque ad multam noctem produximus. Atque hoc in cauſſa fuit, ut miro tui cognoſcendi de facie deſiderio exarſerit. Jam enim Polyphemeida totam percurrerât. Quare, ni grave eſt, ubi per otium licuerit, illum adibimus votis ipſius ſatiſfacturi. Tandem vix dici poteſt quanto ego opere laetatus ſim, ubi huc redii, cum audivi tibi potiſſimum demandatam fuiſſe provinciam condendorum Epigrammatum in funere Ornatiſſimi Patris Pinelli Minimorum ordinis, qui ultimum vitae actum laudabiliter concluſit. Percupide aveo illa legere: omnium exſpectationi reſpondiſſe certis iiſque eruditis auctoribus accepi. A me Dominico Malarbio praeclariſſime de litteraria Rep. merito, ſalutem plurimam dicito. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei x. kal. Octob. CIƆIƆCCLXIII.

I 2 *AN-*

ANDREAE FARINAE

Paulus Moccia S. D. 69

EN iterum tibi meae litterae defuerunt. Verum, veniam quin impetrem, nullus dubito. Ruſticationis tempore id accidit. Vna cum Bronzolio, ac Campolongo Maſſam Lubrenſem petivi. Quam libenter illic fuerim, tute conjicies. Loca enim peramoena ſunt, ac ſalubritate tanta, ut nihil ſupra. Fructus porro melle hyblaeo dulciores. Vinum dumtaxat vix aut ne vix quidem ab aceto differebat. Quare aqua contentus Baccho bellum indixi. Incolarum mores haud ruſtici. Pagi vero, qui non pauci ad urbem ipſam Maſſenſem pertinebant, non ineleganti aedificiorum ſtructura mirum in modum ſe commendabant; atque ii praeſertim, qui ad Sinum Salernitanum vergebant. Pene omnes percurri, &, quod caput eſt, pedes. Mulo enim vehi verebar. Declivia quippe loca ſunt, & ſaxis temere jacentibus ubique referta. Scilicet, quae decurrit aqua, hac illa avulſa, provolvit. Numquam olim me tantum ſudoris profudiſſe commemini. Verum & hoc mihi mirifice profuit. Nam ſic fames opſonabatur acriter, ac nauſea, qua torquebar, ſtatim evanuit. Pugiliter illic valui. At reditus haud itioni reſpondit. Mare quod tranquillum experti eramus, cum redibamus pene furere viſum eſt. Vno verbo: metus fuit, ne ad ſaxa ad oram Neapolitanam objecta impingeremus. Verum Deo juvante incolumes litus attigi-

mus

mus. Quî igitur ſcriberem nondum fere timore depoſito? Jam Paroecus Virginum Caſſanenſis Epiſcopus renunciatus eſt. A me Excell. Principi ejuſque ſuaviſſimis liberis ſalutem de more dicito officioſiſſime. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei Non. Nov. CIƆIƆCCLXIII.

P. S. Drama, cui titulus *Olympias* proxima nocte actum, ſtetit. Prae ceteris autem placuit incomparabilis Gabriel, altero quoque cantilenae verſu tota plaudente cavea. Choreae haud aeque omnes arriſerunt. Primus Saltatorum Quaternio ſibi palmam praeripuit. Chorum ducebant Saltatores, quibus nomen *i Forti*. Rex, quem Deus ſoſpitet, pene toti actioni interfuit. Regia manus adoratio innumero primorum Equitum concurſu decorata fuit. Exteri etiam non pauci, qua Anglici, qua Germani adfuerunt. Iterum vale.

EIDEM. 70

PRo eo ac debeo, dolui, quod pullus equinus generoſa ſtirpe nobiliſſimus, qui tibi deſtinatus erat, ſiticuloſae Apuliae monſtri praeda evaſerit. Jam enim, qui pedes hinc diſceſſeras, eques tandem aliquando revertiſſes. Attamen eſt, cur id accidiſſe minime conquераris. Ne labaris, aut equo excutiaris, nullus metus erit. Vt miſſas faciam expenſas, quas neceſſario ſubjiſſes. Hui! nunc percarum eſt hordeum, ac pene duplicato pretio divenditur. Quid memorem ſoleas ferreas identidem mutandas, ephippia, phaleras, ſubjices pedaneos, ſtrigileſque? Quare potius ſi-

bi gratulor, quod, divino prorſus beneficio, tanta vitaveris damna impenſaſque. Atque de his hactenus. Jam in eo ſum, ut, quas temporis fallendi cauſſa conſcripſi epiſtolas, typis committam. Qua de re te rogo, ut, quas penes te ſervas, quae non paucae ſunt, ad me quam primum remittas. Vltimam illis manum imponam, praeſertim quas publica luce non indignas cenſuero. Campolongus te officioſe ſalutat. Polyphemeida una cum Mergilline quanto ocius mittendam curabit. A me Fabricio mei ſtudioſiſſimo, tuiſque omnibus Alumnis una cum praeſtantiſſimo Parente ſalutem plurimam dices. Vale. Poſtrid. id. Jan. CIϽIϽCCLXIV.

DOMINICO AMATO

Paulus Moccia S. D. 71

SI umquam divitiae optandae eſſent, hoc potiſſimum tempore, quo Natalitii feſti dies infantuli Chriſti Jeſu recurrunt, optandae viderentur. Jam enim munuſculis illam amicitiam coleremus, quam toto fere anno tantum mutuis officiis atque litterulis fovendam curavimus. Quod, neſcio quonam modo, ipſum anni tempus, in quod tanta religioſiſſimi feſti celebritas incidit, poſtulare videtur. Capi prae ceteris, nunc quam aptiſſimi veſcendo ſunt. Quid ſi Nuceriae alti ſaginatique fuerint? Quid memorem Indicos gallos, ſuillam carnem, apros, mugiles, majoriſque formae anguillas Linterno in lacu captas? Quid denique caricas ipſas, quas opulenta mittit

tit Calabria, pomorumque genus omne denarrem? Nunc ſapiunt, nunc ad ſe ſe, neſcio quonam lenocinio, alliciunt invitantque. Quam porro doleam, quod his omnibus deſtituor, tute, qui me, pro ea quas es humanitate, nedum diligis, verum etiam amas, facili negotio judicabis. Alias, te capis etiam Nucerinis, maliſque omnigenis conficerem ac onerarem. Quae cum ita ſint, litterario officio contentus ſis, te oro obteſtorque; meamque fauſtam precationem ita accipe, tamquam ab eo, qui tibi bene velle, quoad vixerit, numquam ceſſabit, profecta ſit. Puerulum igitur Jeſum obſecro enixe, ut te bonis omnibus cumulatum quam diutiſſime incolumem tueatur. Hoc idem fauſtum omen toti familiae ſane quam numeroſae, ac praeſertim tuae amantiſſimae parenti de pictura inſigniter meritae, tuoque patruo Crotonienſium Antiſtiti meis verbis imperties. Ex Aedibus Regii Ephebei x. kal. Jan. CIↃIↃCCLXIII.

EIDEM. 72

NOn ſemel atque iterum Marchionis Galiani aedes adivi, quo te convenirem, ſed fruſtra fuit. Quin imo dupliciter dolui, tum quod te non offenderim, tum etiam, quod communem amicum ruſticatum abjiſſe deprehendi. Quare vel illud ſupererat, ut te litteris alloquerer, quandoquidem coram caedere fermones negatur. Primum ſcribam mihi forte fortuna, cum prodeambulatum exiſſem, occurriſſe Paulum Simonium Typographum quantivis pretii, qui mihi rem

jam actam tranſactam nuntiavit. Vnum tantum excepit, nimirum aliquantulam temporis moram. Iis quippe ſe urgeri ajebat negotiorum anguſtiis, ut nihil ſibi temporis vacuum relinqueretur. Ceterum ineunte hebdomade, quae proxime inſtabat, omnem ſe mihi operam dicaturum, ſancte promiſit. Illud igitur nunc reſtat, ut equis viriſque, ut ajunt, contendamus, quo res, quantum poteſt, perficiatur. Ad me quod attinet, jam id curabo, ut, quotquot conquiri epiſtolae poſſunt, quamprimum ad me perferantur. Tuum vero erit, ut typographicae operae feſtinent. Cetera coram, &, ut ſpero, propediem. A me Marchioni Galiano, ac Januario Carboni, viris de literaria Rep. praeclariſſime meritis, ſalutem dicito, quam etiam meis verbis Stephano Patritio τῷ πάνυ imperties. Vale.

MICHAËLI TESTAE

Paulus Moccia S. D. 73

HEm! me ita bonum virum craſſaque minerva putabas, ut temere me tua juſſa facturum, tibique me inconſideratum imprudentemque obſecuturum ſperares? Mihi crede, male tecum rationem deputaſti. Me ne tibi tamquam illicio futurum confidebas, quo Domus tua, ceteroqui conſummatae litteraturae virorum conventus, etiam ſapientiſſimi aeque atque mellitiſſimi Carulli conſpectu bearetur? Vſque adeo ne in hac Vrbe peregrinaris, ut te omnino fugiat, quanti ille ſit aeſtimandus? Vel depoſito pignore

re contenderim, neminem prorſus ubique exſiſtere, qui ſive Latini, ſive Etruſci ſermonis candore, ſive omnigena eruditione, ſeu tandem Apollineo quo incaleſcit oeſtro, ſit cum eo comparandus. Ego autem, ita affectus voluptate ſum, ubi clariſſimi iſtius, ac πολυμαθεςάτυ viri ſcripta perlegi, ut mihi palatum vel ad Auguſteos Auctores obſurduerit. Aſtutus! Me eo imprudens (ut leviſſime dicam) conjiciebas, unde pedem expediri pene ἀδύνατον foret? Quare, ut, quod miſere cupis, tuto aſſequaris, alio cogitationes curaſque tuas conferas oportet. Ἐνὶ λόγῳ: melius rationes ineas neceſſum eſt; alias tanto deſiderio confectus tabeſces. A me amicis omnibus ſalutem plurimam officioſe nuntiato. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei x. kalend. Jun. CIↃIↃCCLXII.

FRANCISCO DANIELI

Paulus Moccia S. D. 74

HAec ex tempore fudi, & quod caput eſt, a prandio, eoque ſi non lautiore, ſaltem pro meo ſtomacho, copioſiore. In id enim operam non ſine dolo bono dedi, ut, quae e caupona petita nullius pretii erant, ipſemet devorando, vobis famem irritarem. Accedit quod & vini non parciſſimus fui, ut vobis, quos jam nauſea ceperat, ſi non ſquillis, aut inulis, ſaltem coronatis cantharis, acrioris potoris ad inſtar, propinans, ad bibendum praeirem. Quae cum ita ſint, quanti ſint facienda, quae ad te mitto, tute-

tutemet aquae potor, adeoque ſiccus judex, pro tribunali conſtitues. Cave precor, ne quid nimis juſte ſtatuas. Num te fugit Deum omnia dura ſiccis propoſuiſſe? A me Marchioni Spiriteo ſalutem pugilicam nuntiato, meque ei commendato non vulgariter. Vale.

ANDREAE FARINAE

Paulus Moccia S. D. 75

QVod mea fauſta Natalitia precatio tuis alumnis, eorumque praeſtantiſſimis parentibus non ingrata exſtiterit, vehementer gaviſus ſum. Qua de re te etiam atque etiam rogo, ut a me illis gratias agas diligenter. Elenchum librorum Anglorum, quem mihi miſiſſe ſignificas, apud me haud deprehendi; neque illum umquam accepiſſe commemini. Quocirca, ni alterum confeceris, quem Trinitario Miniſtro oſtendam, omnis mea opera fruſtra erit. Campolongus pene jam convaluit. Cum primum fieri poterit, Polyphemeidos exemplum una cum Mergilline (pretio indicato) mittetur. Nullum omnino exemplum ſibi reliquum eſt. Marchio Berius, cujus expenſis typis mandata fuerunt, omnia diligenter cuſtodit. Meam vero Diſſertationem mittam, cum potero. Nam longa eſt, & labor deſcribendi ſane improbus. At cura, inquies, ut deſcribatur. Noſtin' librariorum incuriam atque oſcitantiam? Nudius tertiana die deceſſit Theleſiae Dux, atque militari funere elatus fuit. Drama cui nomen *Hyſipyle* pene ſtetit. Quatuor cantilenae,

quae

quae Gabrieli, decantatiſſimae Pſaltriae, obtigerunt, mire placent. Saltationes etiam libenter ſpectantur. Meo nomine tuos omnes officioſe ſalvere jubebis. Campolongus te ſalutat. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei prid. kal. Jan. CIↃIↃCCLXIII.

FERDINANDO SECVNDO

Paulus Moccia S. D. 76

S. P. P.

LIbenter tua juſſa facio, licet hoc matutino illa mihi pene praeteriens ſignificaveris. Illud autem vereor, ne fidem, quam tuo magni nominis amico obligaſti, non omnino liberem. Quae pro re nata ſcripſi epiſtolia, quin a te, pro eo quantum me amas, ac pro tua ſingulari humanitate qua eximie praeſtas, aequi bonique conſulerentur, nullus dubitavi. Temporis enim fallendi gratia iſthaec me exaraſſe, eaque me tanti facere, quanti pura putaque nugamenta, te perſuaſum habere, ita mihi exploratum erat, quam quod exploratiſſimum. Verum, quî patiar, ut meae, quales eae cumque ſunt, litterae illius judicium ſubeant, cui uni cor ſapere datum eſſe nemo non profitetur? Vt cetera deſint, illud unum ſatis ſuperque erit, e ſpectatiſſima Caracciolorum gente prodiiſſe, qui ſemper domi militiaeque, qua rebus praeclare fortiterque geſtis, qua eruditiſſimis ingenii fetibus, primas nullo non concedente tulerunt. Agedum, amice eruditiſſime, quem tui πολυμαθεστάτου Patris, viri inſi-

gniter

gniter de re litteraria meriti abſolutiſſimam imaginem jure ac merito appellaverim, quod animo concepiſti opus, ac pene jam affectum in forulis habes, nimirum publicam Romanorum vitam; quando jam privatam e Gallico idiomate Italice pereleganter convertit Dominicus Amatus, vir ὁ πάνυ, quique jam typis commiſſurus eſt privatam Graecorum, quamprimum in publicum emitte. Hoc certe quidem opus dignum erit, quod & omnium manibus teratur, & tanti viri acerrimum judicium experiatur. Fac, quaeſo, ut quam celerrime promiſſum perſolvas, neque ullam praeterea moram nectendam arbitreris, quo publicis votis ſatisfacias. Quod ſi feceris, amici tui, Franciſci Caraccioli, quem tanti non immerito facis, pro ea qua praeditus eſt eruditione, atque omnijugena ſcientiarum diſciplinarumque omnium cognitione, abunde reſponderis exſpectationi, litterariamque remp. litteratoſque omnes beneficio tibi devincies ſempiterno. Illud vero te etiam atque etiam oratum volo, ut viro tantum de litteris merito, quam qui maxime, quique me nullis omnino meis meritis benevolentia ſua non indignum exiſtimavit, gratias ubi meo nomine egeris immortales, ſalutem etiam dicas plurimam officioſe. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei III. id. Febr. CIƆIƆCCLXIV.

BE-

Digitized by Google

BENEDICTO CLEMENTI DE AROSTEGVI

Paulus Moccia S. D. 77

Ain' tu ? in florentiſſima ampliſſimorum hominum atque omnijugena eruditione excultorum corona & conſeſſu, celeberrimam juxta atque impeditiſſimam de *ideis* quaeſtionem ſecundum ſcholaſticae familiae dogmata atque ſcita propugnaturus, hujuſmodi uſurpabis ſermones, ac monſtroſa loquendi genera, ut vel Ennii ſterquilinium ſcrupuloſe rimatus eſſe, vel ſopitos Evandri cineres excitaſſe, jure meritiſſimo exiſtimeris? Apage, apage, quaeſo, iſtas ineptias, ac puerilia nugamenta. Jam ſingulari D. O. M. beneficio, puriore atque elegantiore fruimur ſermone, rancidis atque obſoletis vocibus vel inter barbaras gentes amandatis, vel omnino valere juſſis. Quare confer te animo ad aureum Auguſteumque aevum, in quo pene innutritus videris, opera atque incomparabili induſtria eruditiſſimi tui magiſtri, ſubacti ingenii viri, quem tibi divinitus obtigiſſe non temere autumo, atque laetor vehementer. Namque tui mihi in re litteraria, ac praeſertim in politioribus ſcientiis progreſſus aeque cari antiquique ſunt ac ſi mea ipſius res ageretur. Quandoquidem vero tuae Nationis conſuetudo, ingenium, atque inſtitutum ita ferunt, ut ſeverioribus ſtudiis ſcholaſtico ritu imbuaris, haud gravatim id patere: verum ita iſtud patiaris velim, ut ne vel tantillum quidem

dem detrimenti capiat inſtitutio, quam hîc peculiari praepotentis Dei largitate, ac ſapientiſſimo Patrui tui, ſine controverſia litterariae reipublicae luminis ac ornamenti, ductu auſpicioque videris aſſecutus. In arenam igitur deſcende a locupletiſſimo ſcholaſticarum ſcientiarum penu copioſus, ſed illas nitido, terſo, elegantique dicendi modo exprome, ut in ſcholam phaleratos aurei ſaeculi ſermones, atque latialem puritatem, munditiemque, invitis ac repugnantibus faeculentae atque impurae latinitatis patronis, maxima cum laude invexiſſe videaris. Si ita feceris, latinae linguae laudes atque commoda afferes, tibi gloriam paries, magiſtrique tandem tui famae conſules, illiuſque improbos labores ad irritum minime recidiſſe evinces. Praeceptori tuo, quem in oculis fero, ac jure optimo plurimi facio, a me ſalutem. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei III. id. Jun. CIƆIƆCCLVII.

EIDEM. 78

VBi legi atque relegi ſuaviſſimas tuas litteras humanitate ſupra fidem conditas, atque non vulgari eruditione refertas coram hoc lectiſſimo Melitenſi equite jam theologiae ſacris initiato, difficile dictu eſt, quantopere gaviſi ſimus atque laetitia exultaverimus. Et primo Auguſtei candorem aevi tua in doctiſſima epiſtola reviviſcentem, fucoque omni remoto ſplendentem ſuſpeximus. Deinde, quod caput eſt, morum tuorum elegantiam, munditiem, atque ingenuitatem, pene ſingulis in verbis, demirati ſumus. Namque,

que, abſque eo eſſet, undenam tot tantaeque laudes, quas in me largiſſime contuliſti, profectae fuiſſent? Ita quidem natura comparatus es, ut, quae unice in te quadrant praeconia laudum, illa, pro ea qua es humanitate, etiam amicis, tuique cultoribus communia arbitreris. Atque, ut ingenue, quod ſentio, dicam, inde haud dubie factum eſt, ut, quas in me congeris laudes, veras ſinceraſque, omni prorſus ſublata ſuſpicione, exiſtimaverim. Etenim, ut ceteras animi tui dotes miſſas faciam, quibus mirifice ſupra ceteros omnes tuae aetatis adoleſcentes excellis, ingenuitate atque candore potiſſimum ita anteis omnibus, ut primas ſine ulla controverſia feras. Bartholomaeus Aretius Regius ephebus eques ab aſcopera, tui perſtudioſus, tibi plurimam ſalutem dicit. Ex Aedibus Regii Ephebei v. kal. April. CIↃIↃCCLVII.

EIDEM.

QVod tuo luſtrico recurrente fauſtiſſimo die nihil tibi omnino muneri mittam, quod meam ſaltem voluntatem, meique animi propenſionem indicet, ne mirere. Numquam enim ita a dulciariis Averſanis imparatus fui aeque atque in praeſenti. Vel ipſae formicae, quae antehac meas ductiles thecas obſidebant, partim diffugêre, partim fame confectae perierunt. Vix profecto, aut ne vix quidem adducêris, ut credas, me neque a furtulis abhorruiſſe, quo in tanta hujuſce diei celebritate partes meas pro virili implerem. Aſtaphidem enim nucleis pineis ſacrarum Ve-

ſtalium

ſtalium manibus ſedulo infartam, cujus te cupiſſimum cognovi, ut ſuffurarer, omnem navavi operam, ſed fruſtra fui. Nam, qui primum indiligens ſuarum rerum cuſtos nihil clauſum nihilque obſignatum habebat, ubi contrectantium manus odoratus eſt, arculam corio contectam ſtatim clavibus muniendam curavit. Quare me excuſatum habeas te rogo; neque me tamquam avarum, aut ingratum inſimules; ſed potius meae inopiae, reique dulciariae anguſtiis adſcribas, ſi meo officio defuerim. Illud vero, quod in manu mea eſt, minime praetermittam, Deum ſcilicet Optimum Maximum enixe obſecrabo, ut quem hodierna luce jucundiſſime diem peragis, qua amicorum conſalutationibus, qua lautioribus epulis, is perpetuo innumerabilium annorum orbe ſemper laetior candidiorque recurrat. Canonico Bayerio viro ἀρχαιολόγῳ, atque omnigena eruditione ad miraculum uſque excultiſſimo, meis verbis ſalutem plurimam imperties. Michaëlem etiam a me ſalutato diligenter. Vale, meque, ut facis, ama. Ex Aedibus Regii Ephebei XII. kal. April. CIƆIƆCCLIX.

EIDEM. 89

TE recte valere, laetatus ſum vehementer. Ego quoque valeo! Rhabarbari enim ope e pertinaci capitis dolore emerſi tandem. Ne perpetuo illo excruciarer, non temere verebar. Ita quidem me corripuerat, atque utrumque oculum mihi obſederat. Abſtinentia quid non aſſequimur? Numquam cubitum eo, niſi incoenatus,

&

& poſtquam Regias nundinas vicies percurrerim, quo obaeſum corpus atque in dies ingraveſcens exerceam. Viſne diuturnam vitam vivere, eamque omni penitus morbo immunem? Et parciſſimo cibo utere, & corpus exerceto continenter. Librorum, aeſtate praeſertim, hoſtis eſto acerrimus. Nihil officit valetudini vehementius. Quid? frontem caperas, meque increpiturus exſurgis? Apage, quaeſo, iracundiam. Conſilia quo quo modo dentur, haud deſinunt eſſe bona; licet a non bono proficiſcantur auctore. Si olim cibo indulſi liberalius, ſi in libros incubui acrius: haud id impedimento eſt, quominus poſthac moderatius me geram. Expertus cognoſces, qui fuero in poſterum. Valetudo mihi in primis curae erit; deinde tui optimi Patrui extemporalia hortamenta locum habebunt: quae ſi cum ſalute pugnaverint, tum quid faciam, deliberabo. A me illi ſalutem plurimam officioſe. Vale.

EIDEM. 81

TAnta quidem, hodierna luce, admiratione correptus pene obſtupui, cum cymbula convecti Hiſpanas adventantes naves viſimus, ut nedum, quid ſcribam, verum, unde initium faciam, prorſus ignorem. Sive enim ad ingentis magnitudinis navigia oculos convertam, quae recte dixerim oppida pelago innatantia; ſive ad innumerum pene numerum bellicorum tormentorum, quibus copioſe inſtructa ſunt; ſeu ad militares miniſtros ipſis Argonautis cum maritimae rei prudentia, tum incredibili animi virtute compa-

 randos,

randos, ut taceam veſtes auro obruſſo fulgentes, ita rerum omnium copia atque vi opprimor, ut meridiana in luce caecutire videar, ac ſomniaſſe, quae vere ſpectaſſe numquam diffitebor. Do manus libens, atque abjectis armis, Antonii victoris deque me triumphantis opem fidemque demiſſe imploro. Epiniciis ipſis non invitus intercero. Io triumphe, Io triumphe, ut ſaepius aërem compleat, ipſemet efficiam. Sane quidem, quis niſi ſtipes truncuſque, non ſummis laudibus in caelum efferat (ut ceteras taceam) navem Praetoriam Hiſpaniarum novo Monarchae tranſvehendo deſtinatam? Quis non demiretur Puppim tanta coloris ſuavitate, tantaque magnificentia atque elegantia architectatam, ut Regiarum aedium ſpeciem formamque prae ſe ferat? Quis non ſuſpiciat interiora cubicula ductilibus argenteis laminis contecta, aureiſque identidem floribus diſtincta, parietes ſerico albo auro intertexto ornatos, ipſumque pavimentum ſerico ſtragulo obductum? Quis non collaudet claſſiarios milites opulentis pretioſiſque veſtibus indutos, reique tormentariae copiam, nobilitatem, ſplendorem? Quem denique non capiat nautarum comitas, affabilitas, humanitas? Diſperеam, ni vel portiſculi viliſſimum miniſterium acciperem, ut illa vectus in Hiſpaniam tranſducerer. Quis igitur non Hiſpanorum felicitatem praedicet tot tantiſque divitiis opibuſque circumfluentium, praeſertim ubi tanto Rege tam magna virtutum omnium ſupellectile inſtructo exornatoque potientur? Felices Hiſpani, feliciorque obaeſulus Antonius noſter, qui hic primores laetitiae fructus prae-

praeguſtat. Quid de te, Benedicte, ſentiam, vel me tacente, intelligis. Neminem ſuae Patriae ſtudioſiorem amantioremque cognovi. Verum tibi intus canis, conceptamque laetitiam ita ſapienter comprimis, ut foras pueriliter effundi minime patiaris. Novi animi tui modeſtiam, aureoſque tuos mores. Quare, quin haec, quae curſim ac ſaltuatim ſcribillavi, aequi bonique conſulas, minime dubito. A me ſalutem plurimam praeceptori tuo, mellitiſſimoque Antonio Hiſpanorum propugnatori acerrimo. Si Joannem Riccium etiam a me ſalutaveris officioſe, per mihi gratum facies. Vale.

DOMINICO AMATO

Paulus Moccia S. D. 82

EN librum, quem deperiiſſe non temere arbitrabamur. Inter bibulae enim papyri ſtruem in officina ſcrutaria noſtri negligentiſſimi Janitoris, una cum tua elegantiſſima epiſtola offendi. Quam male conciliatus homo hic ſit, vel hinc facile noſcis. Nam ingens ſalarium auferre non contentus, vel libris, qui huc perferuntur amicorum indulgentia, januam obſtruit, tamquam acerrimis hujuſce Ephebei hoſtibus. Male ſit, quaeſo, nebuloni hujuſmodi, atque utinam ex hominum numero eliminetur! Interim, ut te quanto ocius moleſtia eriperem, nulla interpoſita mora ad te mittendum curavi. Epiſtolam tantum retinui, quam, ubi iterum legero, jam me librum aureum de Phyſica puerorum educatione

legiſſe putabo. Ita brevibus verbis τὰ πάντα ȣ̓σιώδη complexus es. A me Crotonienſi Antiſtiti, totique familiae pene Pago frequentando non impari, neſcio quonam fato Amatenſi Genti ſane quam propitio, ſalutem Pancraticam peramanter impertitor. Feſtinanti calamo facito ut ignoſcas. Aes campanum jam crepuerat. Meis verbis Maximiliano e ruſticatione reduci, & Galiano ſalutem dicito. Vale.

ANDREAE FARINAE

Paulus Moccia S. D. 83

QVantopere gaviſus ſum, ubi per litteras mihi ſignificaſti te iſthuc ſalvum perveniſſe, difficile dixerim. Haud enim temere veritus fueram, ne quid incommodi patereris, cum hiberno tempore tantum itineris ſuſcepiſſes. Quare primum Deo O. M. gratias ago, uti par eſt, quod te mihi oculis ipſis cariorem ſartum tectum praeſtiterit; ac deinde mihi gaudeo, tibique gratulor, quod iſthic libentiſſime commorêris. Quidni? Caeli quippe ſalubritas, aëriſque indemnitas ſaluti tuendae apprime ſunt conducibilia. At vero, abſque haec omnia forent, quos tibi Deus ſingulari beneficio excolendos ſcientiis omnibus, boniſque moribus imbuendos deſtinavit praeſtantiſſimos adoleſcentes equites juxta atque fumoſis majorum imaginibus clariſſimos, ii abunde ſufficerent, quo beatam vitam traduceres. Vſque adeo enim, cum hîc degerent, comitate, affabilitate, egregiiſque ingenii dotibus reliquis, faci-

facile omnibus praecellebant aequalibus, ut, quid bene auſpicata inſtitutio liberaliſque educatio valeant, apertiſſime oſtenderint. Quocirca excelſo prorſus animo atque alacri ad opus accingere. Subacto quidem in ſolo, diligenterque exercito ſemina virtutum ſparges, fructum ſuo tempore nedum cum foenore, verum etiam ἑκατονπλασίονα redditura. A me illis ubi gratias egeris immortales verbis exquiſitiſſimis, quod mei memoriam, tanto locorum ſpatio interjecto, minime depoſuerint, ſalutem quoque communicato plurimam officioſe; & quod caput eſt, etiam nomine omnium epheborum equitum, qui eos ſalutant ſingulatim amiciſſime. Neque Marchio Caeſar Cajeta ipſos inſalutatos relinquit, quin, ut ſuis verbis ſeorſum ſalvere juberem, mihi in mandatis dedit: quodque officium ipſis tibique ab Archinto libenter praeſto, etiam Somalia adſcribendum curavit. Tu interim vale, ac facito, ut, quem hic diligebas, nunc etiam ames. Ex Aedibus Regii Ephebei VII. kalend. April. CIↃIↃCCLXIII.

P. S. Quod epiſtolam jam ſcriptam, die, tempore, ac loco ſignatam ad te mittere praeterito ſabbato oblitus ſim, vehementer dolui. At vero, ubi rem maturius perpendi, non fortuito id contigiſſe animadverti. Quae enim inſtabant Paſchalia feſta haud tibi tuiſque Alumnis, uti par erat, fauſta atque ab ovis elixis refertiſſima ab omnium bonorum largitore Deo exoptaveram. En modo non intempeſtive non mediocri animi mei voluptate fugitivum officium re-

voco. Vſque adeo vere dicitur, quidquid obſtat, non fere ſemper obeſſe. Iterum igitur ſalvere jubeto, quos ad humanitatem, civilitatemque omnem, Chiron alter, informas adoleſcentulos, Achillem ipſum Deo juvante ſuperaturos. Rurſus vale.

EIDEM. 84

TE iſthic laetitiis omnibus exultare ac voluptatibus diffluere, laetor vehementer. Quidni? jamdudum tuae ſpectatae ſatis debebatur virtuti iſta merces, dolebamque ſane multum, quod non meritis honoribus afficereris. Namque ſatis tritum eſt atque omnium ſermone celebratum effatum: *Virtus laudatur, & alget.* At vero, quod apud homines rudes civilitateque omni deſtitutos obtinet, id quidem, qui ad humanitatem informati ſunt, defugiunt averſanturque. Sane quidem quem fugit, quo ſemper honore litteratos proſecuti ſunt, quove ſtudio litteras coluerunt foveruntque Pignatelli? Quis uſque adeo peregrinus eſt & hoſpes in hac Vrbe, quin ſciat quot quantique ex hac florentiſſima atque ſpectatiſſima gente Heroes, tamquam ex equo Trojano, prodierunt? Id ſi agerem, ac epiſtolare argumentum pateretur, elenchum prope infinitum hic adtexerem. Quae cum ita ſint, haud equidem miratus ſum, quod benigne exceptus merito cumuleris honore, quodque te venatum ducant una cum nobiliſſimis equitibus, quorum familiaritate & conſuetudine quidnam praeclarius aut optabilius fingi poteſt? Credideris! mini-

minime obſtupui, quod pontificali pene coena apud Francavillae Principem cohoneſtatus ambroſiae ipſi ac nectari haud invideris. Parva, mihi crede, haec atque exigua prae iis, quae Pignatelli litterarum litteratorumque praeſentiſſimi Patroni ac Maecenates poſthac dabunt. Haud quidem apud eos virtus laudatur & alget. Imo virtuti litatur, ac debiti perſolvuntur honores. Quare macte animo eſto, atque haud verere, ne tuae reſpondeant exſpectationi. Crede mihi, illam longe plurimum vincent. Atque id eo magis in animum meum induco, quod te duce atque non poenitendo magiſtro politiores atque humaniores effecti, quo magis ad virtutis aditum procedent, eo litterarum cultores magis obſervabunt. Hinc in id toto pectore incumbe, ut quam colebant virtutem, acrius atque contentius colant, litterarumque ſtudiis ita aſſueſcant, ut illa non moleſtum ac grave onus; verum ludum jucundumque animi oblectamentum ipſa venatione ſuavius, ipſiſque exquiſitis Auguralibus epulis ſapidius eſſe exiſtiment. Id ſi effeceris, metam te attigiſſe putato. At inquies, numquidnam novi? Marchio Fraggiannius, vir juriſconſultiſſimus, mortem objit improviſam, quod malum hîc nunc cum maxime graſſatur. Caeli quippe intemperie per hoſce dies aliquot uſi ſumus importuniſſima. Notus increbuit ſaevitie quanta maxima, & imber jam jam erupturus evanuit, non ſine ſatorum pernicie: ſiccitate enim langueſcunt. Faxit Deus, ut nubes pluvant exſpectatam pluviam! Illuc redeo. Fraggianniana munera varie diſtributa ſunt. Marchio Caval-

cantius juri Regio tuendo, atque Annonae praefe-ctus eſt. Dux Perrellius in Aulam S. Clarae adle-ctus eſt. Januarius Pallantius, qui Campaniae rebus cum gladio praeerat, Conſiliarius renunciatus eſt, inque ejus locum ſubditus eſt Ferdinandus Leonius, mihi amicitia conjunctiſſimus, vir quantivis pre-tii. Viſne plura? A me tuis praeclariſſimis alumnis mei ſtudioſiſſimis ſalutem athleticam im-pertitor officioſiſſime. Qui hîc degunt Ephebi Equites omnes eos reſalutant ſingillatim amiciſ-ſime, neque te inſalutatum relinquunt. Vale me-que, ut facis, ama. Ex Aedibus Regii Ephebei XVII. kal. Maj. CIↃIↃCCLXIII.

P. S. Romae obiit diem ſupremum Cardina-lis Spinellus angina ſtrangulatus. Quinque tan-tum diebus decubuit. Ferdinandus ex ejus fratre filius etiam peſſime habet, quippe qui ſtranguria laborat. Archintus, qui mihi ſcribenti adeſt, ait Romam virum noſtrum medicum jam abjiſſe ejus accitu. Hic eques tibi ſalutem adſcribit amiciſ-ſime. Iterum vale.

EIDEM. 85

HVi! tu ruri tam negotioſus, quam in ur-be? Anne, amabo te, Scipionem illum, Carthaginienſium terrorem, imperiique cetera praeſtantiſſimi exterminatorem imitandum ſuſce-piſti, de quo praedicat Cicero, numquam fuiſſe otioſum, niſi cum otioſus erat; numquam ſo-lum, niſi cum ſolus? Gratulor tibi, qui iſthaec meditere; neque miror, quod hanc vitae ratio-

nem

nem retineas. Id quidem boni, ſi non aliud, pariunt humaniores litterae. Nobiſcum peregrinantur, nobiſcum ruſticantur. Verum illud te etiam atque etiam oratum volo, ut mihi meaeque ſaluti parcas, ne negotiorum copia obrutus aliquid humanitus patiar. Vix enim uno abſoluto problemate, ſi ſuperis placet, en aliud ponitur impeditius, & quod caput eſt, ex tempore ſolvendum occurrit. Neque ſphyngem domi habeo: & Davus ſum, non Oedipus. Proh ſuperûm atque hominum fidem! Qui teſtudineo greſſu hactenus viam menſus ſum, tamquam Cereris ſacra geſtarem, nunc grallatorio gradu illam vorem neceſſe eſt. At e diverticulo in viam, & quod inſtat, agamus. *Piſto* apud Plautum in Mercatore nullam aliam vim notionemque ſubjectam arbitror, quam *fidelis*, quae vox in nomen proprium villici evaſit. Itaque Piſtus, graece πιστὸς, idem valet ac Petrus, Paulus, Pamphilus. Id igitur nominis erat Villico, cui raſtros coram in manum tradendos Lyſimachus mandabat. Quem ad manum habeo Plautum, is commentario caret: unum conſului cum notis Variorum; at nihil in illo deprehendi quoad Piſtum. At, inquies, cur Piſtus? Quod qui primum id nominis nactus fuerat, ſe hero ſuo fidelem praebuerat. Si quid melius ſuccurrerit, deinceps dabo. Nunc iſthac extemporali interpretatione contentus eſto. Ceterum in Vrbe res friget, nihilque omnino novi eſt. Modo illud tamquam novum agnoſcas, quod continentibus pluviis ſegetes procubuerint, grandines deciderint ſaxo ſimiles, ita ut lapides pluviſſe viſum ſit (Caſertam verſus id acci-

accidit) damnaque multa ſatis , quae pene luxuriabant , illata ſint , noſque domi ſervemus. At vero illud non parum erexit confirmavitque animos plebium ordinumque jacentes perculſoſque , quod praeſentiſſimus hujus Regni Patronus inclytus S. Januarius fauſtum omen portenderit, noſque bene ſperare juſſerit. Namque proxime exacto Saturni die in ſepto ad Nilum magnificentiſſime inſtructo atque exornato coram Primoribus pene omnibus , exteris quamplurimis , qua Hiſpanis , qua Germanis , ac frequentiſſimo populo enixiſſime fervidas preces ad Deum effundente atque urceatim illacrymante, ſanguis, qui illuc comportatus fuerat concretus ac ſaxo ſilice durior , e regione Capitis collocatus , poſt viginti , quae vocantur , minuta , ſtatim tamquam recens fuſus eſſet , ebullire atque colliquefieri occoepit. Quanta omnium gratulatio , quantaque geſtientis populi laetitia ſubſecuta ſit , tute conjectura facile aſſequi poteris. Plus enim vice ſimplici hujuſmodi permiro ſpectaculo interfuiſti. Ceteris ſecutis diebus ſtata hora idem contigit examuſſim. Quid igitur nobis non ſperandum tanto auſpice ac tanto Averrunco ? Haud dubie in fines Thracios agentur , quae nobis impendêre mala videbantur. Nunc ipſum cum ſcribo nuntiatur Principis S. Nicandri uxorem , feminam incomparabilem , heſterna die vix una elapſa noctis hora , Caſertae diem obiiſſe ſupremum. Vix ſeptimum diem decubuerat phlegmate correpta , quod pectus obſederat . Cadaver hac ipſa proxima nocte Neapolim tranſvectum eſt , quo hîc animae innocentiſſimae parentetur.

Ejus

Ejus virum dolore externatum ferunt. Proh ancipitia hominum conſilia! proh fallaces ſpes! neque ampliſſimi quique honores fatum ineluctabile remorantur. Hodie antequam quinta, more Hiſpano, elabatur, ad Coniclen pergemus ſacras exercitationes obituri. Quam ſanctum opus aggrediamur, te non fugit. Quare cetera negotia interquieſcant oportet. Quid? jam caperata fronte ſubiraſceris? jam ne de te tuaque ſalute conclamatum putas, quod una tantum hebdomade meis ſale nullo condîtis litteris carendum tibi erit? Bona verba, quaeſo. Abſiſte moveri. Si quid temporis, ſucciſivis horis, ſubripere mihi licuerit, libenter epiſtolio quam breviſſimo ſcribillando impertiar. Verumtamen illud tibi praedictum volo, nihil tibi exſpectandum, quod terrenum ſapiat, aut meras nugas apinaſque oleat. Vel te iſthic pene immenſo locorum intervallo a me abjunctum diſſitumque flagellorum fragore plagarumque crepitu concutiam ac perterrebo. Tonitrua ingentia maximo bombo per aërem perſonare tibi audire videberis. En alia res nova. Hodierna luce ad Armamentarium e regione Regiarum Triremium ſuſpendetur Miles e maritimis, qui dum excubabat in Ptochotrophîo, diſploſo ſclopo occidit ſuum decurionem innocentiſſimum. Prehenſum cum rogaſſent, cur tantum ſcelus patraſſet? reſpondit, quod ſuſpendio vitam finire avebat. Hodie planiſſime voti compos evadet. Jam primo mane carnifex furcam depanxerat. Viſne plura? A me eruditiſſimo Principi Michaëli Pignatello, ejuſque ſuaviſſimis filiis tuae curae con-

concreditis plurimam ſalutem nuntiato officioſiſſime. Quos ſalvere viciſſim juſſiſti Ephebos equites tuo tuorumque nomine, te tuoſque impertiunt ſalute pugilica peramanter. Vale, meque mutuis apud Deum precibus adjuva. Ex Aedibus Regii Ephebei VII. idus April. Ann. R. S. CIƆICCCLXIII.

EIDEM. 86

DOlui, laetatus ſum; quod meae laudes tibi ſalivam moverint; quodque iſtis ſpectatiſſimis tuis alumnis pergratae acciderint. Hem! quid hominis es? Anne iterum ad Olynthi integram aetatem te rediiſſe putas, qui jam fabulam prope peregeris? Vin' tibi crepundia, chiramaxia, aliaque puerilia mittam oblectamenta? In pueros eoſque magnis itineribus ad virtutis aditum progredientes laudes ubertim congerantur oportet. Id quamobrem? Ne ſenticetum atque ſalebras inibi eſſe credant, ubi perpetuum ver vernat, nihilque eſt, quod non alliciat pertrahatque. Laudes pueris vice calcarium funguntur: quo incitatius currant, viamque vorent libentius, efficiunt. At vero, cui bono calcar equo pulmonario atque ilia ducenti? Maturatur profecto illi mors, quae lentius adveniſſet. Tune cupidus laudum, qui unice illas refugiſti? Quae chartae tuis non ſcatent praeconiis? Aſtutus! nunc demum ſentio, quo tuae ſpectant querelae. Vberiores expreſſurus laudes, argumentumque ſuppeditaturus epiſtolae, in id deſcendiſti conſilium. Percallide profecto, neque id pernego. Verum haud

haud ita proſpere res ceſſit, quin clavus clavo truderetur. Cornicum quippe oculos confixi. At hactenus luſiſſe ſatis. Quod vero me benigne rogabas, quî una dictione tabularium aeque atque libraria cella, dithyrambico more coagmentatis compactiſque verbis, exprimeretur, id me ſollicitum habuit aliquantiſper. Verum re mature expenſa, ac non ſine amicorum conſilio, quorum ab ore, uti noſti, pendeo, exiſtimavi non omnino improbandum vocabulum iſthic ſapienter procuſum, ſcilicet *Grammatobibliotheca*. At vero, ſi id pateris, aliquantulum immutatum efferrem, nimirum *Biblogrammatophilacium*, quo ſuavius concinniuſque, ni fallor, evadat. Namque licet utraque clauſula idem valeat, tamen poſterior praeferenda videtur. Neſcio quid grandius ſonat, atque ſe per ſe magis commendat. Ceterum dicta indicta volo, remque in medium relinquo. Per me utrumvis ſeligas licebit. Illud vero te etiam atque etiam oratum volo, ut a me excellentiſſimo Michaëli Pignatello ubi gratias egeris quam exquiſitis honorificiſque verbis, ſalutem dicas plurimam officioſiſſime. Nomine quoque meo, quos ad humanitatem informas dociles juxta atque eximios adoleſcentulos jube ſalvere peramanter. Archintus, ceterique Regii Ephebi Equites tuos teque reſalutant amiciſſime. Ex Aedibus Regii Ephebei pridie kal. Majas CIϽIϽCCLXIII.

P. S. Jam epiſtolam complicanti adfuit, uti ſolitus eſt, pro ſua humanitate, noſter communis amicus Franciſcus Daniel, meque diſertis ver-

verbis juſſit te ſuo nomine ſalutare quampluri-mum. Iterum vale.

EIDEM. 87

QVod tempus litteris hiſce ſcribendis impendi, id omne de meridiatione decîdi. Haud temere enim veritus ſum, ne tibi tuiſque quodammodo offenſioni forem. Quare eo prorſus tempore amico operam dandam officioque ſatisfaciendum cenſui, quo, ſi corpori inſerviſſem, nullam impietatis notam ſubiſſem. Vide igitur, quanti te facio, licet non pro merito: dum enim ceteri, qui hîc una mecum peregrinantur, aliquantiſper meridiantur, quo cibum concoquant; ego ingratiis ſomni, qui a prandio, hac praeſertim tempeſtate, perjucundus eſt, vigilo, ne meis litteris, vel unius hebdomadis curriculo, careas omnino. Neque ejus me poenitet, neque muto factum. Quidquid enim amico datur, id quam rectiſſime impenſum quamque utiliſſime collocatum exiſtimetur oportet. Ecquid, amabo te, amico praeſtabilius, quid jucundius, quid tandem ſanctius, ſecundum Deum, ac parentes, fingi aut excogitari poteſt? Quin imo, ut verum ingenue fatear, nulli penitus invideo, niſi qui ſupellectile amicorum eaque copioſa inſtructus eſt. Ceterum vel Croeſi divitias Attalique decantatiſſimam opulentiam oculis ſpectarem irretortis. Sed de his hactenus. Numquid novi, inquies? Nuntiatum eſt, quod praeterito mercurii die in Coenobio Fratrum Minimorum, quod vulgo vocant ad Stellam, denatae feminae Principi S. Nicandri

candri juſta parentaliorum ſollemni pompa magnificoque apparatu perſoluta fuerunt. Laudavit defunctam e Roſtris P. Gerardus de Angelis. Debebatur profecto tantae matronae, cujus memoria numquam apud poſteros aboleſcet, talis tantuſque ſuarum laudum praeco. Nemo quidem ad iſtam eximiam feminam acceſſit, quin beneficiis ornaretur, aut indubia ſpe diſceſſerit fore, ut illis tandem aliquando potiretur. Nos hîc, Deo juvante, non fruſtra tempus impendimus. Opus, quod aggreſſi ſumus, perfectum iri ſperamus. Semen enim divini verbi in terram bonam, ſedulo exercitam ac magno cum labore ſubactam, cadere videtur. Quare haud deſpero futurum, ut uberrimi collocatae operae impenſique laboris fructus percipiantur. Illud vero me non mediocriter ſollicitum habuit, quod, neſcio quo caſu, tuae ad me litterae hac hebdomade minime perlatae ſint. Non ſemel rogavi eos, quibus epiſtolarum cura per orbem eſt, & nihil omnino litterarum abs te fuiſſe reſponderunt. Fortaſſe accidit, ut continentium imbrium cauſſa ſerius ſolito huc pervenerint, aut perierint. Quod hieme non raro contingit. Vno verbo, ſervo hebdomadario ſedulo mandavi, ne hoc negligeret omnino. Quare te obſecro, ut, cum ſcripſeris, de eo me facias certiorem, & an meae ad te allatae ſint. Quid ulterius ſcribam, haud ſuppetit. Anxie tuas praeſtolabar, per quas de more mihi argumentum ſuppeditaretur. A me tuis alumnis, mihi oculis ipſis carioribus, eorumque egregio non minus, quam eruditiſſimo Parenti ſalutem pluri-

plurimam communicato. Vale. Ex Aedibus Conicleîs XVII. kal. Jun. CIƆIƆCCLXIII.

EIDEM. 88

QVod praeterita hebdomade ad te minime ſcripſerim, ne mirere, quaeſo. Nivanum enim petivi, oppidulum ad CC. paſſus a municipio Frattenſi diſſitum, una cum novo Campaniae Praefecto, qui illic manere conſtituit. Ad ſex dies eo loci moratus ſum non mediocri animi mei voluptate. Quidni? Quid, amabo te, amico candido ac ſincero amabilius, quid jucundius inveniri poteſt? His accedit, quod vetulam meam parentem jam praevalidam identidem inviſi. Quanti illam merito facio, haud te fugit. Quod eam omnibus officiis proſequor, quod munuſculis continentibus afficio, cum ceteris ſatisfaciam, mihi ipſe numquam ſatisfacio. Tantum me illi debere intelligo, quantum vix aut ne vix quidem perſolvi poteſt. Ceterum dolui, quod iſthic pedibus labores, ſanguinemque miſeris, quo intolerando dolori occurreres. Patientia tantum malum qualicumque remedio cedere neſcium levius facias oportet. Niſi quod adhuc unum reſtare vulgo autumant, nempe pecuniae minutionem. Nummoſos homines iſthoc morbo implicari plerumque exiſtimatur. Tu plus ſcis, quid facto opus eſt. Quatuor Altarium feſtum, quominus de more magno confluentium populorum concurſu celebraretur, pluvia impedimento fuit. Credideris! pene nullus abit dies, quin imbres decidant copioſi. Quare, ne ranae evadamus, magnopere timendum eſt.

Cete-

Ceterum ſata haud ita talem paſſa ſunt jacturam, ut non uberrimam ſegetem polliceantur. Nunc ipſum cum ſcribo, tanta deſaevit tempeſtas non ſine fulgetris ac ingentibus tonitruis, ut aqua urceatim decidere videatur. Quî iſthic tempus procedit, & an vobiſcum mitius agat, ſcribe quaeſo. A me Excellentiſs. Principi liberiſque ejus dulciſſimis ſalutem pugilicam. Vale. III. idus Jun.

FRANCISCO DANIELI

Paulus Moccia S. D. 89

ABſtineto querelarum, iramque effervesſcentem coërceas, te oro obteſtorque. Tantulum ne morae tantam tibi bilem in naſum concivit, teque ceteroqui aequabilem juvenem ita impulit atque commovit, ut, ſupploſis pedibus, ringereris; mihique abſenti nihilque tale merenti ſaeviſſima quaeque minitarere? O me miſerum! paucarum diecularum nec opina mora, quanta de ſpe decidi, & quot quantiſque privatus ſum bonis! Vtinam praeſciſſem te meas monſtroſas lucubratiunculas uſque adeo expetere! Nae ego temporius tuis votis ſatisfeciſſem. Quin, ne tabellario quidem exſpectato, ingratiis continentis pluviae ingentiſque frigoris, ipſemet pertuliſſem. Merito te amo, quod mea tanti facis, tuaque aeſtimatione, quae tenebris obruta perpetuo delituiſſent, clariſſimo in lumine collocas. Vtinam plures hujuſmodi litterarum fautores exſiſterent! O quam bene cum Muſarum amicis, Minervaeque aſſeclis

ageretur! Nemo non omnes ingenii induſtriaeque nervos intenderet, quo de litteraria Rep. bene pro virili mereretur. Hiſce quidem gloriae igniculis excitati minime otio marceſcerent. Quiſque famae magis magiſque ſtuderet, bonique nominis cupiditate ſuccenſus, eo dumtaxat ſpectaret, unde Patriae utilitas, ſuis ornamentum, ſibique gloria pararetur. Perge, quaeſo, ita facere, atque ſuccenſeas amicis, ubi vel tantillum tuis flagrantiſſimis votis obſiſtunt. Namque ita efficies, ut nullus amplius deſidiae inertiaeque locus relinquatur. En tua perterritus ira, quae haud dubie Achillea ira acrior eſt atque implacabilior, alterique Homero nobilius ſuppeditaret argumentum novi cudendi Poëmatis, ad te mitto nedum Aurelianenſem epiſtolam, verum etiam illam, quam in Antonii Teleſii Opera concinnavi. Vide, quaeſo, quî tecum ago! Quae imprudens detinueram, cum foenore reſtituo. Nam, quî alias tuum hians atque inexplebile os obſtruerem? Sed Jocorum ſatis. Brevi plura, ſerio, & coram. Michaëli Teſtae, atque mellito Campolongo, ἀληθεςάτως παμφίλοις, atque aurea morum probitate nulli ſecundis, a me ſalutem plurimam perquam officioſe. O par beatum atque ipſi Pyladi Oreſtique invidendum! Vale meque devinctiſſimum tibi exiſtimato.

EIDEM. 90

OMnia epigrammata Marci Mundii τῦ μακαρίτου, qua nuptialia, qua funebria, tum tandem cujuſcumque alius generis, qua fieri potuit

potuit diligentia, percurri. Quod in ea quaedam menda irrepſerint, dolui. Illud vero me erexit, quod nondum editio erat abſoluta. Quare conſueto ſyllabo ad libri calcem apponendo illud curabitur, ut innoteſcant. Hinc eo conſilio elenchum confeci, quem ad te ſtatim mittendum curabo. Quaedam vero tamquam erratis accenſenda notavi, quae tamen fieri poteſt, ut recto talo ſtare valeant. Idcirco iſthaec ſtellula ſignavi. Ceterum tibi gratias ago, quod mihi illorum copiam in anteceſſum feceris. Tantam profecto mihi eorum lectio jucunditatem peperit, quantam is experitur, qui in aurei ſaeculi ſcriptores legendos totus incumbit. Neque illud praetereundum, quod mea ſententia, prima laus eſt in hujuſcemodi epigrammatis: nimirum, quod aureus illorum auctor ita brevitatem ſectatur, ut nullibi ſenſus obſcuritate infuſcetur. A me Marchioni Spiriteo τῷ πάνυ ſalutem plurimam dicito. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei non. Octob. CIϽIϽCCLXIII.

EIDEM. 91

MVltum te amo, quod oden, quam in Marcum Mundium τὸν μακαρίτην concinnavi, quam elegantiſſime, καὶ ἄνευ σφαλμάτων edendam curaveris. Nihil certe conducibilius Reip. litterariae praeſtari poteſt. Quod vero ſignificabas mirum in modum placuiſſe Paulo noſtro, quod ejus operarum diligentiam atque ἀκρίβειαν laudarim, ſic habeas, me non pro merito ipſius dexteritatem juxta atque curam laudaſſe. Res porro

ipſa loquitur: quotquot enim ex ejus Typographia libri prodeunt, tanta ſe commendant munditie, elegantia, formarumque nitore atque errorum immunitate, ut jam Batavis editionibus minime videatur invidendum. A me illi ſalutem multam officioſe. Cura ut valeas.

EIDEM. 92

QVantopere nativi ſoli amor ducat, atque vel invitos repugnanteſque pertrahat, qui te vel obiter ſpectavit, id ei luce meridiana clarius patebit. Namque ſi quando res tempuſve poſtulat, ut Porta Campana egreſſus patrios lares reviſas, tamquam letheum ebiberis poculum, reditus omnino obliviſceris. Primum id fieri putabam, quod Aulico ſplendore praeſtrictus, Primores quoſque colere, ambire, ac prenſare facillimam arbitrabare viam, quo celerius ad honores evolares. Neque id temere erat, Quanti enim te faciant lectiſſimi Equites atque apud omnes gratioſi, haud ignorabam. Verum id me injuriâ ſuſpicari animadverti, cum te poſt Regiae Aulae reditum ita iſthic moras nectere amicorum epiſtolis certior factus ſum, tamquam depoſita Neapolis cogitatione, parentis in ſinu marceſcere decreviſſes. Sane quidem, quod nunc ex aliorum ſermonibus certus dico, vel paucis poſt tuum abitum diebus affirmare potuiſſem, ni tantum amicis tribuerem, tantique illos facerem, ut, vel leviter de illis ſuſpicari, maximum piaculum exiſtimem. Statim ſcripturum editaeque epiſtolae exempla per certum hominem tibi mittenda, te cura-

curaturum, ut tuto ad me perferrentur, promiſeras ſančteque receperas. Verum vix Clementinos fines ingreſſus promiſſa praeſtare ita neglexiſti, ut vel boni viri, nedum amici, officia deſeruiſſe videaris. Vix ſemel mihi ſalutem adſcripſiſti, neutiquam facturus, niſi epiſtolii qualiſcumque cupiditate incenſus, amiculi meminiſſes. Tecum habeto, queſo, tuum iſtum morem neſcio quid Campani ſupercilii redolentem, neque poſthac amiculos demereri ſatagito, quos nihil prorſus commeritos inſonteſque ludibrio habere ſtatuis, dignoſque putas, quos impune aſpernêris. Pergito, ut coepiſti, urbeque abeſto quam diutiſſime. Montana loca colat, qui ita humanitatem exſuit, ut feras inter innutritus videatur. Nunc demum intelligo, cur hominum conſpectum fugitas teque in luſtra condis, publicam lucem declinaturus. Quid? ſi hominum ultionem defugeris, haud tibi dabitur, ut caeleſtem iram devites. Nonne, vel te confitente, parum abfuit, ut aquarum urceatim decidentium copia obruerere, ni ſanctiſſimi Antiſtitis comitatu, tamquam validiſſimo ſcuto protectus, incolumis evaſiſſes? Cave, quaeſo, in poſterum ut ita te geras, ne revera graviore perculſus malo ceteris exemplum ſtatuaris. A me parenti tuo optimo amantiſſimoque ſalutem plurimam annoſque Pilios apprecator officioſiſſime. Amici omnes te ſalvere jubent nominatim. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei poſtr. kal. Jan. CIↃIↃCCLXII.

P. S. A me tuo iſti Antiſtiti vigilantiſſimo ſapientiſſimoque, poſtquam ſalutem nuntiaveris

plurimam, manum adorato peroſſiciofe. iterum vale.

MICHAËLI TESTAE

Paulus Moccia S. D. 93

QVod praeteritis diebus te jubente ad clariſſimum Joſephum Carullum ſcribere obſfirmate detrectaverim, mecum gaviſus ſum vehementer. Hem! me vocante atque blande invitante, eo pertrahere impudenter conabare, proh qualem quantumque virum! ubi Mephitis ſacra ſingulas in horas renovantur? Tanto enim tuae Aedes putore infeſtantur, ut nonniſi continentibus ſuffimentis, ac non mediocri turis Sabaei vi atque copia repurgandae videantur. Foetor quippe hedera arctius ipſis parietibus, veſtibus, ipſique domeſticae ſupellectili, qua affatim abundas, ahaeſit. Praeterea, quod peracta funeratione fiebat, uſurpes neceſſe eſt. Nimirum exverriae tibi ſunt indicendae, domuſque, quanta quanta eſt, ſcopis naviter permundanda. Alias, deinceps Aedes tuas amoeniſſimo in loco poſitas, mariſque proſpectu montiumque praeſtantiſſimas, tamquam triſte Bidental, vitabimus. At inquies, num familiarica ſella, quae jam uſque ad ſummum os impleta, tantum non exundabat, ut ita aeternum maneret, pati debebam? Nonne, amabo te, periculum fuiſſet, ne tota urbs, nedum domus, exundante foraſque erumpente κόπρῳ operiretur? Vt leviſſime dicam, ſaltem ſcaphis non ſine praelongo conto utendum nobis foret. Haud ita pudorem

dorem abjeci, ut iſta pernegem. Verum, quod interdiu factum eſt, nonne noctu peragi, nullo ultro citroque itantium incommodo, atque quam celerrime, duplicatis operis perfici poterat? Ita quidem non modo tibi, verum etiam urbis indemnitati conſultum iviſſes. At, quo, malum, ventrem exoneratum abiſſem? Quo? ad mare, quo quam proximo uteris fruerisque. Atque utinam tibi iſthaec ſententia ſederet! utique in poſterum Aedes tuas, ceteroqui caeli ſalubritate proſpectuque eximias, tutius adiremus. A me Campolongo, Corteſio, Farinae, Magnonioque, quos nedum diligo, verum etiam amo, dicito ſalutem peramanter. Cajetanus Migliore te officioſe ſalutat. Vale.

EIDEM. 94

HEri perveſperi cum e regiis molibus in altum jactis, quo me deambulatum contuleram, πόδα κατὰ πόδα redirem, mihique exterius iret latuſque tegeret eruditiſſimus adoleſcens; forte fortuna mihi occurrerunt Andreas Ligorius, Cyruſque, proh quales animae! At ubi tam exſpectatus contigit occurſus? prope cupedinarium e regione Salientium. Vix tres, quatuorve paſſus, plus minus, ab illo aberamus. Mutuis de more perſolutis officiis, vix illa vulgaria abſolveramus. Numquid novi? unde, & quo? quid agitur? quî valetur? Ecce tibi Andreas derepente: quî mihi ſalivam movent libula illa! quam belle ſapiunt, ubi adhuc calent non ſine ubere ſalis aſpergine! Amicule, crede mihi, vel ſum-

mos digitos lamberes. Audin' quî ſartago crepitat ſiſinnitque? Proh ſuperûm atque hominum fidem! jam nidore conficior. Pauxillulum praeſtolamini, quaeſo; jam huc adero. Nos, quid ageretur, neſcii, ſermones caedere perreximus. Cum ἅμ' ἔπος ἅμ' ἔργον Andreas laetitiis omnibus geſtiens catinum attritum eumque decruſtatum adfert calidis libis refertiſſimum. Et, quod caput eſt, jam ambabus malis unum alterumque devoraverat. Quid facias illis, qui neque aequum bonumque, neque rectum malumque ſciunt? Feras oportet, ne quid pejus contingat. Qua de re omnes rubore licet ſuffuſi, quippe qui in medio foro omnibus ſpectaculo eramus, morem heluoni amico geſturi, conſertis tamen humeris, tergoque turbae ultro citroque itanti obverſo, feſtinanter libula frixa comedimus. Comedimus? Vix unum ſinguli ſummis labiis attigeramus, cum jam acervatum catinum nedum detumuiſſe; verum etiam corraſum tonſoriſque pelvi mundiorem conſpeximus. Proh quale barathrum perniciesque ciborum! vel lupinam famem multis paraſangis antevertit. I nunc, atque illi condicito coenam. Certe actum de quovis eſſet, licet Satrapes ſiet. Haec ad te ſcripſi, non quo amiciſſimi hominis famae quidquam detractum velim; ſed ut Emmanueli, quem oculitus amo, argumentum ridendi ludendique praeberem. Turpe quidem eſt magiſtrum cum culpa redarguit ipſum. Amice amantiſſime, vel me tacente, intelligis, haec a me ſcripta eſſe tantum, ut tempus fallerem, tibique ad domeſticas res, quam par eſt, attentiori, quoad in me ſitum eſt, levamento forem.

A me

A me Andreae Farinae, Campolongo, Ligorioque, mihi oculis ipſis carioribus, ſalutem plurimam nuntiato officioſe. Cajetanus Migliore te ſalvere jubet plurimum. Vale.

EIDEM. 95

CRedideris! adhuc meaè aures perſonant ſuaviſſimis heſternis ſermonibus, inque meam mentem continenter récurrunt, quae mihi elegantiarum juxta atque leporum, charitum, venerumque penu inſtructiſſima poëmatia recitaſtis. Inter dormiendum, modo nuptialium Deorum chorus mihi adſtare videbatur, modo ipſemet una cum Pronuba Junone ſurſum deorſum mihi videbar curſitare, ne quid omnino ſponſae deeſſet; interdum triſtiſſimam Nymphae parentem ſolari, a qua jam avellenda foret; quandoque Pontificem Maximum affectari videbar confareationem rite peragentem, ſponſamque in viri manum ſacraque transferentem. Quam bene congruunt diurna nocturnis! quam vere dicitur, dormientes ea paſſim ſomniare, quae quiſque profitetur, quamque exercet artem! Ne ipſe quidem Coëmptionalis ritus meis abfuit ſomniis. Jam mihi videbar videre libripendem una cum puberibus teſtibus iiſque Quiritibus imaginaria aeris traditione nuptiale foedus jungentem, familiaſque familiis nummaria ratione ita copulantem, ut jam ab una profectae gente viderentur. Praeclare profecto mecum ageretur, ſi in ſingulos dies hujuſmodi virorum conſortio, colloquiis, conſpectuque frui concederetur. Ita qui-

dem

dem vel illud tempus, quod neceſſariò quieti datur, vel nobis invitis conducibile non mediocriter noſtris animis excolendis atque iterato ſubigendis experiremur. Deus bone! quot quantaque in remp. litterariam importantur bona per eruditos viros, eoſque non perfunctorie in rebus philologicis verſatos. Quocumque accedunt, litterata relinquunt veſtigia, tantumque ſapientiae proſeminant ſtudium ardoremque, ut mirabiles ſui excitent amores. Quare id quod Divinus Plato tamquam ἀδύνατον deſperavit, id exitu comprobatum eſſe laetor vehementer. Namque per homines ſapientes litteriſque perfecte imbutos idem efficitur; atque per illos perinde afficimur ac ſi ipſam ſapientiam oculis ipſis intueremur. Praeterea, ut alia deſint omnia, nullumque ſuppetat argumentum, quo res luce meridiana clarior probetur (res enim ipſa loquitur); veſtra conſuetudo, utinam convictus! eruditique ſermones nullo non lepore conditi id evincerent quam facillime. Quare, amice amantiſſime, te rogo obteſtorque, ut identidem (utinam in ſingulos dies!) tanto viro tamque praeclare de Muſis merito ſtipatus me inviſas, ejuſque jucundiſſimo conſpectu exhilares beeſque. Quod autem ſerius exſpectatione hoc epiſtolium jampridem rudi manu inchoatum accipias, ignoſcas mihi, te obſecro. Ita enim ſum, ut, quae inceperim, ſi forte imperfecta relinquo truncataque, abſolvam pene numquam. A me Andreae Farinae, comitate, morum facilitate, doctrina, ſcientiis diſciplinisque omnibus praeſtantiſſimo viro, ſalutem plurimam impertito diligenter. Vale, meque, ut facis,

facis, ama. Ex Aedibus Regii Ephebei id. April. CIↃIↃCCLXII.

EIDEM. *96*

POmeridianis horis, uti noſti, ad Coniclen σὺν Θεῷ pergemus ſacras de more exercitationes obituri. Bene ſit Regi noſtro, quem Deus diutiſſime ſoſpitet, cujus expenſis vel animabus conſultum imus. Omnino igitur impediar, quominus, tuo luſtrico recurrente die, tibi coram, uti prorſus factum oporteret, fauſtos comprecer annos quovis bono cumulatiſſimos. Quare ſi in anteceſſum implevero officia ſtato die praeſtanda, haud vereor, ne non aequi bonique conſulas. Quid ni? Ignoras ne maturiore ſolutione nomina bis reſcribi? His accedit, quod has litteras accipies, cum jam inierit feſtus dies Divo Michaëli ſacer, undaque ſalutatorum jam confertim itare occoeperit. Hebraeorum quippe more feſtum veſpere incoepiſſe, alteroque jam vertente deſiiſſe, nemo eſt qui neſciat. Quocirca non eſt, cur mihi ſubiraſcare, licet velis, nodumque in ſcirpo quaeras, ſi tibi gratulari feſtinanter prima fronte viſus ſim. Exporrige ergo caperatam frontem, litteraſque officioſiſſimi amici excipito, qua ſolitus es humanitate, mihique jam in Coniclêas Aedes magnis itineribus proficiſcenti incolumitatem viciſſim, ac veniam erratorum a Deo O. M. precator enixe. Proh quot quantiſque σφάλμασι a calce ad caput obruor! At illud doleo macerorque non mediocriter, quod ad ceteras meas noxas tamquam cumulus acceſſerint, quae nudius tertius

tertius in Andream , Cyrumque ſane quam impudenter effudi . Male ſit Cupedinariis , libulis , atque fartoribus ! Namque abſque eo eſſet , benignius mitiuſque mecum apud Deum ageretur. Qua de re, ſi quid liberius ſcripſi , famamque amicorum vel leviter laeſi , muto factum , palinodiamque ad ravim uſque cano. Et , ſi hoc haud ſatis eſſe viſum fuerit , vel lingua ipſa , quae chartis illevi , emungam ! Verum quid multa ? Te deprecatore non ſine amiciſſimi Emmanuelis eximia opera praeſentique ope in ſpem ingredior fore, ut voti compos factus, pacatius tranquilliuſque ad animum culpis (heu quot quantiſque !) inquinatum expiandum fortiter accingar. Faxit Deus O. M. ſuperique omnes , ut vitiis triumphatis victor ad vos ſpoliiſque Acherontis onuſtus revertar ! A me amicis omnibus ſingulatim ſalutem plurimam ſi communicaveris , per mihi gratum facies. Vale.

EIDEM. 97

VVlnus, quod jam obductum putaveram, recruduiſſe dolui vehementer. Jam exciderant memoria ; quae imprudens adverſus Ligorium , Cyrumque ſcripſeram, atque nulla malefactorum conſcientia , nulliſque furiis exagitabar ; cum heſterna die mihi tamquam agmine inſtructo occurrerunt , dum ſingulos anteactae vitae actus ſingulaſque cogitationes Deo mihi praeferente facem diligentiſſime rimabar. Cum enim loca omnia animo luſtrarem , quo ut plurimum me conferre conſueveram , ſive liberiore coelo frui-

fruiturus, ſive, uti non raro accidebat, novas res aucupaturus, cumque omnia tamquam in ediſſimo loco conſtitutus attente circumſpectarem, en ubi ad Aream, quae ante Caſtrum Novum explicatur, pervenio, e veſtigio obviam habui amicos, quos maledictis proſcideram, indignabundo ſimiles, atque me torve intuentes. Credideris! obrigui, totiſque artubus contremiſcere occoepi. Hui! hoc etiam mihi expiandum ſupererat, & ſecurus tamquam ſolidatis rationibus quieſcebam? me miſerum! utinam obtorpuiſſet manus, cum calamum arripui, quo in benemerentiſſimos homines cenſoriam virgulam diſtringerem! Male ſit cacodaemoni, cujus technis praecipue factum eſt, ut libulorum comeſtio in medio foro uſque adeo probroſa mihi videretur, ut etiam publicis litterarum monumentis teſtandam, ac dicteriis ſcommatiſque coërcendam exiſtimarem. Quare illos a me etiam atque etiam obſecrato, ut mihi iterum veniam petenti, erratumque ingenue confitenti, ignoſcant, noxamque omnem Athenienſium more ἀμνηστίᾳ obliterent expungantque. Quod ſi fecerint, uti facturos tua praeſertim opera non deſpero, me ſibi beneficio obſtringent ſempiterno. At te Dj perdant eradicentque, amiciſſime ceteroqui Emmanuel, qui neſcio quo fato Ligorium odio odiſti Vatiniano! Namque ut tibi riſum cierem, teque plerumque ſubtriſtem exhilararem, orationis floribus, quoad in me ſitum fuit, conveſtivi, quod revera factum non fuit. Ecce novus me pungit ſcrupulus: dum prudens vito culpam, imprudens in aliam labor, eamque graviorem. Manum igitur de tabula; at-

que

que illud ob oculos ut habeam diligenter curabo: μηδὲν ἄγαν. A loquacitate quidem exulat ſapientia. A me amicis omnibus ſalutem plurimam. Vale, meque, ut facis, ama.

EIDEM. 98

QVod vel neque hîc quidem, quo me contuli hominum conſuetudinem conſortiumque aliquantiſper declinaturus, a ſcribendo ceſſem, tibique ceteroqui aedium rimoſarum amiciſque eo convenientibus non mediocre periculum comminantium inſtaurationi ſedulam operam navanti negotium faceſſam, teque importune interpellem, ne mirere, te rogo obteſtorque. Namque hoc ſollemne ſemper fuit iis, qui mundo valere juſſo, tantum ad aeviternas res animum appulerunt. Ceteros quippe omnes ita caducis fluxiſque affici autumant, quemadmodum ſe ab illis nedum pertrahi, verum nec etiam allici, aut potius titillari deprehendunt. De iis quidem loquuntur tanta animi quiete, atque ita ἀδιαφόρως, tamquam ſi de intermundiis Epicuri, aut de Lunicolis ſermo inſtitueretur. Nihil omnino ipſis continenter obverſatur, nihil eorum animos afficit, nihil denique eſt, quod cogitent attentius, quam quod cum aeternali vita caeleſtique beatitate conjunctum eſſe videtur. Eo ſpectant, quae aſſidue ducunt ſuſpiria, lacrymae, vota, fervidaeque preces. Omnino ipſis ſordent, quae terram ſapiunt, & tandem aliquando tamquam veſtimenta obſoleſcent. Quare cave, ne meas haſce litteras tamquam inintem-

tempeſtive te adeuntes repellas, eaſque tuarum aedium aditu intercludas. Illud memento ſerioque attende, has haud fuiſſe conſcriptas ab ardelione, cupidoque pecuniae; ſed ab homine inimico lamnae abditae terris, nummique in arca ſuſpirantis, & ab eo, quem, ſi fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinae. Τέτων ἔτως ὄντων, putaſne illum Orthoſtatae ſubſtructione commotum iri? Erras toto caelo, ſi ita animum tuum induxeris. Vtinam omnium bonorum largitor Deus illam tibi mentem immitteret, ut huc pauxillulum venires! proh quanta, momento temporis, rerum commutatio conſequeretur! tantum tibi caeleſtia curae forent, eaque te nedum invitarent, verum etiam raperent licet invitum repugnantemque. Tum quidem Paraſtatae, retractiones, balthei, διαζώματα, loriculae, caryatides, tophacei collis fultura, exulatum abirent, atque indignabundus ſtatim exclamares: ἑκὰς ἑκὰς ἐςὲ βέβηλοι. Quare, ſi ſapis, tantum cura, ne domus ſit ruinoſa, alioqui viatoribus periculum, urbique deformitas creabitur, &, quod caput eſt, multae arbitrio Aedilium obnoxius eris. Cetera Cajetano, communi amico, Architectonices ſcientiſſimo, permittito. A me amicos omnes ſalvere jube, eoſque etiam atque etiam rogato, ut me mutuis apud Deum precibus adjuvare minime graventur. Illud vero moneto Emmanuelem, quod: πολλάκις τὰ μὴ καλὰ, καλὰ πέφανται. Haud enim ita horrida μετάνοια videtur, ut tantum Anachoretis reſervandam exiſtimemus. Vale, meque, ut facis, ama.

EI-

EIDEM. 99

HAc proxima nocte, tota quidem quanta fuit, omnino non vidi ſomnum oculis meis. Continenter enim animo obverſabatur meo tuum ſpectrum tantum non moerore confectum, itaque me alloqui videbatur. Egone, qui te volens libenſque aedibus meis excepi, amice atque peramanter tibi operam dicavi nedum meam; verum etiam omnium domeſticorum, tuoque ab ore pependi, maximo me piaculo obſtringi exiſtimans, ſi vel latum unguem a te diſcederem; nunc id commerui, ut tuis litteris, maledictis, ſcommatis, dicteriiſque ad nauſeam refertis proſciſſus, omnibus ludibrium debeam, atque deſpicatui habear? Cumque tandem carpendi vellicandique argumentum deeſſet (proh pudor!) ut inexplebile cacoëthes quo quo pacto exſatiares, vel faediſſime famem depuliſti. Ne familiaricam quidem ſellam, quam inſtaurandam permundandamque locaveram, ne urbis indemnitati vel tantillum officerem, intactam reliquiſti. Eheu! quae in me non effudiſti impudentiſſime? Tibi nunc ea ſingulatim objectarem oggereremque, ni pudore retinerer. Vel in caupona, nonniſi honoris praefatione, nominanda forent. Vix haec fatus, cum ubertim, ne dicam, urceatim flere occoepit. Tum enim vero obrigui, ac non temere timui, ne mihi in capillum involaret, meque diſcerperet. Amice amantiſſime, te oro obteſtorque, ut illud caveas diligentia, qua fieri poterit, maxima, ne, quae ſomnians vidi, interdiu exitu comprobentur.

Quare, ne mirere, quaeſo, ſi infrequens fuero, tuiſque aedibus abſtinuero per aliquot dies, aut potius menſes: vera enim ſubeſt timoris cauſſa, quae tantum temporis longinquitate evaneſcet. Amicos igitur meos omnes tui ſtudioſiſſimos meis verbis nedum ſalvere, verum etiam valere jubebis. Vale.

P. S. Si forte ἀκριβέστατος Campolongus in hanc epiſtolam inſurrexerit, a me roges, te oro, ut ſibi in memoriam revocet oden XXXI. lib. I. cujus pene in medio haec habent: *daret ut catenis fatale monſtrum, quae generoſius perire &c.* Jam enim mihi illum videor videre auribus arrectis in eo eſſe, ut in me cenſoriam virgulam diſtringat, atque plagoſi magiſtri ad inſtar me tremebundum manum ferulae ſupponere jubeat imperioſus. Vt verum fatear, neminem hactenus vidi, qui aliena ſcripta eruditioribus atque magis lynceis oculis contemplaretur. A me illi ſalutem plurimam dicito, &, ſi quid forte abnorme exciderit, feſtinanti calamo ut adſcribat, etiam atque etiam obſecrato. Iterum vale.

EIDEM. 100

AIſne? Vena, qua hactenus benigne uſus es, ita exaruit, ut potius de ſicco pumice aquam exprimas, quam a te vel unum Etruſcum verſiculum extundas? Quonam abiere propitiae olim faventeſque Camoenae, quae tibi vocatae atque non vocatae aderant? Videſis, quaeſo, te excute: iterum caedito pluteum, caput ſcabito,

neque parcito vivis unguibus: periclitare, amabo te, num iterum cum illis in gratiam redeas. Licet enim quandoque ſubiratae aufugiant aliòque avolent; tamen ſi iterum rite vocaveris, utque tibi ignoſcant, enixe oraveris, fortaſſe exorabis. Femineus quidem furor, ut repente effervefcit, atque ultima quaeque minatur, ut res omnino conclamata videatur; ita tamen ſtatim paleae ignis ad inſtar reſtinguitur evaneſcitque. Accedit quod non agitur de laudibus humanis; ſed, de magni nominis Divo, quem pro lubitu, modo ſiſtes Vlyſſipone, modo Patavii, atque id nullis magicis artibus. Quo ſane, quid mirabilius fingi poteſt, aut Venuſini Vatis canonibus magis conſentaneum? Quod ſi ad ternadenas gratias, decimaſque pullarias animum paulliſper adjeceris, ecquaenam non ſuboleſcet dicendi ſeges? Vt verum dicam, illud non mediocriter vereor, ne rerum copia inops efficiaris, tamquam ſi dubiae coenae aſſideres. Age, quaeſo, calamum arripito, poſtquam calamario cultro recte exacueris, teque ad opus humeris tuis minime impar accingito. Cura ut valeas.

COMITI PHILIPPO GVIDO

Paulus Moccia S. D. 101

EN tuis juſſibus, qua fieri potuit celeritate, &, quod caput eſt, ingratiis acerrimi capitis doloris, quo mire torquebar, obtemperavi. Obtemperavi autem? quin imo meis flagrantiſſimis votis cumulatiſſime praeter exſpectationem

ſatis.

ſatisfeci. Jamdudum enim illud impenſiſſime optaveram, ut, qualicumque oblata occaſione, meam erga talem tantumque virum (cui incorrupta fides, juſtitia, abſtinentia, caritaſque erga Patriam quando invenient parem?) meam, inquam, obſervantiam quo quo modo teſtarer. En igitur tibi, hoc qualecumque eſt, debeo, tibique uni me acceptum referre ingenue profiteor. Qua de re tibi, uti par eſt, gratias ago maximas, & quod me potiſſimum tua imperata facere volueris, & quod meam opellam induſtriamque illi dicaverim, apud quem jampridem enixe cupiveram, ut aliquod mei grati animi obſequiique monumentum exſtaret. Quod ſi vero tibi etiam probari hoc epigramma cognovero, tantum laetabor, quam qui maxime. Hugolinus Gannuſius Regius ephebus eques, praeclara ad virtutem indole adoleſcentulus, quique pro aetatis ingeniique modo magis magiſque in dies in ſtudio litterarum progreditur, tibi ſalutem plurimam adſcribit una cum Dominico Venuto φιλοπόνῳ adoleſcente graphidique prae ceteris deditiſſimo. Cajetanus Migliore te plurima ſalute impertit. Cura ut valeas. Ex Aedibus Regii Ephebei x. kal. Maj. CIↃIↃCCLXIV.

Quum

Sive mercatorum fraudibus ſive curatorum annonae

Incuria ſeu quod exacto anno meſſis pene nulla fuit

Regnum Neapolitanum

Summa rerum omnium inopia

Frumentique difficultate ac penuria tanta laboraret

Vt nedum diuturna caritas acriſque fames

Verum mors etiam ipſa pertimeſcenda videretur

Quae jam hac illac qua data porta ſaeviter ruebat

Ac non paucos elangueſcentes demetere occoeperat

Quod

Marchio Bernardus Tanuſius

Ferdinando IV & a conſiliis & a ſecretis

Divique Januarii cingulo inſignitus

Vir prae ceteris ad publicam rem procurandam

Difficillimis perditiſſimiſq. temporibus

Proprie factus natuſque

Ex tranſverſo incurrens provido inexſpectatoq. conſilio

Magis magiſque in dies ingraveſcenti annonae

Malis

Malis adeo calamitatibuſque furenter ſerpentibus
Extremaque omnia comminantibus
Tamquam ferro ignique ad tempus admotis
Sic frumento e longinquis regionibus advecto
Obviam mature eundum curarit
Futuraeque meſſis indemnitati conſuluerit
In ſingulos quoſque Pagos Vrbeſque annona diſtributa
Ordo populuſque Neapolitanus
Nec non accolae incolae inquilini exteri
Tali tantoque Viro
Patri Patriae Regnique conſervatori
Grates perſolvunt maximas
Habebuntque omni vita immortales
Prid. kal. Majas CIↃIↃCCLXIV.

FRANCISCO CARIGNANO

Novolenſium Duci

Paulus Moccia S. D. 102

VBi heſterna die in aedibus Goyſuetianis per filium tuum, Fratrem Felicem, Melitenſem equitem eumque Commendatarium, accepi, te pene jam recte valere, morbumque, qui tibi pedes manuſque acerrime corripuerat, jam remiſiſſe, maximam cepi voluptatem. Dolebam equidem nec mediocriter, quod tu, qui muſis ſcientiiſque omnibus ita amicus es, ut praeclariſſime de illis meritus omnium ore praediceris, morbo ſic lecto decumberes, ut iis omnino bellum indicere cogereris. Quo quid miſerius, quidve moleſtius litterato viro, continentique librorum omnium lectioni deditiſſimo contingere poteſt? Nae ego numquam te adivi, quin te in libros incumbentem offenderim. Numquam praeterea veſpertinis te oris conveni, quo tibi familiariter te gerenti, animumque una cum ſpectatae fidei amicis, nec non tuis liberis, tui perſtudioſis, tuoque ab ore pendentibus, relaxanti, officium facturus adeſſem, quin melior eruditiorque diſceſſerim. Vix dici poteſt, quot quantiſque leporibus juxta ac ſucco plenis ſententiis dictiſque tuos adſpergis & tamquam exquiſitis embammatis condis pro re nata ſermones. Quae cum ita ſint, quî non gaudeam, quin imo laetitiis omnibus geſtiam, cum te jam morbum reliquiſſe audio?

Cura.

Cura, quaeſo, ut valeas pugiliter: nihil enim gratius omnibus facere poteris. Vt talium virorum reliquiae quam diutiſſime reſtent, quis non conceptis votis exoptet? A me tuis filiis omnibus, quos ad omnem humanitatem vel ab ipſa pueritia non ſine immodicis expenſis ac ſingulari diligentia informandos curaſti, ac nominatim Fratri Felici de litteris inſigniter merito, ſalutem plurimam dices, quam etiam Vincentio Ferrario, ac Nicolao Bellio, viris morum candore praeſtantiſſimis, meo nomine imperties. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei v. id. Maj. CIↃIↃCCLXIV.

DEODATO TARGIANIO

Paulus Moccia S. D. 103

NE tuis quidem juſſibus confirmatus, nec tua ſingulari erga me impulſus benevolentia, neque tandem morum tuorum ſuavitate allectus, jam omnino deliberaveram, mitterem ne ad te, quod concinnaveram epigramma. Quanti enim, multis nominibus, ac praeſertim omnijugena eruditione, qua mirandum in modum prae ceteris praeſtas, ſis faciendus, probe noram. Quantis porro occupationibus iiſque graviſſimis diſtineris, &, quod magis eſt, litterarum ſtudiis haudquaquam intermiſſis, nedum valere juſſis, quis, amabo, eſt, quem praetereat? Quae cum ita ſint, quo tibi ore ſiſterem, quod αὐτοσχεδίως fuderam, licet in illum virum faciendum ſuſceperim, qui nullis quamvis exquiſitis perfectiſque ad unguem praeconiis ſatis pro merito commen-

dari poterit? Miram diligentiam, animumque vere paternum, quo hoc Regnum impenſiſſime proſequitur, ad poſteritatem omnem publico litterarum monumento (utinam ſemper manſuro!) tranſmittendum curavi. Quod vero unum dumtaxat exemplum ad te miſerim, ne mirere. Vnum omnino e multis, quae typis mandanda curaveram, mihi ſuperfuerat. Mirum quam praepropere omnia huc illuc avolarint. Atque hinc facile intelligi potuit, quanti ille merito fiat, quantoque ipſum viciſſim Neapolitani omnes amore complectantur. Is enim eſt, ut probe tenes, qui publico tantum bono ſtudet, ceteraque omnia poſteriora habenda exiſtimat. Quî miremur igitur, quod ei, ſi non referenda, ſaltem habenda gratia, omnes grati eſſe ac videri connitantur? Cajetanus Migliore te plurimum ſalvere jubet officioſe. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei non. Maj. CIƆIƆCCLXIV.

ANTONIO LEONIO

Paulus Moccia S. D. 104

HEſterna die, poſtquam abs te abii, qui mihi forte fortuna in Toletana via juxta aedes Perrellianas occurriſti, domum recta reverſus, ſtatim tua juſſa facere occoepi. Duo enim exempla epigrammatis, quod in Marchionem Bernardum Tanuſium condideram, in faſciculum complicavi, quo ad te nulla interpoſita mora perferrentur. Quin & ſervo, homini ſatis diligenti certoque, tradidi. Verum neſcio quonam nego.

negotio nec opino impeditus fuit, quominus eadem hora ad te convolaret. At inquies: quorſum iſthaec purgatio? Nonne te poſtridie mane illa miſſurum promiſeras, itaque condixeramus? Sane quidem. At vero me illud magis magiſque impulit, ut quam celerrime tuis imperatis parerem, ſcilicet quod inter loquendum jeceras, illo in epigrammate neſcio quid dicacitatis ineſſe. Crede mihi, tantum abeſt, ut cuiquam obtrectare voluerim, ut potius culpam omnem, quoad fieri potuit, elevarim, cauſſis annonae caritatis dedita opera γενικῶς recenſitis. Accedit huc, quod quas illic memoravi penuriae cauſſas, jam publicae Ephemerides, quae hîc in ſingulas hebdomades bis excuduntur, uncialibus litteris diſerte expreſſerant. Quare te etiam atque etiam rogo, ut illud attente legas, &, vera an falſa ad te detulerint, mihi quamprimum ſignifices. Vere ut dicam, ſollicitum me habuit dicacitatis quantuluſcumque rumor. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei III. non. Maj. CIƆIƆCCLXIV.

CARMINO GERUNDAE

Paulus Moccia S. D. 105

EN fidem, quam tibi heſterna die obligaram, libero; ſed ſerius tua opinione. Pluvium enim tempus imberque pene continens in cauſſa fuerunt, cur promiſſum adamuſſim minime praeſtiterim. His adde ſegnitiem meam ceſſationemque: nihil quidem tam gravate facio, quam exſcribere ea, quae ſemel currenti cala-

calamo effudi. Haud vereor, ne non hanc meam purgationem accipias, pro ea qua mirifice praeſtas humanitate. Quod ſi vero, quam hic complicavi epiſtolam, ſapientiſſimo Melphitanorum Antiſtiti legendam tradideris, illud in anteceſſum moneas te rogo, hanc tumultuario opere confectam fuiſſe, anguſtiis ſcilicet temporis, in quas imperio ampliſſimi viri, cui repugnare nefas erat, conjectus ſum. Neque id adſcripſi eo conſilio, ut laudes invito exprimam, neque ut laureolam in muſtaceo quaeram; ſed ut, quemadmodum res ſe habuit, ingenue tibi ſignificarem. Praeſuli tandem vigilantiſſimo bonoque chriſtianae Reip. ingenuiſque artibus promovendis nato a me ſalutem plurimam dicito; quam etiam pientiſſimo Orontio, priſcae fidei viro, ejuſque incomparabili conjugi, beneque moratis liberis omnibus, ſolidae pietatis virtutiſque alumnis, meo nomine officioſe ac diligenter imperties. Vale, meque mutuis apud Deum precibus adjuva. Ex Aedibus Regii Ephebei VII. idus Jan. CIƆIƆCCLX.

EIDEM. 106

TVas litteras, quae mihi nonniſi a coena redditae fuerunt, ſtatim tamquam lectiſſima Sicula dulciaria devoravi. Neque illud uſurpandum cenſui: *σπȣδαῖα εἰς αὔριον*. Quid enim illis jucundius, quid ſuavius, quidve ſapidius afferri poterat? Paſchalibus officiis vicem Natalitiis fauſtis ominibus cum foenore reddebas. Quod enim tibi privatim perſolveram officium, id mihi nedum tuo nomine, quod mihi quidem ſatis fuiſſet;

fuiſſet ; verum etiam totius Academiae verbis humaniſſime praeſtitiſti. Quodque caput eſt, atque ſummi in beneficii loco ponendum, illius coetus nomine id peragis, cui Paroecus noſter, vir omnijugena eruditione excultus, jure optimo praeeſt. Quare tibi tuiſque omnibus ſodalibus, ac praeſertim Academici conſeſſus προςάτῃ, gratias ago maximas, habeboque, quoad vivam, immortales. Interim ad te mitto exemplum epiſtolae, quam praeteritis diebus ad clariſſimum Comitis Claromontii filium dedi, puerum pro aetatis ingeniique modo praeclare de interioribus litteris meritum. Eam ſi tua Stentorea voce coram Academicis legeris, tantum mihi gratum erit, quam quod maxime. Neque dubito, quin te libenter audiant, qui me tamquam anſerem inter olores perſtrepentem patienter auſcultarunt, cum adverſus Barbeyracium juramenti ſanctitatem religionemque peſſumdare ac labefactare irrito conatu audentem declamarem. Verum de his hactenus. Illud, quod, neſcio quonam maledicendi pruritu & cacoëthe adductus, ſubdidiſti, quoad ſcribendi modum, haud ſatis concoxi. At dabis, improbe, poenas. Italum ſcilicet ſermonem ſelegiſti, quo certius ſignum attingeres. Quibus enim frequentius uteris armis, ea adhibuiſti, ne referientem, fruſtra ferire videreris. Verum neque ita latere tecto pugna diſcedes. Cum enim aliquantum praeluſero armaque eventilavero, luſoriis armis poſitis, te ad decertatoria, quibus tu a teneris, uti ajunt, unguiculis aſſueviſti, audacter laceſſam. Namque & ego quid Etruſce valeam, vel non ſine periculo experiri decrevi.

crevi. Eſto, vincar, tecum tamen certaſſe praedicabor. Te tamen ſecurum nihilque tale cogitantem ad paria comparanda provocabo. Interim a me Academicis omnibus, ac praeſertim congreſſus Patrono praeſtantiſſimo, ejuſque fratribus eruditione inſignibus, ſalutem plurimam una cum Paſchali fauſto omine imperties diligenter. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei VII. idus Jan. CIƆIƆCCLXIV.

P. S. Duci Carignano, viro erudititiſſimo, ac priſcae fidei, quorum hominum reliquias adhuc reſtare laetamur, ejuſque liberis Muſarum alumnis, ſalutem meo nomine nuntiabis officioſiſſime. Iterum vale.

EIDEM. 107

ITane obligatam fidem liberas, ut omnino te nedum promiſſi, verum etiam tui ipſius immemorem fuiſſe, non mediocri animi mei dolore compererim? Jam ſortitio appetit ludentiumque fervet opus; tu autem in utramvis aurem dormis, tamquam res nihili ageretur! Anne jam tibi mente excidit, quod praeteritis diebus perſancte promiſeras? Nonne ita cum amiciſſimo Coſma te acturum recepiſti, ut, ſortitione inſtante, voti compos fierem? Quare expergiſcere, quaeſo, ac ita te excute, neſcio quanam de cauſſa, reſidem lentumque, ut non contemnendi amici cauſſae indormiſſe minime videaris. Coſmam igitur, virum ſane comem amicorumque perſtudioſum fac quanto ocius convenias; &, quid

quid jam certi exploratique expiſcatus ſit, ſciſcitare diligenter. Novi enim hominis ſedulitatem ſollertiamque. Quod ſi te itineris labor retinet; adhibe quaeſo induſtrium navumque Victorium, ejuſque opera utere. Illo enim internuntio res facilius tranſigetur. Te jubente nulla interpoſita mora Tireſiam futurorum praeſcium adibit, &, ſi quid certi eſt, renuntiabit. Quid quaeris? In id incumbe diligenter, nulla ut mora mihi officiat. Metus erit, ne increbreſcente luſorum turba, ſortitione excludar. Quantum jacturae Fiſcus fecerit, haud te fugit. Vtinam, qui Irus ſum, Croeſus evadam! A me Coſmae, Victorioque ſalutem. Vale.

EIDEM. 109

EN tibi mei ſupra quam credi poteſt ſtudioſiſſimo, meaeque famae, ſi qua eſt, propugnatori acerrimo, volens libenſque mitto, quas vehementer flagitabas, nugatorias inſcriptiones ex tempore factas, quas caſu potius, quam conſilio ſervavi. Nihil omnino in iis offendes, quod lucernam oleat, nihilque elaboratum atque adamuſſim exactum; ſed quidquid in buccam venit, chartis illevi pro re nata, amicorum voluntati morem geſturus. Praeterea hic invenies disjecti membra poëtae, reſque nulla junctura atque ordine conglutinatas. Haud enim rebus, ſed argumentis, quae ponebantur, operam navandam putavi. Quare te etiam atque etiam rogo obteſtorque, ut ea tantum tempori fallendo deſtines, mihique, ubi illa curſim, aut ſaltuatim legeris,

legeris, remittas. Quae enim a grammatico viro eoque latinis graeciſque litteris vix aut ne vix quidem perfunctorie imbuto ſcribuntur, haud cedro digna ſunt; ſed tantum piperis ſaliſque cucullis deſtinentur oportet. Rides? Verum, quî aliàs diſtrictas in me cenſorias virgulas plagoſorum Ariſtarchorum declinem, manumque ferulae ſubducam? Supprime, quaeſo, iſta diligenter, meiſque ſcapulis conſulito. A me Melphitanorum Pontificem Chriſtianae Reip. columen atque ornamentum ſalutato diligenter, neque inſalutatam relinquito Marreſianam familiam mihi oculis ipſis cariorem. Vale.

EIDEM. 109

VNciario ne foenore contentus eris, an ſordidorum hominum more centeſimas uſuras exiges? Hoc quidem haud aequo animo patiar, cum tanti non ſim, neque tantis inſtructus bonis, ut tuae inexplebili cupiditati ſatisfacturum non deſperem. Vix enim unis acceptis litteris, jam alteras efflagitas; alteriſque acceptis, etiam novis, &, quod caput eſt, verboſioribus miſerrime inhias. Num mea nugamenta meraeque gerrae atque apinae, hujuſmodi tibi famem opſonant, exquiſitorum ſalgamorum ad inſtar, ut nonniſi immodica ciborum copia atque vi depellenda videatur? Prorſus quidem male mecum actum erit, ſi ita res ſe habeat. Solidos quippe annos, ne feſtis quidem, vel interciſis diebus demptis, deſudem atque allaborem neceſſe eſt, ut ne fame pereas atque eneceris. Verum, quî infini-

infinito labori continentique conſcribillandi ſtudio curaeque ſufficiam? Jam aetas ad ſenium vergit, nono luſtro pene jam abſoluto, vires jam effetae evaſerunt, canitieque exornor vel ipſis ſcapularibus ſenibus, aut ſilicerniis invidenda. Accedit quod praepingue corpus atque obeſum jam occoepit mole ſua laborare, labaſcentibus fundamentis. Crura enim nimio, quo diffluo, humore intumuerunt. Poſtremo hiſce omnibus, quibus urgeor, incommodis, tamquam colophonem addo, acerrimum, quo in dies divexor, capitis dolorem, ita ut pene jam ἀκέφαλος ſim, atque ſtipiti truncoque ſimillimus. Quid? ne hiſce quidem malis commotus, mei te miſereſcet, meamque a ſcribendo ceſſationem excuſabis? Haud certe adducar, ut credam, te tanta morum feritate eſſe, tamque agreſti animo, ut hominem ex homine exſuiſſe videaris. Quin immo, ex quo forte fortuna te novi, tuamque ad amicitiam mihi aditus patuit, πολιτικωτάτῳ amico auſpice atque conciliatore, te ſemper juſto humaniorem, tantaque comitate morumque facilitate praeditum deprehendi, ut nihil magis. Qua de re in ſpem ingredior fore, ut has, quas hactenus protuli, cauſſas admittendas exiſtimes, mihique tot tantiſque malis afflicto atque perculſo nedum ſubiraſcaris, verum etiam pro tua, qua prae ceteris mirum in modum excellis humanitate, libenter ignoſcas. Mellitiſſimo, atque σοφωτάτῳ Melphitanorum Antiſtiti meis verbis ſalutem plurimam impertitor; quam etiam meo nomine toti Marreſianae ſelectiſſimae familiae diligenter nuntiabis. Vale, meque tui quam ſtudioſiſſimum exiſtimato.

MI-

MICHAËLI TESTAE

Paulus Moccia S. D. 110

EXimie licet te amem, tibique fauſtiſſima quaeque exoptem; haud tamen nunc me miſeret tui, quin & magnopere ringor, cum te εὐκαίρως καὶ ἀκαίρως tuam fortunam audio incuſantem. Qua ſcates nummaria gaza ita tibi ea deſpicatui eſt atque pro nihilo, ut non bene cuſos nummos aſperoſque, ſed furno incoctas caepas congeſſiſſe videaris. Nam tertio quoque verbo ſuſpiras, atque tamquam de te jam actum conclamatumque foret, oculos ita in terram defigis, triſti vultu ad lacrymandum τεχνικῶς compoſito, ut infra Iri fortunam te poſitum, Iroque pauperiorem eſſe indicare velle connitaris. Vae miſero tibi! Riſum moves, cum te jam homines ad commiſerationem excitaſſe arbitraris. Beati quippe hominis opulentique conditio licet artificioſe retorridique Aulici more prematur, ſponte ſua ſe ſe prodit, vel ipſo invito ac reluctante. Age quaeſo, ne te pudeat: quoties te amore impeditum quam occulte, putres patranteſque prodiderunt ocelli? Ne te demorer multis, omnia quam breviſſima ἀνακεφαλαιώσει complectar. Aetate integra formaque pluſquam virili, tanta amicorum copia coleris (qua re quid praeclarius optatiuſque fingi poteſt?) ut nemo hîc non tibi invideat. Propinquitate tanta muniris, ſingulari naturae munere, ut, qua fere ſemper circumfunderis familia, ea vel maximo exercitui comparando ſatis

eſſe

eſſe videatur. Rides? Adeat te quivis, qua lubet hora, vixque tuarum Aedium gradus ſcandere occoeperit, cum tanta illi ultro citroque adſcendentium deſcendentiumque turba occurret, ut non privati domum ſe petiiſſe putet, ſed in frequentiſſimum Orbis terrarum emporium mercatumque ſe contuliſſe, arbitretur oporteat. Quid, ſi familiarius exceptus, in ſuperiores contignationes invitabitur? Medius fidius, ubi incolarum tamquam e luſtris erepentium multitudinem viderit, totum Lucullanum collem, quantus quantus eſt, excavatis foraſque eductis viſceribus interius inhabitari exiſtimabit. Quid vero, ubi inaudiet eos omnes tibi parere, tuaque in ditione arctius retineri, quam cujuslibet viri Principis obnoxios populos plebeculamque? Adde his Aedes tuas nobiliſſimo aeque ac in amoeniſſimo Vrbis loco poſitas, ubi ſcilicet eximius voluptatum inveſtigator Lucullus domicilium locaverat, maximamque anni partem tranſigebat quam libentiſſime. Nonne in praeſenti quoque iſthuc homines qualeſcumque, ubi adveſperaſcit, laborum diurnorum moleſtiam levaturi concedunt? Tu vero iſthic, modo feneſtris inhaerens, modo ad clathratos foros adſidens, ne meſſorum ritu veſtitus ridearis, itantis turbae non ſine barbitis, crotalis, lyris, tympaniſque horaſque fallentis ſpectaculo (quo quid jucundius optabiliuſque?) uteris fruerifque, inque immodicos riſus ſolutus cachinnaris. Quam male igitur fortunam tibi impenſiſſime arridentem, aut potius famulantem, &, quod caput eſt, conſtanter, maledictis oneras exſecrariſque! Vtere, quaeſo, iſta benigna

propitiaque, ne (quod Deus averruncet) adverſariam trucemque experiaris. Vin' me audire? Oppedito ſordidae argenti cupiditati, ludumque fortunae, aut potius ſorticulae, purum putumque commentum, ſtultulis ac maleſeriatis relinquito. At enim centum minis ita rebus meis proſpiciam, ut in poſterum vel locupletiſſimi cujuſque latifundiis minime macreſcam. At neſcis exigua eſca voraces capi piſces, illicioque pictas aviculas irretiri? Heu! quot miſere ad hunc ſcopulum impegerunt naveſque fregerunt! Vtere igitur paratis corpore ſano menteque ſana, amicoſque ad te ventitantes, quemque heri veſpertinis horis excepiſti Joſephum Carullum, litterariae Reip. lumen atque ornamentum, memoriaque exprompta ad miraculum uſque pollentem, in tuarum deliciarum partem advocato libenter. Tandem, in poſterum ita te gerito, ut quid vere laetaris (quod tibi Deus perpetuum propriumque faxit) non quid triſtari ſimulas, prae te feras. Si quid liberius ſcripſi, amicitiae adſcribito benevolentiaeque, qua te proſequor pene ſingulari. Quid? Summuſſas, caput moves, mihique minaris? Quin & illud dicere muſſitans videris: ridentem dicere verum quis prohibet? Ita habet, manuſque do libens. Verum, qui clamantem, *ceraſa majoris notae*, *ceraſa majoris notae*, ridet veſtitum eleganter tamquam ad forum perrecturum, flabelloque circumvolitantes muſcas abigentem, ut prae nimio cachinnandi impetu pene totam concutiat domum, haud ita natura comparatus eſt, ut amicum, quam dictum perdere malit. Qui enim ita affectus eſt, ille niger eſt, illum-

illumque diligenter caveto. Sed jocorum ſatis, Nunc ſerio, quod reliquum eſt, tranſigamus. Quod calcis eſt nondum bene exaſciatae in ſummo Balteo, ſtatim corradi jubeto, ne adſcenſu deſcenſuve imprudentes ceſpitemus. Amicule, ſatis pro imperio? Is ſum: fer me. A me amicis omnibus ſalutem impertire plurimam. Vale.

EIDEM. III

QVod uno alterove die a ſcribendo ceſſaverim, ne mirere, te etiam atque etiam rogo obteſtorque. Haud enim ita factum eſt, quod amor, quo te jure ac merito proſecutus ſum, jam refrixerit, aut quod tua in me promerita vel tantillum obliteraverim (quo quid monſtroſius excogitari poteſt?) ſed quia nullum omnino epiſtolae qualiſcumque concinnandae argumentum ſuppeteret. At inquies, hui quam frigida cauſſa! Quidquid in buccam, uti ajunt, ſi chartis illeviſſes, aeque mihi gratum jucundumque accidiſſet atque ſi ſententiolam epiſtolam rebuſque ponderoſam miſiſſes. Nonne, amabo te, vel quae jocans ſcriptis mandaſti, ita cuncti ſuſpeximus, tamquam e tripode pronuntiarentur? Nonne ſaepius lectae atque relectae litterae tuae tantum abfuit, ut oſcitanter exciperentur, ut potius, quo centies repeterentur, efflagitatum ſit? Quot exempla ſumpta? quot ortae contentiones, quo Ἀρχέτυπον reciperaretur? Haud te fugit, quanto mitis ſapientia Carulli, quanto, inquam, opere poſtulaverit, ut omnium ad ſe exempla litterarum quam diligentiſſime mitterentur. Ipſemet

tuis ipſius oculis vidiſti quam avide e manibus Campolongi eripuerit binas Vlyſſiponenſes epiſtolas, & quam celeriter occuluerit, metu, ne vis vi repelleretur. Quare deſinas, quaeſo, cauſſari, quod argumentum deſit, quodque vereare, ne joculari ſcribendi genere amicitiae jura violes laedaſque. Pene dixerim, ſi ita illam laeſeris, vel trabali clavo figes. Jocare in poſterum, quaeſo, otioſe, meque vel ſaevidictis protelato, nedum maledictis proſcindito, modo me tuis litteris vel nullo argumento ſcriptis calamoque currenti oblectare perrexeris. Abſit verbo invidentia, mihi ſapiunt vel ambroſia ſuavius. Amice in paucis care, ut verum fatear, tanta in dicendo vales vi atque copia, ut vel immanis quiſque atque ab omni humanitate alienus tibi vel invitus manus det, tuamque in ſententiam pedibus eat, neceſſe eſt. Ita quidem rationibus tamquam turmatim inſtructis, ſapientiſſimi providentiſſimique more imperatoris, quaelibet hoſtis adventantis atque internecinum praelium minantis conſilia antevertis, utque vel iniquiſſimas pacis conditiones accipiat, quam facillime committis. Intermiſſum igitur ſcribendi officium, quoad fieri poterit, revocabo, atque tibi amicisque communibus, qui iſthuc muſis ſacra peracturi conveniunt, morem ut geram, poſthac cavebo diligentius. Illos igitur nominatim ſalutato atque officioſe meis verbis. Vale.

EIDEM. 112

ERgo faſtorum, nefaſtorumque dierum, feſtorum, profeſtorum, interciſorumque utiliſſima diviſio atque ſapientiſſimo conſilio inducta, mihi prorſus inutilis evadet, ac fere numquam ab opere deſiſtere, imo vel pauxillulum quieſcere permittetur? Vix enim una ſcripta epiſtola eſt, cum jam alia ſcribenda emergit, ſibique invicem, reciprocante acceſſu atque receſſu, pene perpetua ſerie eodemque tenore indeſinenter ſuccedunt. Nudius tertius jam me omni defunctum labore atque rude donatum putabam, abſoluto omnigeni argumenti epiſtolio non ſine diligenti tuae ſecundae fortunae commemoratione: ecce tibi, novus ſubortus eſt atque inopinus amicorum queſtus (utinam non perſonatus!) quo tamquam inurbanus carpebar atque eruditae conſuetudinis feſtivique veſpertini Chori hoſtis perniciesque. Cui igitur bono (ajebant) longitudo itineris, furum periculum, continentes pluviae lubricaeque viae, ni epiſtolari excipimur coena viresque procuramus? Salve & vale igitur, mellite Michaël, tibique habeto quantum quantum eſt deliciarum ad Lucullani collis radices. Haud iſtis ducimur, atque iſthuc pertrahimur vel inviti: litteratos litterariae res oblectant: iſtae ut ſint in promptu curato, atque tum te frequentes colemus; alias ſolitudine maceratus conficieris. Amice amantiſſime, quantopere me tui miſereſcat, tuamque vicem doleam, tibi perſuaſum eſſe, nullus dubito. Quanti te merito faciam, ex-

pertus noſti. Ceterum vel illud tibi etiam atque etiam videndum atque diligentiſſime cavendum, ne mihi tantum oneris imponatur, ut tandem ſuccollando impar concidam jure ac merito ridendus. Poſtremo illud advertas velim perpetua ſcribendi prurigine ita efferveſcere ingenium, ut luxuriante praeter modum aeſtu huc illuc dilabatur, tandemque evaneſcat. Quare, ſi, ut identidem ſcribam, ſatis habueris, perpetuo litterarum commercio fruêris; ſin quotidianis inhias litteris, haud temere vereor, ne citius opinione epiſtolare officium conquieſcat. Vale.

EIDEM. 113

JAm fronte caperata ultima quaeque minaris. Altero quoque verbo ad nauſeam uſque illud uſurpas. Ecquisnam fieri poſſe putaſſet amicorum amantiſſimum hominem, mihique oculis ipſis cariorem ita fidem proditurum, ut nedum infrequentiae, verum etiam deſerti officii jure ac merito inſimuletur? Vere igitur ajunt nihil tam difficile videri, quin contingat. Proh ſuperûm atque hominum fidem! jam ad ipſum felicitatis faſtigium perveniſſe ſtulte credebam, tanti viri conſuetudine cohoneſtatus, cum derepente in ipſiſſimum miſeriarum barathrum me praecipitem actum animadverti. O fallaces ſpes! o ancipitia hominum conſilia! At, malum, quî fieri potuit, ut mutato conſilio, amici ſupra fidem amantiſſimi Aedes valere perpetuum juſſerit? Anne male exceptus? Subuculane mutanda haud in promptu? diligentiſſima ne mea Soror, cui nihil antiquius,

quam

quam tanti amici cura, illa ne incurioſa comperta? Minime. Ad foros ſtatim accurrit, ubi illum adventantem non ſine magna feneſtrarum motitatione inaudit. Amice, vin' me audire? oppido erras, neque dubitandum, quin te hypochondriacum virus ita ſuſque deque ferat, ut in fictum hoſtem cataphracti militis ad inſtar irruere videaris. Depone, quaeſo, quam amice foves ſuſpicionem, tibique perſuadeas velim, te apud me tanto eſſe in pretio, ut neque Attalicis conditionibus, neque Achaemeniis opibus dimovear, quo tuas Aedes tum natura amoeniſſimas, tum Domini, a quo inſidentur, claritudine praeſtantiſſimas, valere jubeam. Neque ego is ſum, qui amicitiam diſſuam, nedum ſcindam tam facile, quam libenter tu ſanguinem, inciſa vena qualicumque de cauſſa, profundis. Vtique ſuperiore nocte tantum non obrigui, cum tua in domo ita ἀδιαφόρως mitti ſanguinem vidi, ut vix in taberna laniena ad Toletanam viam quidquam ſimile contingat. Vix enim unius ſecta vena fuerat, vixque faſciola obligata, cum jam alia exſerto nudatoque varicoſo brachio, ut ſua incideretur, oculis nictabat. Mirum certe fuit, quin cruore a calce ad caput perfuſus domum redirem. Qui igitur cruentis ſpectaculis in dies oblectatur oculoſque paſcit, haud mirandum eſt, ſi ita amicitias aeſtimet ſpectetque, ut quavis de cauſa profundi poſſe videantur. Vtere, quaeſo, in poſterum judicio tuo; ego vero neque bellici quidem tormenti ictu dimovebor, quo a mea ſententia diſcedam. A me Campolongo, Cajetano, Farinae, Corteſio, Magnonioque ita ſalutem nun-

tiato, ut me illis tantum debere ſentiant, quantum, ſi Neſtoreos annos vixero, vix me perſoluturum ſperabo. Vale.

EIDEM. 114

JAm me tui memoriam depoſuiſſe rebaris, nihilque amplius litterarum in poſterum accepturum ſperabas: ita me obfirmate in propoſito manere animadverteras. Neque id te falſo ad aliquod tempus autumaſſe aperte confiteor. Ita enim apud animum omnino deſponderam; quandoquidem tam male ageretur cum illis, qui litteris fovendis promovendiſque operam pro ſe quiſque ſuam ſedulo navarent. Res vero clarior eſt, quam ut probatione indigeat. Verum enim vero ne ita amicitiae jura violaſſe redarguerer, deſerto inopinanter epiſtolari commercio, nulla praeſertim probabili de cauſſa, en illud repeto volens libenſque, tibique recipio me numquam commiſſurum, ut deinceps officium requiras meum. Vt etiam deſit argumentum, vel illud comminiſcar, vel ſcribam quidquid in buccam, ac veluti per lancem ſaturam. Obſtrepant per me licebit importuni graculi atque cornicentur; nos nobiſmetipſis canentes, virtuti ſophiaeque litabimus. Oppedant, blaterent, crocitentque, nos ſurda aure inconditos excipiemus clamores. Surdo, mihi crede, fabulas narrabunt. Namque hi maleferiati homines per malefacta ad laudem contendunt; atque ſi forte contigerit, ut ſibi par pari referatur, meritaſque ſubeant vices, Hydrae ritu vivaciores evadunt, atque ex ipſa ruina vires animum-

murique ſumunt. Quid multa? quod ceteri mortalium defugiunt averſanturque, id illi vel conceptis votis enixe exoptant, nimirum niſi ſi famoſi evaſerint, eorum nomen oblivione obruetur aeterna. At vero illis idem, quod flammis, uſuveniet. Hae namque, ubi crepitabunt fragoreque proximos quoſque excutient, libenter conſpiciuntur, & nemo non ad illas ſe calefactum accedit; at ſimul ac reſtincto igne deferveſcent furorque remittet, ventorum vi hac illac diſſipantur in tenuiſſimum cinerem redactae. Vt ut res erit, licet proſpere proceſſerit (quod non perraro accidit), numquam tamen id committendum eſt, unde infamia non temere erit pertimeſcenda. Sibi conſulant ita alii famaeque ſerviant; ego vero numquam adducar, ut hujuſmodi inſiſtens viam ad gloriam dignitatemque me pervenire poſſe exiſtimem. A me amiciſſimo Campolongo ſalutem plurimam impertitor, eamdemque Farinae amantiſſimo perofficioſe nunciabis. Vale.

EIDEM. 115

HEm! reſpice te tandem, aliquantiſper tibi parce, atque domeſticorum negotiorum faece, quo non parum urgeris, iniquae mentis aſelli ad inſtar excuſſo, in illud ſedulo dumtaxat incumbito, ut, quoad vixeris, bene vivas, teque tibi reddas. Namque ſi te facilem oſtenderis, quereliſque omnibus locum reliqueris, haud temere verendum erit, ne tandem aliquando frequentia rerum nimioque onere obrutus, vitae te pigeat taedeatque. Quî enim, amabo te,

te, feres modo inquilinos efflagitantes, ut ſtatim ſellae familiaritae, puteo immundo, feneſtrae ventorum vi diſtractae, peſſulo cadivo, ac poſtremo pavimento ſubdiali perpluenti rimoſoque conſultum eatur? modo parentum tricas, nugas, liteſque de lana caprina; modo cerebroſa nupturientium ſororum vota, quae ſi ſuis rationibus conſuluerint, ceterorum perniciem totiuſque domus ruinam nihil omnino morantur? Qui, inquam, iſthaec feres? Si autem vivendum miſerrime eſt, etiam illud tibi conſilium ineundum eſt, ut, tuis omnibus valere juſſis, alio te conferas, quod reliquum eſt vitae, traducturus. Quod ſi ita deliberaveris, uti te haud dubie deliberaturum confido, me tibi ſocium adjungam. Haud enim minus angor curiſque domeſticis exedor. Vah lepida capitula! ſi quid laetitiae ſuboritur, forſque fortuna arridet, ita ſibi placent, ſibique gaudia vindicant, ut, ne quid foras erumpat depereatve, caveant diligenter. At ſi quid turbatum eſt domi, reſque minus ſalvae eſſe videntur; nulla interpoſita mora, tamquam omnium vita, fama, bona, fortunaeque periclitentur, id nulli non communicandum exiſtimant. Quippe haud illos fugit, communione non parum minui dolorem curaſque edaces. Si, quid conſilii capies, me certiorem feceris, ſane quam mihi gratum accidet. Namque ipſemet jam eodem inito conſilio, ubi aliquid convaſavero, te vel Barbaras ſyrtes, ubi Maura ſemper aeſtuat unda, adeuntem ſequar quam libenter. A me Campolongum ut plurimum ſalvere jubeas, te oro obteſtorque.

Vti-

Vtinam & ipſe in noſtram ſententiam pedibus concedat! Vale.

EIDEM. 116

QVin domeſticae curae reique familiaris adminiſtratio negotium faceſſant animumque torqueant, nemo omnium fortaſſe erit, qui in dubium id revocandum arbitratur. Vt praeteream furum metum, technas ſervorum, inquilinorum fraudes continenteſque queſtus, reliquoſos debitores, aediumque ſumptuoſas inſtaurationes; quid excogitari poteſt moleſtius querulis petacibuſque parentibus, quid illis taetrius graviuſque, ſi ſibi demi ſuſpicentur, quod in alios propinquitate conjunctiſſimos largiare? quid fingetur maledicentius invida ſorore, ſi quam tibi prae ceteris eximiam praecipuamque habueris? Iratae leaenae rictus mitiores prout ea, quae illius rabies dabit. Quid fratre inveniri poteſt moleſtius, quidve improbius, ubi conſuetudine devincitur mala, ſi parce ſumptus ſuppeditaveris? Ceterum, amice in paucis care, ſi paullisper attenderis, quid boni inde etiam proficiſcitur, fortaſſe iſthaec omnia leviora prae illo exiſtimabis. Et primum quidem queruli, ſed ſtudioſi parentes, nonne id ſedulo curant, ut ne quid tibi deſit? Si ſudore madens domum redis, ut ſubucula ac mantile ſit in promptu non ſine pelvi, quo ſtatim laves; ſi dormitum eundum eſt, ut lectus ſternatur; ſi prandendum, ſi coenandum, ut menſa cibis, ſi non exquiſitis, ſaltem diligenter paratis inſtruatur; ſi tandem amici excipiendi,

di, ut domus tota permundetur. Deinde ſi forte implicitus morbo (quod Deus avertat) decubueris, quid diligentius attentiuſque Matre eſt? Haec interdiu, haec noctu ſurſum deorſum curſitat, nihil non agit, ipſa ſuis manibus cibos parat, praebet, utque comedas, ſtudioſe hortatur: tecum aſſidet, te intuetur, ſi quid forte nutans indicaveris, numquam defatigatur, tui memor, ſui immemor, vel ſuos tibi addere annos minime refugit, valetudinem cum valetudine vel commutare parata. Quae omnia vel divitiis Croeſi minime conſequêris, ubi propinquitate deſtituaris. Et tandem, ſi quid humanitus contigerit, quid honeſtius, quid optatius, quidve praeſtabilius lacrymis tuorum? Nonne miſerrima vita ducenda, ſi indefletus diem ſupremum obieris? Quid, quaeſo te, feris beſtiis, quidve gentibus immanitate barbaris differemus? Neque ultima laus eſt ſupremum vitae actum laudabiliter concluſiſſe. Quippe alias illorum hiſtrionum ſimiles deprehendemur, qui, ubi bene pene totam fabulam peregerunt, poſtremo turpiter deficiunt ſibiliſque exagitantur. Qua de re te oro obteſtorque, ne iratus aliquando plus ſatis illud inceptes conſilium, cujus poſthac te jure ac merito poenitebit. Feras oportet, ſi ferri vis. Iniquius fers, graviora fiunt, quae alias levia forent. At enim, ſunt queruli, petaces, putidi, difficiles, moroſi. Quid? nonne quandoque morigeros, diligentes, attentos, gnavos, tuique ſtudioſos experiris? Bona quidem commoditateſque ſi animadverteris, haud ita malis, ſi qua contigerint, afficieris. At quis tantos ſumptus quotidianos feret?

ret? Quod in famulos ancillaſque impenſum oporteret, id tibi deductum exiſtimato. Quae quidem omnia ſi tecum ipſe attente reputaveris, minime illud conſtitues, quod ut perficeres ſuperioribus litteris, te etiam atque etiam hortabar. Hui! tu Proteo mutabilior, ac Vertumnis quotquot ſunt natus iniquis. Haudquaquam. Quippe curae poſteriores plerumque ſunt ſapientiores. Quare mirandum non eſt, ſi, quae ſcripſi, recantare minime dubitaverim. Haec igitur aequi bonique facito, neque vereare, quaeſo, ſi propoſitum mutaveris, ne tamquam inconſtans inſimuleris. Campolongum meis verbis plurimum ſaluta. Vale.

DOMINICO AMATO

Paulus Moccia S. D. 117

SI me tamquam verbi immemorem ac reliquoſum hominem accuſaveris, jure tuo uteris. Is enim ſum, qui veritati lito, etiamſi faba in me cudenda videatur. Verum, ſi tanti apud te ſum, ut paucis audiri merear, haud ſcio an culpam omnem a me avertas. Ad quindecim dies, plus minus, in Municipio Frattae majoris manſi operam navaturus meae parenti letali implicitae morbo, quo tandem divina ope omnino emerſit, ingratiis devexae ad ſenium aetatis. En cur factum eſt, ut fidem minime liberarim, ac invitus repugnanſque in mora reſtituendi libri fuerim. Pro ea qua es humanitate, haud vereor, ne non excuſationem hanc, ni fallor, firmo tibicine

bicine fultam admittas. Praeterea gratias tibi ago, quod mihi ſtatim Epicedium vel Batavis ipſis nitore ac munditie, ut cetera taceam, invidendum miſeris. Vbi enim te vidi ad Spiritus Sancti Portam, nondum me huc receperam a diſceſſione. Mihi gaudeo, tibi gratulor, quod non fruſtra operam tuam collocaveris. Vel maledicentiſſimi haud vituperant epicedium minime contemnendum. A me Maximilianum laudationis cedro linendae auctorem, Marchionemque Galianum, novum exquiſitarum laudum architectum, ſalvere plurimum jubebis. Vale.

BENEDICTO CLEMENTI

DE AROSTEGVI

Paulus Moccia S. D. 118

REvixi, ubi per tuum ſervum a pedibus inventam cognovi epiſtolam, de qua jam conclamatum fuiſſet, ſi in alienas manus incidiſſet. At vero poſtquam illam reſignavi, avideque perlegi, ſtatim expallui, itaque maledictorum ac ſcommatum turbine perculſus cohorrui, ut diu obtutu defixus in uno haeſerim. Jam enim novum malum mihi impendere videbatur, &, ne tergum novis plagis ſuccedaneum praebere cogerer, vehementer pertimeſcebam. Verum ſtatim ac Saticulanos ſales eſſe comperi ab Hiſpano ingenio quam alieniſſimos, animum recepi. Nonniſi triſtitia duce id factum eſſe ſtatui, & neſcio quo meo fato contigiſſe, ut ira in alium forv

taſſe

taſſe evomenda, in me nihil tale merentem effunderetur. Ni enim fallor XII. tabularum caput his verbis concipiebatur: *ſi quis malum carmen occentaſſit, capital eſto*. Quod congruatne meae epiſtolae, an non, prorſus ignoro. Jocans enim epiſtolae meae interſperſi ſolidiſſima Stoicae diſciplinae dogmata, neque egomet commentus ſum. Quem enim praeterit celeberrimum Stoicorum dogma: *Sapienti nihil niſi culpam praeſtandam?* Nonne hinc recte conſequitur externa bona nihil prae illa facienda eſſe? Nonne his poſitis recte colligitur, veſtium curam animi ornamentis poſthabendam? At per jocum in femoralia ferrugineum colorem imitantia deblateratum eſt? Quid? ridentem dicere verum quis prohibet? At per purum putum jocum: eſto. Etiam ego per jocum iis, quae luſitando dicta fuerunt, veris ſolidiſque argumentis obviam ivi. Quicumque igitur fuerit epiſtolae auctor, quae omnino Saticulanum neſcio quid prae ſe fert, fateatur neceſſe eſt, neque leges violatas eſſe, neque legum ignoratione peccatum. Benedicte, qui mihi ipſis ocellis carior es, quem colam litteris etiam longo marium montiumque tractu atque intervallo diſſitum, haud jam ut tibi quoquo modo aſſenter palpemque; ſed ut gratum animum qeneficiorumque memorem, qua licet ratione, tibi teſter oſtendamque, Benedicte, inquam, ad te in hoc graviſſimo judicio provoco, quo controverſia omni, quae pura pura λογομαχία eſt, per te dirempta, ſejuncti forſitan animi iterum coaleſcant. Quae mala non peperit capitis vertigo vel una? Vale.

JO-

JOSEPHO CARVLLO

Paulus Moccia S. D. 119

COmmodum hoc matutino litterarium ludum σὺν Θεῷ abſolveram, cum mihi a communi amico Michaële Teſta traditae ſunt litterae Leonardi Corteſii, juvenis ad miraculum eruditi. Avidiſſime legi, atque ubi cognovi mihi in mandatis dari, quo ad te complicatum Phaleucium perferendum curarem, non potui, quin laetitia geſtirem. Ita enim mecum: certe habet: captus eſt. Quî, malum, tanti pretii illicium defugiet? Imo hamum haud dubie vorabit, ſequacique arundini, velit, nolit, parebit. Bono fac ſis animo, Michaël, ubi mellita carmina legerit nullo infuſcata pigmento, nulloque conveſtita colore, verum ſua ſe munditie elegantiaque tacite commendantia, tantum aberit, ut flagrantiſſimis amici votis obſiſtat, ut potius ad tuas Aedes convolet quam celerrime. Adde his, Joſephe praeſtantiſſime, ipſius tabellarii dignitatem: quanti pretii vir ſit, expertus noſti. Cura igitur, ut amicis ſatisfacias quanto ocius; alias non temere verendum eſt, ne deſiderio extabeſcant. Tanti te merito faciunt, atque te nedum diligunt, verum etiam amant. Vale, meque tui amantiſſimum exiſtimato. Ex Aedibus Regii Ephebei poſtr. kal. Jun. CIƆIƆCCLXII.

ANDREAE FARINAE

Paulus Moccia S. D. 120

Nihil eſt , cur vereare. Licet neque adhuc Corteſium viderim ; nihilominus tamen jam typographicis formis excuſa tua carmina exiſtimo . Illa quidem commendavi non vulgariter Dominico Amato Corteſii amiciſſimo viro. Neque mirandum eſt, quod hactenus nihil certi hac de re ad te ſcripſerim : res enim lentiſſime procedit : quanam de cauſa id fiat , fateor me juxta cum ignariſſimis ſcire . Tandem aliquando delectus eſt Matalunenſis Paedagogus non ſine ingenti ſalario . Virum mihi amicum nec de facie tantum notum delegerunt . Novi enim eum apud Marchionem Galianum. At ſi quaeſieris : cujas ſit , & quid vocetur ? ajo me prorſus neſcire . Carulliana funebris oratio ſeorſum habita jam promulgata eſt . Mire arriſit , qua nervoſa ſcribendi ratione , qua munditie atque elegantia . Quantum hac praeſertim re Carullus polleat , haud te fugit. Ceterum nihil novi eſt omnino , quod chartis illinatur . Aeſtus quam maximos experimur. Balnea mihi nonnihil obfuerunt . Jam tertium diem dolore capitis excrucior non levi . Nunc ipſum cum ſcribo mihi dolet acerrime . Quare ignoſcas mihi te oro , ſi ſaltuatim ſcripſerim. A me Alumnos tuos mihi cariſſimos , eorumque Parentem optimum , ubi iſthuc ſalvus redierit , ſalvere jube officioſiſſime. Vale . Ex Aedibus Regii Ephebei XI. kal. Aug. CIↃIↃCCLXIII.

EIDEM. 121

REm acu tetigiſti. Campaniae Praefectus, cui tantum debeo, quam cui maxime, in cauſſa fuit, cur ad te praeterita hebdomade nihil litterarum dederim. Quae vero ad me miſiſti carmina, quibus una cum tuis ſuaviſſimis alumnis Fraggiannium jam vita defunctum perbelle atque elegantiſſime canebas jam typis edita arbitror. Jam inde ab eo tempore, cum domi Marchionis Galiani Corteſius mihi occurrit, numquam illum vidi amplius. Verum id curabo, ut quamprimum ſciam, quid illis factum ſit. Nundinae, quae ante Regias aedes in ſingulos annos inſtituuntur, hoc anno per novum redemptorem & elegantius & magnificentius apparatae ſunt. Quidquid ſcenarum poſitum eſt, recens depictum eſt & ornatius. Duo ſalientes fontes, qui mediam caveam occupant, ad vivum exprimunt & Maurorum ex Hiſpaniis expulſionem, & Andromedae per Perſeum liberationem. Area inſuper prope ſalientes myrto in triangulum diſpoſita ornatur, ac introrſum hac illac excurrente quam argutiſſime. Lumina copioſiora quam antehac. Nundinae igitur numquam non pene innumero Ordinum plebiumque concurſu frequentantur. Accedit his ſpectaculum immanis leonis cicuris, ac canum partim muliebriter, partim viriliter indutorum, qui pene fabulam agunt mutam, quae tandem in feſtiviſſimas choreas definit. Bipedes incedunt, atque ad numerum ſaltant. Leo ne amplius in nundinis monſtretur regio juſſu vetitum

tum eſt. Metus enim erat, ne vinculis diruptis damnum faceret, quod alibi accidiſſe nuntiatum eſt. Domino quidem dicto audiens erat, quod illum opio prius ſopiebat, Sane quidem, quî fera beſtia atque omnino immanis cicurari poteſt? Praeterea fabulae extemporales, ſive memoriter redditae adhuc ſteterunt. In ſumma omnia mire perplacenr, jucundiſſimumque ſpectaculum exhibent. Heſterna die ad Sebethi aquas lavare occepi. Aqua eo erat tepore, ut incredibiliter arrideret. Verum ubi ter vel quater illic lavero, Pauſilypi cryptam petam. Maris enim aquae ſuccoſis mirum in modum proſunt corpuſque emungunt. Quod quidem contra fit, ubi quis aquis dulcibus abluitur. Humores enim nedum decedunt, verum excreſcunt quoque quam plurimum. Quod in meſſem alienam falcem immiſerim, atque non initiatus illotiſque manibus ad adyta Hygiae acceſſerim, ne mirere, quaeſo. Uſus enim morborumque ſeries, quibus ineunte adoleſcentia non parum conflictatus ſum, me plura docuerunt. A me excellenriſſimum virum Principem Michaëlem hujus ſaeculi ornamentum, ejuſque cariſſimos liberos plurimum ſalvere jubebis. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei poſtr. idus Quintil. CIↃIↃCCLXIII.

EIDEM. 123

QVid novi ſcribam, haud omnino ſuppetit. Majore in Eccleſia Novendialia peraguntur, quo meritae D. Januario rependantur gratiae, jam nimbis remotis continentibuſque imbribus coërcitis. Parum enim abfuit, quin, quae Deus providentiſſimo conſilio diſſociata voluit elementa, iterum amice conjungerentur. Meſſis fortaſſe copioſa erit. Qui enim deciderunt imbres, ſaltem in noſtra Campania, haud ita obſuerunt ſatis, ut illa corruperint. Prima inſtantis menſis Dominica die Rex noſter Neptunia regna beabit. Cymba quam magnifice ſtructa atque inſtructa, Primoribus Aulicis ſtipatus, ante retroque aliis navigiis, tum Praetoriis militibus, ac equitibus cubiculariis, tum Regio famulitio oneratis, comitantibus non ſine lectiſſimis ſymphoniacis totum Pauſilypi latus non ſemel ſurſum deorſum adnavigabit. Jam mente auguror quinam populorum concurſus ſit futurus. Hoc ſpectaculum plus vice ſimplici repetetur. Si tempus ac mare arriſerint, vel beatiſſimis minime invidebimus. Vel Maronis, Actiique Sinceri Manes tanti Regis conſpectu recreati reſpirabunt. Quam complicaſti epiſtolam ſtatim ad tuum germanum perferendam curavi. Quos amice ſalutaſti, te tuoſque reſalutant officioſiſſime. Meo nomine eruditiſſimum Principem, ejuſque incomparabiles filios, Muſarum alumnos atque delicium, ſalvere jube peramanter. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei VII. kal. Quint. CIↃIↃCCLXIII.

EIDEM. 124

QVod ratio, qua vocabulum bibliothecam juxta atque tabularium expreſſurum cudendum atque fingendum duxeram, eruditiſſimo iſti Principi viro probata ſit, vehementer laetatus ſum. Quare te etiam atque etiam obteſtor, ut illi a me gratias agas immortales. Nihil profecto mihi accidere poterat jucundius nihilque optabilius. Atque hinc potiſſimum mihi dignus invidia videris, quod apud tantum virum nedum domicilio ac communione menſae fruaris; verum etiam ejus ſermone & conſuetudine exhilareris. Macte igitur eſto tanto bono, & fortunam ferre diſcito. Namque ſi Deus tuis arriſerit laboribus eoſque fortunaverit, hoc eſt, ſi quos ad humanitatem informas adoleſcentulos proprio quodam naturae munere ad omnia magna factos, ii pro tuae induſtriae atque navatae operae modulo in litteris profecerint, jam animo auguror futurum, ut tecum praeclariſſime agatur. Acerrimo ingeniorum aeſtimatori operam tuam locaſti. Qui factum ſit, ut huc ſcribendo devenirem, ego quidem neſcio. Illud tamen ſcio unum, me veritati litaſſe, neque id feciſſe, ut auribus ſervirem. Haud enim te fugit quantopere ab omni aſſentatorum genere abhorream. Ita enim natura comparatus ſum, ut quae ſentio ingenue dicam. Quorſum haec? ne, quod omen Deus avertat, aſſentator audirem. Quare haud verendum tibi erat, quippe qui me probe noſti, ne blandis duplicis Vlyſſei verbis a propoſito avocarer.

Peli-

Peliden alterum, ſi recte rem putare volueris, me dices cedere neſcium. Quieſce igitur, ſi ſapis, atque in utramvis aurem dormito. Surdo verba faciet, aquamque cribro haurire conabitur. At haec fuſius atque iracundius, quam volueram. Proximo lunae die, qui jam effluxit, ſacris exercitationibus Conicleis coronidem impoſuimus. Illinc, ne recta domum reverteremur, longiore itinere Arvum emortuale, omnes viſum abivimus. Illud certe ſpectaculum omnino labefecit animum, quem jam aeviternarum rerum commentationes non parum perterrefecerant. Adhuc mihi ante oculos obverſantur oſſa craniaque carnibus enudata, tantum hiulco ore candidos dentes oſtendentia, atque duo lignea cadavera, quae in veſtibulo proſtant, ad vivum efformata. Haec aeruſcatorum vice funguntur, quippe quae manibus tenent duo gloſſocomia tamquam ab introeuntibus ſtipem poſtulatura. Ceterum non potui non ſuſpicere miram Architecti ſollertiam. Tot enim in dimenſiones agrum totum diſpeſcuit, quot ſingulis totius anni diebus reſpondeant. Hinc cadavera, quae anno ineunte infoſſa fuerunt, nonniſi anno vertente effodiuntur; quae tandem in oſſuarias altiſſimas foſſas ſpecuum ſpeciem praeſeferentes jaciuntur numquam poſtac eruenda. Sapientiſſimum ſane conſilium, ac urbis indemnitati caelique ſalubritati quam conducibile. Vtinam prius illud iniviſſent, quot quantiſque malis obviam itum fuiſſet! Verum praeſtat ſero, quam numquam, uti vere ajunt. Heus tu, heus, inquies, quo, malum, excurriſti, quo tuae te furiae praecipitem abegerunt?

Siſte tandem, ſiſte gradum, ac deſine dicenda tacendaque effutire. Ita eſt, imprudens feci, neſcio quonam aeſtu, communis boni ſtudio, abreptus. Harpocratem me dices, te indicente poſthac ne mutiam quidem. Silentio haud dubie nihil utilius. Numnam taciturnitas, aut Diplois, etiam ſiccos ſole referente dies, quidquam obfuit? Tritum adagium eſt notumque lippis ac tonſoribus. Quocirca tibi meritas ago gratias, quod tempeſtive me monueris. Deinceps, ne quid liberius chartis illinam, ſedulo cavebo. Tandem illud pergratum mihi fuit, quod fabulae per iſtos eximios Adoleſcentes equites peractae ſteterint, ac tota plaudente cavea exceptae atque ſpectatae ſint. Id exercitationis genus mirum quantum adoleſcentiae formandae prodeſt, &, quod caput eſt, una fidelia duos dealbas parietes. Nam illorum inſtitutioni ita proſpectum is, ut nihil ſupra; & animum occupationibus delaſſatum remittis aliquantiſper. Perge, quaeſo, ut coepiſti: me praede atque vade munere tuo defungêris laudabiliter. A me iſti viro Principi Procerum ornamento, ac litterarum litteratorumque praeſidio, ejuſque ſuaviſſimis liberis, quos nedum diligo, verum etiam amo, ſalutem dicito officioſiſſime. Archintus jam colligit ſarcinulas Patrios reviſurus, Penates, teque tuoſque & ſalvere & valere jubet. Proh qualem quantumque adoleſcentem amittimus! Paternonius jam renunciabitur Succenturio cohortis Ruſcinonenſis. Vale, meque, ut facis, ama. Ex Aedibus Regii Ephebei XII. kal. Jun. CIϽIϽCCLXIII.

P. S.

P. S. Lituras, precor, verbaque partim mutata, partim ſuppleta, adjecta, ſublata, atque inſcripta aequi bonique facito. Domeſticae anguſtiae licet non graviſſimae, cur ita fieret, in cauſſa fuerunt. Ne animo concidas, quaeſo: jam ex illis divina ope emerſimus. Iterum vale.

EIDEM. 125

QVod jam praevideram, accidiſſe revera atque exitu comprobatum eſſe, dolui vehementer. Ad paucos dies me ruſticatum iviſſe una cum Campaniae Praefecto ſcripſi jam, teque certiorem feci, ſtatim ac mihi licuit huc reverſo. Hoc in cauſſa fuit, cur de more meae tibi litterae minime redditae fuerint. Verum illud advertas velim, quod vix huc me recepi, cum nulla interpoſita mora meo ut officio ſatisfacerem diligenter curavi. Ni fallor, vel illud tibi ſignificavi, quod die feſto quatuor Altarium, cum jam populus confertus eſſet, totamque Aream, quae ante Caſtrum Novum explicatur, impleret, derepente accidit. Nimirum talis tantuſque imber nec opinus decidit, ut ſupplicatio, quae jam ad duo Altaria proceſſerat, interrupta conſtiterit, populuſque huc illuc immenſam pluviam declinaturus aufugerit. Quid vero die luſtrico Regis noſtri, quem Deus ſoſpitet, factum fuerit, propterea ſcribere praetermiſi, quod nihil novum, nihilque inſolitum animadverti, quod ſcribi oporteret. Niſi te illud tamquam non vulgare percellit, quod primi quique Equites, & qui honorificis titulis inſigniuntur, Aureis pene omnes

carru-

carrucis convecti, magnoque famulorum Ephe-borumque ſtipati comitatu, ditiſſimas acuque pi-ctas veſtes gerentes, eam prae ſe tulerint ſpeciem, ut triumphanti duci Deliis foliis ornato, urbemque aeternam ingredienti quaſi adſimiles viderentur; libenter ſcripſiſſem, ni tu, qui hac in alma urbe natus es, iis ſpectaculis innutritus eſſes. Ceterum, ſi his, atque hujuſcemodi tenê-ris, te in poſterum hiſce narrandis vel argute te conficiam. Archintus jam profectus eſt, quanto meo cum dolore, tute conjectura aſſequi poteris. Magnum hic ſui deſiderium reliquit, quod tantum temporis diuturnitate (quid non tempore fit levius?) fortaſſe lenietur. Te ſalvere atque valere juſſit. A me Principi Pignatello, hujuſce ſaeculi ornamento, ejuſque auro contra non caris liberis, ſalutem impertire plurimam officioſe. Vale, meque ama. Ex Aedibus Regii Ephebei xv. kal. Quintil. CIƆIƆCCLXIII.

P. S. Drama, quod nunc agitur in Regio Theatro, mirifice ſtetit. Editum aſſerunt a quodam Metaſtaſii diſcipulo. Armida illi nomen eſt. Pulchre quidem procedit, dictioque pura putaque Etruſca eſt. Grex quoque ſtetit. Et quod caput eſt prima pſaltria, cui nomen Gabriel, tanta in ſtudia populum ordineſque ſcidit, ut non jam ſcenica res, ſed opes, fortunae, vita, regnum denique ipſum agi videatur. Vox illi quam clariſſima eſt, eamque ita modulatur (muſica quippe apprime callet) ut luſciniae cantum, ipſoſque cygnos (ſi unquam cecinerint) longe plurimum antecedere videatur.

His

His accedit quod forma haud illiberali praedita ſororem quoque quam venuſtiſſimam circumfert non ſine pulcherrima Coſmeta. Hui quot quantaſque turbas dederunt! O tempora! o mores! quam rectius, ſi in haec tempora incidiſſet Romanae eloquentiae Princeps, exclamaſſet. Et tamen ita res habet. Virtus omnino friget, & ſcenicum viliſſimum genus laudibus in caelum effertur. Conſule quaeſo boni iſthaec. Jam dolore diſrumpebar. Iterum vale.

EIDEM. 126

Binae ad te perlatae ſunt litterae, at diverſo tempore datae. Alteras quidem dederam XIII. kal. Mart. & has ad Fabricium meum, cui de elegantiſſima Etruſcorum carminum verſione gratulabar; alteras vero a. d. VII. kal. Mart. quibus me tibi purgabam, cur non ſemel ad te ſcribere intermiſiſſem. Quieſce igitur, neque amplius ſollicitêre, quaeſo: nihil omnino litterarum periit. Illud vero libenter fateor mihi pergratum fuiſſe, quod tantopere de re tam parvi momenti laboraveris. Non injucundas tibi illas accidere liquido cognovi. Quod vero tam diligenter amantiſſimi eruditiſſimique Fabricii ceſſationem excuſares, nihil erat. Haud enim me fallit, quanti ab ipſo fiam. Teneat, quaeſo, quem inſtituit, curſum, metamque fac, te praeſertim adjutore ac monitore, laudabiliter attingat. Nicolai Clenardi grammaticas inſtitutiones eruditiſſimas juxta atque graecae linguae addiſcendae accommodatiſſimas magno in pretio

fac

ſac habeas. Quam igitur illarum emendarum occaſionem ſignificaſti, ne committas, te oro, ut e manibus elabatur. Tui ſpectatiſſimi Principis procuratorem neque dum vidi umquam, neque de facie novi. Iterum igitur urge, ut coëmptos libros meoque in cubiculo jampridem reſidentes petat, & ad te quamprimum mittendos curet. A me excellentiſſimo Principi, ejuſque liberis omnibus, ac nominatim Fabricio ſalutem plurimam. Vale.

BENEDICTO CLEMENTI DE AROSTEGVI

Paulus Moccia S. D. 127

VBi hoc matutino calamum arripui, ut ad te ſcriberem, non mediocri timore correptus ſum, manuſque pene obtorpuit, veritus, ne ipſemet meo me gladio jugularem, & volens libenſque arma ſuppeditarem, quibus ipſe confoderer transfigererque. Haud enim me fugit, quanta diligentia meas epiſtolas cuſtodis ſervaſque illo in armariolo, quod ex Americano odoroque ligno conficiendum curaſti. Verum mea in te obſervantia ſingulariſque tua, qua me licet immerentem complecteris, benevolentia, omnia timoris repagula perfregit, impulitque, ut de more, quidquid in buccam venit, conſcribillarem. Numquid novi, inquies? Vetera omnia, ac vulgi ſermone celebrata. Ventralium officina friget: praeterita tantum recoquit. In Boruſſos omnium audaciſſimos debacchatur, illiſque mala omnia

pre-

precatur. Quod temerarium inceptum veluti obſtetricando ſoveant ac proſequantur, angitur animis furitque. Ego vero illud doleo, quod re veſtiaria prorſus deſtitutus, pannoſus obſituſque ſum, &, quod pejus eſt, pecunia rerum omnium domina ac Regina deficior. Nummuli enim quaſi transfugae a me defecerunt, aliena caſtra ſecuti. Faxit Deus, ut proxima ſortitione nummoſus evadam. Haec profecto victoria immane quantum Boruſſis triumphis antiſtaret! Ceterum illud me reficit recreatque, quod te tuumque bene nummatum (praeſiſcini) praeceptorem recte valere ſciam. Quid enim gratius, quidve jucundius amico licet anguſtiis oppreſſo, adverſaque fortuna afflicto contingere poteſt? Quod igitur bene valeatis, cuticulamque ſedulo curetis, gaudeo; quod vero tempus fructuoſe impendatis, publicoque bono ſtudeatis, boni civis officio functi, triumpho. Quare etiam atque etiam vobis commendo apes, induſtria animalcula reipublicaeque utilia; utque illarum dominia, ſedes, diviſiones, Regiminis naturam, earumque in cicures, ferasque poſitiones inveſtigetis, vos oro obteſtorque. Crabrones, quaeſo, fucoſque, favorum peſtem perniciemque, perſequiminor. Hi vivere rapto, alienoſque depaſci labores, in deliciis habent. Verum illud vos monitos volo, ut Rempublicam apum, taeterrimum peſtilentiſſimumque librum turbulento ingenio non ſine cacodaemonis ope excogitatum, atque huc advectum, cane pejus & angue declinetis. Relinquite illum iis, qui ſtatim civitate donarunt, ſuumque loqui ſermonem docuerunt. Vix dici poteſt, quantum novis

novis rebus ſtudeant, quantumque iis delectentur. Vtinam nova irritamenta malorum ſuos intra fines continerent! In dies in id operam dant, ut exteras nationes invadant in iiſque radices agant quam altiſſimas. At inquietis, ſatis pro imperio haec pronuncias, Ariſtarchique perſonam ſuſcipis tuopte ingenio, ac tamquam pro tuo jure. Ita quidem: atque audaciae notam minime defugerem, ſi pernegare auſim. Verum meus in vos amor haud patitur, ne', quod ſentio, aperte dicam, At tanto parcere potuiſſem labori, cum iſta probe calleatis. Verum monita ſive tempeſtiva, ſive intempeſtiva ſint, numquam obſunt; imo ſi quid forte mente exciderat, in illam revocant, &, quominus in poſterum elabantur, impediunt. Manus igitur volentes libenteſque detis oportet. Ecquis veritati luce meridiana clariori reluctabitur? Pergite, ut coepiſtis, meque ſive *εὐκαίρως* ſive *ἀκαίρως* monentem ſi antea diligebatis, nunc, ni grave eſt, amate. Valete, bonoque publico ut inſerviatis, curate diligenter.

P. S. Haec non alio conſilio ſcripſi, quam ut me jam maledicendi finem feciſſe cognoſcatis. Increpationes enim ſale ipſo acriores tandem id effecerunt, ut dicteria, & quidquid eſt jocorum defugiam exſecrerque. At vero vos ſedulo cavete, ne mihi imprudenti aliudque agenti calcaria admoveatis, eaque mihi invito exprimatis, quae ſim non ſine corpuſculi maceratione defleturus. Iterum valete.

EI-

EIDEM. 128

FRaƐtum potius illapſurum orbem credidiſſem, quam eam ſe mihi dari occaſionem, ut in Turcum tuum ingenti mole formidandaque ſpecie Moloſſum calamum exacuerem, maledictiſque inceſſerem. Et tamen ita accidit, itaque res tulit. At inquies, quid brutum animans tantum commeruit, ut per te diris devoveatur, dignumque exiſtimetur, ut in tenebricoſa Tartara retrudatur? Numquid ovilia furtim tranſiluit, oves devoraturum? Numquid tanta eſt ingluvie, tamque inſatiabili fame exagitatur, ut nedum catulos mordicus arreptos dilaniet ac diſcerptat; verum etiam in homines ipſos irruat ac feratur? Quandoque, inquies, ſed perraro, quoſdam ad me ventitantes nec opinos retro invaſit, permodica veſtium jactura, integro corpore intactoque. O quam belle lepideque taeterrimi Turci cauſſam agis! Quaſi pro nihilo ſit habendus metus, quo concutiuntur, quibus hujuſmodi vere pertimeſcenda damna contingunt. Ludus igitur jocuſque exiſtimabitur, ſi quis ſclopetarium tubum bene pulvere pyrio plumbeiſque globulis infartum explodat, & adverſarium forte fortuna minime humi proſternat. Quot quantoſque legimus ſola mortis periculique comminatione exanimatos? Imo ſi ſomniamus aliquid triſte funeſtumque, vel ipſa timoris cogitatione expalleſcimus. Vide ergo, Benedicte, ne nimio ingentis Turci amore decipiare. Eſſere Turce atque δακρυχαρὴς cave, ne forte me imprudentem invadas: te

te enim quadrupedem conſtrictum tamdiu pulſabo, donec furvae Proſerpinae te exanimem ſiſtam. Vale, meque ut a Turci inſidiis ſartum tectumque praeſtes, curato diligenter.

EIDEM. 129

TAndem aliquando Martorellius vir ὁ πάνυ fidem liberavit. Ego vero vel hac ipſa veſpera promiſſa praeſtitiſſem, tuiſque votis ſatisfeciſſem, ſi, qui perferret mihi concredita ſcripta, adſuiſſet. Vix credibile eſt, quantum timoris omnibus incuſſerit tuus ingens Moloſſus nomine Turcus. Nemo eſt, qui non declinet tuas aedes tamquam triſte bidental. Neque pecuniola, nedum promiſſa, verum etiam numerata, noſtrae culinae mediaſtinum pellicere potui, ut iſthuc veniret. Vide ergo quantopere metuitur tuus cariſſimus Turcus, ut prae ipſius timore ipſa pecunia, rerum omnium domina, negligatur! Sane quidem, quis non totis artubus contremiſcat, cum ille ſive totam viciniam horrendo complet latratu, ſive ardentes intorquens oculos feneſtrae inhaeret tamquam curioſius animadverſurus, extraneus ne ſit, anne domeſticus hoſpes qui tuas aedes ingreditur? Cerberum igitur triſaucem domus tuae cuſtodem, vel ad Tartara amandato; aut catenis ita conſtringito, ut nullum omnino ab illo periculum metuamus. Haec in cauſſa fuerunt, cur Martorelliana Apologetica ſerius accipias, quam par erat. Siſte ea tuo φιλέλληνι Patruo, atque auctoris nomine ſalutato peroſficioſe; quem ſi meis etiam verbis dili-

diligenter ſalutaveris, per mihi gratum facies. Joannem Riccium virum praeclare de Anglica lingua meritum a me ſalvere jubebis, ipſumque rogabis, ut iſta eruditorum Helleniſtarum ultro citroque ſcripta libenter accipiat. Vale, meque ama.

EIDEM. 130

VIx Conicleis aedibus relictis, octavo die jam praeterito, ubi huc perveni, nihil aliud mihi penſi fuit, quam ut ad te has, quales eae cumque ſunt, litteras darem. Neque id pro nihilo habendum puto; non quod officium exaggerem meum, adeoque laudes abs te exprimam; ſed quod non una mihi fuit exhaurienda difficultas. Primum theca atramentaria jam exaruerat, itaque ſpongia coaluerat glutinoſo loliginis ſucco jam compacto coactoque, ut neque aqua affatim infuſa, neque aceto molliri potuerit. Calami ſcriptorii ita punctim diſceſſerant, ut trifidam Cerberi canis linguam exhiberent. Tandem papyri inopia me pene a propoſito ſcribendi deterruerat; cum forte fortuna haec mihi charta occurrit potius piperi & caryophyllis involvendis apta, quam epiſtolis conſcribendis. Vide quot difficultatibus praepeditus ab incepto non deſtiterim. Qua de re me excuſes te rogo, ſi characteribus pene inuſitatis inhaeſerim, ſi bibulam chartam adhibuerim, tandem ſi lineas ſurſum deorſum procurrentes, ad inſtar paralyſi laborantis, tremula manu duxerim. Quin imo, quae tua humanitas eſt, miraberis, quod ingra-

tiis tot tantarumque anguſtiarum , haec quoquo modo chartis illeverim . Accedit quod manus praeſertim dextera continenti flagrorum tractatione , pugnorumque ingentium inflictu delaſſata vix calamum quamvis leviſſimum libere ſtringit ducitque . Brachium enim una cum lacerto tamquam frigore affectum continenter tremit ac ſubſultat. Quin hanc excuſationem accipias, nullus dubito , praeſertim cum haec expertus ſaepe noveris . Haec pauca curſim ; coram plura . A me ſalutem Michaëli plurimam . Vale .

DOMINICO AMATO

Paulus Moccia S. D. 131

PRaepropero Antonini adventu , ne turbere quaeſo . Cupiditas enim , qua mirifice incenſus ſum , legendi libri , quem , paullo antequam ſol umbilicum attingeret, te mihi commodaturum pollicitus es , id effecit. Neque mirum: quanti enim momenti educatio ſit , tu qui jam paterfamilias es πολύτεκνος , quique mira prudentia ac non vulgari diſciplina ceteris exemplo es , quî liberis ſit imperandum , tu, inquam, probe noſti . Qua de re & illud ſpero fore, ut mecum mitius agas, ſi feſtinatione tanta, quod promiſiſti, efflagito . Namque & ego , nullis meis meritis, epheborum equitum educationi quodammodo praeſum , utque vis inſita virtutis doctrinâ magis magiſque augeſcat mihi opera navanda eſt non indiligens . Hinc nullus lapis mihi non movendus nihilque intentatum relinquendum , quo

illa

illa conquiram omnia ac naviter veſtigem, quae tanto muneri pro dignitate ſuſtinendo conducibilia exiſtimantur. Quidnam vero, amabo te, laudato libro utilius, quid fructuoſius, quidve praeſtabilius in publicum emitti poterat? Rem acu tetigiſſe videtur πολυθρύλλητος auctor, nihilque omnino poſthabuiſſe eorum, quae ad ſolidam educationem deſiderantur. Vno verbo: ſi pauca dempſeris, omnia & ſcopum adſequuntur, & puerorum inſtitutionem ita prorſus eſſe temperandam perſpicue oſtendunt. Quî haec ſcis, inquies, cum librum nondum legeris? Tute mihi dixiſti, qui librum attente legeras. A me Marchioni Galiano viro ἀπαθεστάτῳ ſalutem dicito. Vale.

ANDREAE FARINAE

Paulus Moccia S. D. 132

MAle ſit ruſticationi, qua fruſtillatim utor, in cauſſa eſt, cur ceſſator in ſcribendo videar. En, cur ſcribere quandoque intermiſerim. Jam enim chartam calamumque paraveram, quo ad te de more ſcriberem; en novus Campaniae Praefectus, cui tantum debeo, quam cui maxime, cum carruca praeſto eſt, quo me rus avehat. Quî vi obſiſtas? Quî amico auro contra non caro morem non geras? En igitur, cur factum ſit, ut neque ſcripſerim, neque annulum una cum icone miſerim. Faxit Deus, ut, quod patrandum exſpectabatur prodigium, ubi illa acceperis, ingratiis morae, patretur. Quod ad Phaleucium ſpectat, id Corteſio ceteriſque ejus amicis in

mandatis des, precor. Facilius voti compos fies. Perraro mihi occurrunt, qui ſolitudinem amo urbiſque celebritatem dedita opera declino. Is enim ſum, qui triumpho, ſi homines ſefellerim. Poſtremo ſummopere laetatus ſum, quod, qui aegrotarunt, convaluerint, &, quod caput eſt, nedum vires, verum etiam corpus receperint. Vnum doleo, quod mihi haud tantum ſuppetit, ut & ſoteria mittam. A me illis una cum lectiſſimis liberis ſalutem Athleticam nuntiato ſtudioſiſſime. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei x. kal. Octob. CIƆIƆCCLXIII.

EIDEM. 133

QVod Lupiam perrexeris una cum tuis Alumnis, volupe mihi fuit. Atque, ut verum ingenue fatear, tuae felicitati non parum invidi. Vrbem dubio procul vidiſti, quam merito Athenas alteras dixerim. Vt enim ſpectatiſſimam nobilitatem civium taceam, quem fugit, eo Muſas omnes una cum *μȣσηγέτῃ* Apolline conceſſiſſe? Illic omnigena vigent florentque litterarum ſtudia. Nihil tam arduum eſt, quod Lycienſes non multa cum laude aggrediantur, atque ad exitum feliciter perducant. Inſtar omnium eſto eruditiſſimus Joſephus Palmerius verſatili vir ingenio, qui nuper de re militari ita ſcripſit, ut palmam omnibus retro actae aetatis auctoribus praeripuerit. Cordi igitur tibi ſint Lycienſes (ita impune dici poſſe Cl. Mazochius numiſmatum fide praeſtat) eoſque vel meo nomine plurimum amato. Praeterea valde te amo, quod meam levi

vi calamo fuſam deſcriptionem Regiarum nundinarum non ingratam tibi exſtitiſſe amice ſignificaſti. Polyphemëis nondum promulgata eſt. Quae in Fraggiannium compoſita ſunt carmina jam in eo ſunt, ut publici juris fiant. Nihil tandem eſt, quod iſthic de tenuitate meſſis queramini. Hic pertenuis omnino fuit. Stelliones iſthic agros infeſtant; hîc cinices culiceſque homines enecant. A me excellentiſſimo Principi Pignatello, ejuſque filiis ſalutem de more plurimam impertire. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei III. kal. Sextil. CIↃIↃCCLXIII.

EIDEM. 134

JAm tua elegantiſſima carmina tuo juſſu tradidi communi amico Leonardo Corteſio. Forte fortuna eum obvium habui domi Marchionis Galiani, quem de more viſum ieram. Quo ſtudio ea ipſi commendarim, tute conjectura adſequi poteris. Quanti te facio, probe calles. Neque enim nos inter nos heri aut nudius tertius novimus. Illud tamen ingenue fateor, me nunc omnino neſcire, quid illis factum ſit. Quanto enim locorum intervallo ab Leonardo abjungor, haud te fugit. Fere extrema urbis loca uterque incolimus. Verum de his, ſi quid novi, ſtatim te certiorem faciam. Praeterea ingentes tibi tuiſque alumnis, ac praeſertim excellentiſſimo Principi Michaëli Pignatello gratias ago, quod luſtrico meo recurrente die, per te mihi fauſta omnia exoptaverint. Nae ego laetitiis omnibus exultavi, ubi talem tantumque virum optimeque

de litteris meritum, homuncionis memoriam fovere cognovi. Quare te rogo obteſtorque, ut ipſi meo nomine ſeorſum ac exquiſitis verbis grates perſolvas immortales, eique inſuper a me praeſtes, me numquam paſſurum, ut tanti beneficii memoria intercidat. A me alumnis tuis, quos ego, quoad mihi vita ſuppetet, colere atque obſervare non deſinam, ſalutem plurimam nuntiato. Vbi ad Archintum noſtrum ſcribam, illum tuo nomine ſalvere jubebo. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei Non. Sextil. CIↃIↃCCLXIII.

EIDEM. 135

POlyphemëis, opus vere laudabile atque omnigena eruditione refertum, jam publicam lucem adſpexit, litteratorum cavea mirifice plaudente. Etruſca enim carmina amuſſitata diligentia condita eorumque paraphraſes tantam ingenii vim doctrinamque prae ſe ferunt, ut nihil omnino ſit, quod requiri amplius poſſe videatur. Quodque mirari ſubit, auctor *ἀδιαφόρως* animique quiete non vulgari laudes excipit: & tantum abeſt, ut efferatur, ut potius humanior comiorque evaſerit. Editio Hollandica videtur: charta enim lectiſſima eſt: formae typographicae recentes ac minime detritae. In fronte operis proſtat Polyphemus affabre inciſus. Vno verbo, nihil uſque adhuc magnificentius aeque ac limatius promulgatum eſt. Epicedium Fraggiannianum nondum editum eſt. Quanam de cauſſa res tamdiu procraſtinata ſit, neſcio. Hîc nihil prorſus novi. Maximos calores experti ſumus: nunc mite-

mitеſcere incoeperunt. Poſtremus Hoſtiliani Principis filius, qui inter Praetorianas cohortes merebatur, propediem in Hiſpanias perget una cum Dominico Spinello Cariani Principis filio, illic militaturus. Rex noſter, quem Deus ſoſpitet, bene valet, ac in venatione mirificas progreſſiones facit. Hoc ad robur ſanitatemque prodeſt quamplurimum. Hîc caritate rerum pene omnium laboramus. Pretia in dies ingraveſcunt. Illud non parum inopiam ſublevabit, nempe frumentum indicum intempeſtivum, ſi pluvia in tempore deciderit. Alias periculum eſt, ne omnino exareſcat. A me excellentiſſimum Principem, quem fere ſemper in ore habeo, licet nondum de facie noverim, ejuſque incomparabiles liberos plurimum ſalvere jubebis. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei id. Sextil. CIↃIↃCCLXIII.

EIDEM. 136

JAm quieviſti, credo, omnique depulſa ſuſpicione, quae te diu torſerat, animum collegiſti. Nam, amabo te, nullâ omnino cauſsâ, amicitiam longo temporis ſpatio conciliatam, nedum diſſuiſſe, verum etiam ſcidiſſe jam me, quî in animum tuum induxiſti? Illud perſuadeas tibi velim, me potius mortem depaciſci paratum eſſe, quam ſancta amicitiae jura vel tantillum violare. Haud equidem me Pyladem aut Oreſtem, Niſum aut Euryalum eſſe jactabundus praedico (quî enim ferendus forem, cum vix ſingulis aetatibus tale cernatur par amicorum?) Verum me prae amicitiae jure quidvis poſterius du-

cere ac ne hili quidem facere ſi dixero, haud falſi notam pertimeſcerem. Quamobrem illud te etiam atque etiam rogo obteſtorque, ut animo nedum bono, verum ſedato quoque ſis, omnemque amoliare ſuſpicionem, ſi quando illa tibi labaſcere amicitiae jura viſa fuerint, quae ne ariete quidem admoto pauxillulum concuterentur. Quoad carmina ſpectat, illud reſcivi, ſerius quam oportuerat miſſa huc fuiſſe. Ita ſe ſe purgarunt ii, quibus Sylloge curae fuit, nihilque aliud prorſus cauſſati ſunt. A me excellentiſſimo Principi liberiſque ejus ſuaviſſimis ſalutem. Vale.

EIDEM. 137

OBlitus pene eram ad te ſcribere, de more, quidquid in buccam. En forte fortuna, dum thecam ductilem abaci educo, quam ad me miſiſti epiſtolam offendi. Pauxillulum fere temporis reſtabat antequam ſcholaſticae exercitationes inirentur. Quare haec raptim & feſtinantius ſolito. Eo vel magis, quod jam non horridulo atque incomptulo ſcribendi genere; ſed e meditullio latialis nitoris deprompto coli incipies. Mihi, ut verum fatear, minime ſalivam movebunt iſtae latinitatis deliciae. Vervecinae quippe carni aſſuetus, vitulinam licet tenuiorem difficile concoquo. Macte igitur tanta voluptate, tecumque totam, quantacumque eſt, habeto. Haec hactenus. Nudius tertiana die undecima hora jam pulſata more Italo, primo mane diem obiit ſupremum numquam ſatis laudatus R. Ap. Sedis Nuntius. Morbo pulmonario implicitus ſeptem

ptem dies decubuit. Poſtera die veſperi ad Eccleſiam S. Mariae Angelorum Patrum Theatinorum efferetur praecedentibus quatercentis Fratribus ex quatuor Mendicantium Religionibus cereis polymyxis accenſis. Sandapilae latera utrimque ſex Epiſcopi ſtipabunt. Subſequetur tota ejus Aula major atrata, minor vero preriofiore veſte induta, non ſine auratis carrucis. An militaribus cohortibus locus ſit, nondum certum ſcivi. Legatione primaria functus eſt. Proximo lunae die parentalia eidem ſollemni pompa perſolventur. A me tuis omnibus ſalutem properanter. Cajetanus Migliore te plurima ſalute impertit. Vale.

EIDEM. 138

LEctis tuis litteris, non potui, quin tibi ſuͤbiraſcerer. Etenim mihi ſubimpudens (pace tua dixerim) videbaris, quippe qui in ipſis Natalitiis diebus, quos tibi jam fauſtiſſimos optaveram, quod litterarium officium ſemel defuerit, aegre gravatimque tuleras. Quare te rogo, ut poſthac mitius mecum agas, quaeque viris forenſibus concedi ſolent vacationes, iis me quoque frui aequo animo patiaris. Eo vel magis, quod hîc nihil prorſus novi eſt. Heſterna die elata fuit pompa pene triumphali Principis Scaleae filia quinquennis variolorum morbo extincta. Quo morbo etiam e vivis ſublatus eſt acerbo ſane funere Saxoniae Dux annos XLII. natus. Ineunte hebdomade Rex noſter, quem Deus ſoſpitet, primulum ad S. Archangeli nemus perget apros ſues ſclopo enecturus. Tandem haud dici poteſt,

quan-

quantam hîc concitaverit exſpectationem antelo-quium a Caſarellio, & Gabriele, die Natalitio Regis Noſtri, Regio in Theatro canendum. Faxit Deus, ut exitus exſpectationi reſpondeat! A me tuis omnibus ſalutem officioſiſſime. Vale.

FRANCISCO DANIELI

Paulus Moccia S. D. 139

QVin cauſſidicus ſis atque inter primos recenſendus, jam nullus dubito. Iis enim dotibus praeſtas, quas apprime neceſſarias nemo non exiſtimat illis, qui forum frequentant cauſſiſque agendis operam navant. Sane quam πολύτροποι in primis ſint neceſſe eſt; deinde a phaleratis verbis non imparati. Alias, quî uno eodemque die ſexcentis clientibus ſe operam daturos conſtituerent? Hoc matutino cum te forte fortuna e regione Salientium Caſtri novi obvium habui, mihi perſancte recepiſti, te mihi uni pomeridianas horas omnes dicaturum. Quare de more pedem domo non extuli, teque uſque ad quartam more Hiſpano horam praeſtolatus, tandem aedes tuas verſus perrexi, num mihi occurreres, eamque pedetentim viam emenſus ſum, quam te plerumque inſiſtere animadverti. Neque domi te offendi, neque uſpiam, quamvis pene totam urbem perreptaverim. O vere omnium horarum hominem! Fidei datae omnino immemor, qui te primum prenſaverit, ejus pluſquam nexu mancipioque evadis. Ne des, cave, poſthac, fidem, ſi illam certo certius rupturus es.

Clien-

Clientibus verba dato, ut lubet; at amicos vide, quaeſo, ne iſthoc pacto ludificeris. Etiam, quod nollem, fictum negotium cauſſare; attamen fidem, quam numquam liberaturus es, obligare caveto. Ohe, inquies, jam ſatis eſt. Poenarum pluſquam ſatis pro tantulo peccato. Poſthac cautius me geram, fidemque diligentiſſime ſervabo. Minue iram amicoque ignoſce libenter. Imo libentiſſime. Jam tua mellita reſponſa, quae efferbuerat ira, eam omnino cohibuerunt. Imo ut me omnino placatum eſſe tibi perſuadeas, tibi fortunatiſſimos dies Natalitios opto, atque, ut Neſtoreos annos ſuperes, recens natum Chriſtum Jeſum obſecrare enixe non ceſſabo. Vale.

EIDEM. 140

CAelum terrae commiſceri fluminaque relabi crediidiſſem; te vero verbi immemorem eſſe, ac fidem datam violare potuiſſe, nullus mihi perſuaſiſſet. Tanti te ſemper feci, &, quod caput eſt, te ſemper fidelem novi. Nunc qui factum ſit, ut promiſſum non praeſtiteris, vix aut ne vix quidem ſuſpicari potero. Servus enim praeſto erat: Marchionis Spiritei uxor domi ſervabat: tu pedem domo haud extuliſti, quippe qui amicum praeſtolabaris, qui te tuumque germanum, qui parum belle habebat, inviſeret. Ego vero, ne ceſſans viderer, dataeque fidei parum ſollicitus, antequam ſol ad veſperum inclinaret, me ad Teſtae communis amici aedes una cum Campolongo contuli. Vſque ad noctis horam illic moras traxi ad foros adſidens oculiſque circum-

cumſpectans, num quis tabellarius adventaret. Vbi illinc diſceſſi, cum redirem domum, attente obſervavi, num illum obviam haberem. Nullum omnino offendi. Atque domum reverſus, cum Janitorem ſcitatus eſſem, num quis me, cum abſui? Nemo omnium. En quî prorſus factum purgare non poteris. At, inquies, gravibus negotiis diſtrictus, reculam curarem ſcilicet. Fateor. Verum alias cave, ut ſancte promittas juratus. Quî, amabo, in magnis promiſſa ſervabis, cum in parvis perfidus redarguaris? Vale.

EIDEM. 141

QVî tibi in mentem venerit, meam fatigare exſpectationem eàmque cupiditatem remorari, qua flagrabam quamprimum legendi aurea Marci Mundii opuſcula, te accurante, jam typis quam elegantiſſime edita, demiratus ſum. Sanctiſſime enim mihi receperas, cum te heſterna die conveni, te illa mihi quam celerrime miſſurum. Anne tibi parum videtur, vel paucarum horarum mora, illa me voluptate privare, qua jam perfuſus eſſem, tam eruditi tamque elaborati atque ad unguem perfecti operis lectione? Numquam, mihi crede, depoſuiſſem, ni a capite ad calcem lectis iis omnibus argumentis, quibus tamquam muſivo opere affabre compingitur, librum totum in ſuccum ac ſanguinem convertiſſem. Jam modo illi (heu nimium cito e vivis ſublato!) divinam Terentii Andriam recenti forma ornatam noſtriſque moribus ſervire libenter juſſam, Italice vertenti praeſto fuiſſem: modo

modo cum latina, tum Etruſca carmina, pro re nata, eruditiſſima, ſi qua alia, pangenrem ſuſpexiſſem; tandemque proſa oratione eloquentiae vim majeſtatemque prae ſe ferentem tantum non audiſſem. Quaeſo igitur te etiam atque etiam, ut promiſſum quanto ocius praeſtes, ne & verbi immemor, & Dominici ejus filii inſigniter de litteris meriti pietati tua negligentia morae fuiſſe videaris. Is enim haud lacrymis egregii doctiſſimique parentis mortem proſequi contentus, ut ejus opera immortalitate haud dubie digna apud poſteros exſtarent, te adjutore, diligentiſſime curavit. Vide, quaeſo, ne illa non ſtatim vulgata fuiſſe atque diſtributa, per te ſtetiſſe videatur. Quare fac, ut nulla interpoſita mora ad me illa mittas, meoque incenſiſſimo, quo jam teneor, ſtudio, quantum poteſt, ſatisfacias. A me Dominico Mundio tanti parentis filio ſtudioſiſſimo juxta atque praeclariſſimo ſalutem peramanter nuntiabis. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei x. kal. Mart. CIƆIƆCCLXIV.

JOSEPHO CARULLO

Paulus Moccia S. D. 142

QVa fieri potuit celeritate, quas a me petiſti litteras, deſcripſi. Fere nullum apud me eſt exemplum illarum, quas in ſingulas hebdomades exaro. Hinc te obſecro, ne mirere, quod non ſtatim miſerim, fidemque liberarim. His accedunt occupationes, quibus hîc diſtinemur, quae hujuſcemodi ſunt, ut quaſi omne tempus,

pus, quodque ſcribendo accommodatius eſſet, ſibi vindicent. Matutinas enim pomeridianaſque horas ſcholis impendimus. Vix tantulum ſupereſt temporis, quantum corpori recreando animiſque exhilarandis, ſive deambulatiunculis, ſive congreſſionibus cum amicis, nemo non tribuerit. Sed, quod caput erat, neſcio cur ad ultimum reſervarim. Iſtas ita fac legas, ut horas quo quo modo fallas, quodque temporis cum ſcitiſſimo fratris tui filio pene repueraſcens inſumeres, cum a negotiis, quibus fere numquam non diſtringeris, vacas, illud hiſce meis litteris ſubitaria opera conſcriptis attribuas. Pro ea qua me nihil tale merentem proſequeris benevolentia, non vereor, ne non eas aequi bonique conſulas, neque omnia ad ſeveriſſimum examen revocanda exiſtimes. Plerumque enim nullo pene argumento quidquid in buccam venit, chartis properanter illevi. At inquies: non ſcripſiſſe ſatius fuiſſet. Cur, quaeſo, culpam deprecer, cum declinare potuerim? Sane quidem. At, qui, amabo te, amicis illas nedum poſcentibus, verum etiam efflagitantibus morem non geſſiſſem? Amicitiae ne, qua nihil ſanctius in terris eſt, nuntium remitterem? Minime omnium. Is enim ego ſum, itaque ſentio, amicitiam videlicet fovendam vel cum noſtra quantacumque jactura potius, quam pati, ut pauxillulum laedatur. Quae cum ita ſint, fere ſemper amicis parendum fuit, eaque ſcriptis committenda, quae numquam, abſque eo foret, in vulgus exiſſent. Neque porro dubito, quin mihi in hac re libenter aſſentiare. Per te enim, qui amicis demerendis unice natus videris

ris atque omnium ore praedicaris, peccem in hanc partem, quantum libet, mihi licebit. A me Felici, germano tuo amantiſſimo, quique multorum mores populorum vidit & urbes, ſalutem plurimam nuntiabis; quam etiam Franciſco Danieli, cujus in ore habitas, ni grave eſt, imperties. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebeí kal. April. CIƆIƆCCLXIV.

CAJETANO MIGLIORE

Paulus Moccia S. D. 143

JAm accepi, quod mihi mittendum curaſti clariſſimi Philippi Mazochii μνημόσυνον, ac poſtridie mane, ubi per ſcholaſticas exercitationes licebit, ipſemet Campaniae Praefecto prae manu dabo. Quin imo ei rem, qua de agitur, Romano more commendabo. Atque, mihi credas velim, currenti ſtimulos addam. Juſtitiae enim, uti probe noſti, acerrimus vindex juxta atque cultor eſt, &, quod magis eſt, integerrimus. Quam ob rem haud deſpero futurum, ut quamprimum amantiſſimi Philippi votis ſatisfiat, cujus nomen dumtaxat pro maxima eſt commendatione apud illum praeſertim, qui ejus praeſtantiſſimum Patruum, quo uno litteraria Reſpublica pene ſtat vigetque, amore proſequitur ſingulari, atque colit obſervatque non vulgariter. Vix credas, altero illum quoque verbo honoris cauſſa nominat. Verum haec hactenus. Quod vero mearum epiſtolarum folia, antequam prelum experiantur, nedum ſedulo, verum etiam liben-

ter

ter recenſes, multum te amo. Quid enim mihi exſpectatius contingere poterat? Neque mihi omnino timendum eſt, ne tua deſideretur diligentia, quippe qui ita quandoque illarum ſuavitate duceris, ut ſaepe animo vagatus pervidere videaris. Vtinam ita ſe ſe res haberet! Jam enim tibi, cui tantopere cor ſapit ac palatum, quique mihi pene inſtar omnium es, ſatisfeciſſem. Ceterum, ut ut res ſit, hoc tuo judicio, tamquam aliorum exiſtimationis de me praerogativa utar libentiſſime. A me officioſe reſaluta Philippum, ejuſque Patruum Alexium Symmachum Mazochium, virum dubio procul πολύγλωττον & πολυμαθέστατον, eique recipito perſancte, me, quoad mihi vita ſuppetet, ſuum nexu mancipioque futurum. Quî enim beneficiis in me plena manu collatis, cum Averſano in Clericorum Collegio degerem, nedum referenda, verum etiam habenda gratia, reſpondeam? Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei idib. Maj. CIϽIϽCCLXIV.

P. S. Jam mandata exhauſi, &, ni fallor, ita diligenter, ut res acta tranſactaque videatur. Proh qualis quantuſque vir! Vix dimidium dixeram, intellexerat. Praeterea mihi praecepit ut ſuis verbis Philippum, ejuſque Patruum, ſibi multis capitibus cariſſimum, officioſe ſalvere juberem. Te quoque valde ſalutat, gratiaſque agit de tuis epigrammatis, quae ipſi Nivanum mittenda curaſti. Iterum vale.

MI-

MICHAËLI TESTAE

Paulus Moccia S. D. 144

QVid? jam autumnus ingruit, aeſtate jam exacta, & Pauſilypum minime petemus, quo nos lavatum abituros non ſemel conſtituimus? Quid deperire non iniquo animo patiemur tempeſtatem animis erigendis corporibuſque reficiendis quam aptiſſimam? Perraro quidem apud nos accidit, ut ſive frigus, ſive calor ſibi conſtet, atque in dies non decies mutetur. Quandoque mane caleſcimus, veſpere ineunte vix eſt, ut aërem egelidis ventis frigefactum feramus. Nullus hîc veſtium perpetuus conſtanſque tenor rituſque. Villoſo quidem indutus panno prodibit, qui paullo ante ſericus totus inceſſerat. Quare utamur, quaeſo, hac tam inopina caeli temperie, neque illam ἀδιαφόρως abire ſinamus. Vbi Campolongum, Farinamque (proh quales animas!) videris, illis diem dicito, abitioneque condicta, quo ſtatuto tempore adſint, fac edicas. At qui meticuloſiſſimum Campolongum impulerimus, qui Neptuno bellum indixit? Ita ἀφροδίτῃ placitum ſi dixeritis, ſtatim non repugnans aſſentietur. Vale.

EIDEM. 145

MErito te amo, gratiaſque habeo immortales, quod mihi ad Andreae Farinae viri ſine controverſia eruditiſſimi amicitiam aditum pateſeciſti. Morum enim ſuavitate, comitate, facilitateque, qua mirifice non vulgaris doctrinae nulli non invidendos theſauros condit, ita in dies illi devincior, ut nihil ſupra. Cum ceteris longe plurimum multis capitibus antecellat primaſque ferat, pene ſemper ſecundas partes agit, nulli non decedit, ceterorumque ineptias meraſque nugas, pro ea qua pollet humanitate, libenter excipit, nec veris laudibus parcit. Vt verum ingenue fatear, ringor quandoque ac vehementer doleo, cum illi minime tribuantur, quae virtute praeditis, ac de litteraria republica optime meritis non ſine piaculo negarentur. Verum illud me non parum recreat, animumque pene triſtitia confectum erigit, quod probis viris, quibus nil carius, nihilque antiquius eſt publico bono, ſatis ſuperque praemii eſt, ſi benefactorum conſcientia ſuſtententur. Macte igitur virtute eſto, atque pergat, ut coepit: fortaſſe tempus erit, quo haud dedecori ducetur eruditis virtutem coluiſſe, utque litterae foverentur, operam eximiam navaſſe. A me illum ſaluta officioſe. Vale.

EI-

EIDEM. 146

ACerrimus capitis dolor, quo fere totum diem divexatus ſum, in cauſſa fuit, cur nihil litterarum ad te dederim. Vix aliquantiſper remiſit, calorque, quo pene aeſtuaveram, deferbuit, cum, quoad per affectas vires fieri potuit, partes meas implevi, officioque ne deeſſem, diligenter curavi. Vide, amice amantiſſime, quanti apud me jura amicitiae ſunt! vel morbum cauſſari, mihi religio eſt. Satius enim eſt amicitiam cuſtodire quam accuratiſſime atque πρὸς ὑπερβολὴν, quam ea committere, quae illius ſplendorem praeſtringere videantur. Quare illud tibi perſuadeas velim, me tibi, qua ſtudio, officiiſque, qua opera, induſtria, atque fide numquam defuturum. Quin potius illud ſedulo efficiam, ut tua apud me beneficia minime intercidiſſe exiſtimentur. Quid? putaſne me ita immemorem promeritorum eſſe, itaque ingrati animi vitio laborare, ut tui ſingularis erga me amoris tuaeque non vulgaris benevolentiae memoriam obliterari patiar? Vt cetera miſſa faciam, quis diligentiae tuae, quis ſtudioſiſſimae voluntatis, quis tandem (pudet dicere, at dicam tamen) tui famulatus obliviſcetur? Nunc, quaeſo, patere, ut gratias tibi agam, habeamque maximas; poſthac haud deſpero futurum, ut par pari referam, ac benefacta benefactis rependam. A me Campolongo, atque Farinae, viris amiciſſimis meique ſupra fidem ſtudioſiſſimis ſalutem plurimam. Vale.

EIDEM. 147

ME ne ita pudorem abjeciſſe putas, ut audacibus facinoribus ad gloriam perveniri poſſe mihi perſuadeam, quae laudabiliter res ſive publicas, ſive privatas gerentibus ſemper patuit? Vix pauci, qui hujuſcemodi nefariam iniere viam, fortunam ſi non ſecundam, ſaltem minime adverſariam experti ſunt. Atque id neque conſtanter, neque cum laude. Namque poſtremo ſors tamquam pertaeſa facinoroſos viros vitiiſque omnibus inquinatos, eo pene in pretio haberi, quaſi bene de ſuis meriti eſſe viderentur, ita in medio reliquit omni prorſus auxilio deſtitutos, ut omnium contumeliis, dicteriis, ſcommatiſque impune paterent. Sane quidem, quae a culpa proficiſcuntur, haud fieri poteſt, ut diu ſub virtutis ſpecie latentia hominibus imponant, perennemque verae laudis famam conſequantur. Vernantium florum ritu evaneſcunt, ubi dira nec opina ingruit tempeſtas. Squalore gravique ruina non parum contriſtant viatorem, quae prius jucundo erant ſpectaculo. Ita tandem arbor infelix manebit, qui aurea carruca vectus omnium in ſe oculos convertebat. Satellitio ſtipatus ad patibulum rapietur, qui antea, ubi in forum prodibat, togatulos inter atque anteambulones incedebat. Vt igitur omnia in pauca contraham; licet nefariis quibuſque viris feliciores fuerimus, ſi non aliud, aeternum probroſi jacebimus. Quare illud te rogo, ut conſilium mutes, itaque apud te ſtatuas, nihil umquam

quam homini expetendum niſi cum virtute conjunctum. Ergo pauper ero, Iroque miſerior? Quidni? Si vel tranſverſum unguem a virtute honeſtoque diſcedendum ſit. At plerique omnes ita ſe gerunt, reſque illis ex ſententia procedunt. Si vitioſum eſt atque ab honeſtate alienum, cave putes multitudine prave agentium rectum decorumque fieri. Haud in iſtos quadrat, quod virtutis affeclis congruit: εἷς ἐμοὶ μυρίοι. Quare cave multitudinem, ritu pecudum, ſequaris. Profecto peſſum ibis, inque praeceps agêris. Ea enim non quod rectum, ſed quod lubet, ſtudioſe rimatur. At virtus diffidens plebi illum bene beateque victurum putat, qui proſperas ſecundaſque ſontium impiorumque res oculis ſpectabit intortis. A me prudentem Andream Farinam, multorum mores hominum qui vidit & urbes, plurimum ſalvere jube, pariterque Campolongum, modo ne lateat, ut filium dicunt Thetidis ſub lacrymoſa funera Trojae. Hei vereor, ne Rhodani potrix aliquid nobis apportet mali! Vale.

EIDEM. 148

NEque defugiendi oneris cauſſa, neque quod Lucianae plagae jam pertaeſus eram, heſterna die aedibus tuis abſtinui; verum id contigit, eo quod diutius quam ſolebam in libraria officina moratus, non intellectam jam obrepſiſſe noctem animadverti. Quare, ſi ad te veniſſem, id haud dubie providebam futurum, ut, ſerius omnino, quam fere ſemper conſueveram, domum

redire cogerer. Quod, haud te fugit, quanto ego opere declinaverim. Et poſthac igitur veniam, & numquam committam, ut temere a propoſito diſceſſiſſe redarguar. Haud verere, quaeſo, ac bono animo eſto: ni moleſtiae fuero, te adibo, quoad vita exſuperavero mea. Te conveniam veſpertinis matutiniſque horis; ita tamen, ut mihi optio ſit alterutrum exſequi. At vero illud te monitum volo perraro fore, ut ad te mane ventitem. Ita enim mihi dies diſpoſitus eſt, ut recurrentibus ſtato ordine atque per orbem occupationibus, mane domi me contineam oporteat. Accedit quod iſtud tempus tamquam commodius ſibi optavit Campolongus, cui ingentes calores, viaque licet aeſtuoſa ac pulverulenta minime ſunt impedimento, quominus aedes tuas meridiei omnino adverſas frequentet. Communibus noſtris amicis Farinae, & Campolongo ſalutem a me communicato pugilicam. Vale.

EIDEM. 149

COnquieveruntne irritati maris fundo ex imo exciti ingentes fluctus, quibus infames ſcopuli, alter a catena, alter a ſale, quo licet modice veſtitur, heſterna die albeſcebant? Deſiitne dira fremere pelagus, horrendumque mugire, tamquam Tritonum ſonitu ad ferale bellum vocaretur? Conſpiciunturne mergi ſurſum deorſum volantes, quo piſcibus vi tempeſtatis ſummas aquas tranantibus dextere potiantur? Si nondum ventos conci-

diſſe,

diſſe, agitatumque humorem ſaxis decidiſſe credidero, haud fallar. Quippe Neptunus etiamnum timet, ne in ſententia maneam, Pauſilypumque adhuc cogitem. Quare ne portu ſolvam, juſſit aquas, & quantum eſt in mari Numinum, tum quieſcere, cum me propoſitum mutaſſe certo certius comperiet. Mutavi, precor, dicito, voce vel ſtentorea vehementiore, meque Sebethum petiturum, quo lavem. Cura, ut iſto munere quanto ocius fungaris; alias periculum erit, ne civitas plures dies mea cauſſa piſcium caritate atque inopia prematur. Quis enim, niſi de ſua vita actum velit, mari tam procelloſo, piſcatum perget? Neque cum frigora rigent, mare ita hiemaſſe memini. I nunc, ac pernega eſſe verum, quod vulgo dicitur, infelicibus, ſi mare petierint, undas defuturas. Ita prorſus agitur cum eo, qui egregio ingenio ad miſerias natus eſt. Amicis a me ſalutem. Vale.

EIDEM. 150

ET tamen Pauſilypum petebam, tantum ut viri medici imperium exſequerer. Aquam marinam obeſis beneque habitis ſalubriorem fluviatili eſſe non ſemel mihi dixit. Ne igitur valetudinem, adeoque meorum commoda negligere viderer (nobis niti domum domeſticaque omnia falſo putant) navigationem paravi. En derepente omnia converſa: caelum viſum eſt vel pice nigrius, ita nubibus iiſque quam ſpiſſis obducebatur: mare ita inſonuit, ut nedum tempeſtas ingruere, verum etiam caelum ipſum ruere

videretur. Jam nautae omnes cymbas, myoparones, navigiaque omnia ſubduxerant. Mare vix piſces continebat, quos jam ſedibus ſuis pulſos undarum fremitu impetuque litus petere cogebat. Vide nunc, quaeſo, quid me factum fuiſſet, ſi ingratiis Neptuni ſolviſſem! Quid, ſi non integer vitae ſceleriſque purus mari me commiſiſſem? Illud, ſalva fide, fatebor me illuc ire, non ut ventri indulgerem, neque exquiſitis piſcibus ingurgitarem, neque ut marinae aquae auxilio ſallum ſuſcitarem humorem; ſed dumtaxat, quo excurrenti undique pinguedini, ſeque in dies latius, imo monſtroſius explicanti ſalitis lymphis frenos quodammodo injicerem, cadivamque nimio pondere alvum cohiberem. At quorſum tam putida oratio? Ingenue dicam, ut ita ſaltem dolorem, quo non parum angor, levem, animumque curis confectum erigam ſolerque. Nedum die, verum etiam ſcribendo aegritudo adimitur. Aequi igitur bonique conſule has ineptias: non leve ad moleſtias minuendas remedium eſſe deprehendi. Vale.

EIDEM. 151

EN iterum e balneolo antemeridiano ad te ſcribo. Credideris? licet aquis undique circumfluam, tanto exaeſtuo calore, ut pene totus a calce ad caput madeam ſudore. At nullibi tantum ſudoris exundat, quam in fronte. Quodque mire moleſtum eſt, quandoque me imprudente ita ſenſim ad ſummum naſum leneſluendo pervenit, ut tamquam abacturus muſcam accingar.

gar. At vix manum jacto, cum vel papyrus, vel quid aliud quod ſubeſt madefactum indicio mihi eſt, guttatim ſudorem decidiſſe. Et tamen caloris ingratiis ſcribo, itaque ſcribo, ut me fere ſemper tui meminiſſe liquido perſpicias. Is enim ſum, ut gratiſſimus haberi cupiam. Neque me a propoſito ſententiaque deterret inanis illorum opinio, qui me omnia ad gloriam referre, omniaque cum mea ipſius utilitate metiri fortaſſe exiſtimabunt. Namque, ſi hic error eſt, eo delector, neque mihi eripi patiar. Anne umquam fieri poterit, ut vitio alicui vertatur, quod beneficia memoria retinuerit immortali? Apageſis iſtas nugaciſſimas nugas meraſque tricas. Vale.

EIDEM. 152

EN hoc epiſtolio heſternam jacturam compenſo. Hebdomadarium enim penſum, quo per orbem fungimur, impedimento mihi fuit, quominus quotidiano ſatis officio facerem. Vix mihi ad paucas horas, ſine quibus haud vita toleraretur, mihi, inquam, licuit eſſe otioſo. Fere totum antemeridianum tempus ſibi vindicat Palatinum officium; & qui omnem omnino cultum negligo, haud parvo tempore contentus ſum, quo me comparem. Proh quanti laboris eſt pulverulentas mundare veſtes! merito negligentia plectitur, qui ſuas perire veſtes patitur. Quid tibialia memorem? ita quandoque hiant, ut non modici ſerici jactura ſarciantur atque interpolentur. Vixque uno defungor opere, cum aliud

emer-

emergit : en recens collare aſſuendum ſe offert, ne quod jam ſudore madet ſpurco colore nauſeam pariat. Jam vero Menſa regia expeditus, vixque pranſus, meridiatum abeo. Non multo interjecto intervallo, en ſcuticae adſonant, quo jam adventare carrucas admoneor. Lecto ſurgo, raptim veſtes induo, ornatuſque uti in magna feſtinatione licet, carrucam conſcendo. Deambulatum concedimus. At quo? Ad viam novam, quae in mare imminet. Illic ubi ſurſum prorſum formicino gradu ambulavimus, domum redimus. En gelidi cucumeres ſciſſi devorantur, quoque facilius concoquantur, non parum vini potatur. En iterum carrucas ſcandimus theatrum petituri. Illic ſpectando caleſcimus. Quid enim eſt abſurdius, quam aeſtivis temporibus theatra patêre? Jam media nocte exacta revertimur. Coena multor innoxius. Dormitum pergo. Vix prae calore quieſco. Interim invida abiit dies, neque, quid profecerim, prorſus ſcio. Illud certe ſcio fruſtra tantum temporis effluxiſſe, neque amicis officia impenſa. Quis igitur poterit me tamquam ceſſantem in ſcribendo accuſare, cum mihi vix ſuppetat tempus, quo mihi proſpiciam, ſalutiſque rationem habeam? ſomno ciboque licet innoxii multamur. Vel neceſſariis naturae oneribus raptim ſatisfacimus. Quae cum ita ſint, ignoſce, quaeſo, amiculo, ſi nolens repugnanſque officio defuit. Poſthac & frequentiores & fuſiores accipies epiſtolas, famemque, qua urgeris, inſatiabilem, ſpero, explebis. Interim hiſce contentus eſto, atque tamquam praeguſtatione utitor, ita tamen, ut ne promulſide conficiaris.

Inte-

Integram enim ſamem ab ovis uſque ad mala afferas volo. Farinam mellitiſſimum amicum eruditiſſimumque meis verbis plurimum ſalutato. Vale.

EIDEM. 153

AT neque ita indemnitati meae omnino conſultum eſt. Si damnum ſarcire in animo habes, cumulate ſarcias oportet. Ni te praeterit, quod jura ſanciunt, ita te geras neceſſe eſt, ut ἀριθμητικῶς, nedum γεωμετρικῶς ſatisfaciendum tibi eſſe exiſtimes. Duo affluxerunt dies inanes prorſus, atque ab omni epiſtola vacui. Tum ergo abunde promiſſum te praeſtitiſſe arbitrator, cum, quid ſingulis diebus debetur, re exſolveris. At, inquies, reliqua, ubi potero, perſolvam. Haud iſthuc patiar; neque gravatim feras, rogo. Nihil quippe juxta exſecror odique atque reliquoſos. Si, quod debes, rotunde inficiaberis, haud mihi aegre erit. Is ego ſum: quod in nominibus eſt mihi perinde eſt atque prorſus abeſſet. Quare unica tibi reſtat via, qua debito extricêris, nimirum ſi reapſe epiſtolam miſeris, quodque interjacet ſpatii qualibet ratione impleveris. Alias quin inficiator ſis, nihil moror. At enim, memento & illud contritum ſermone omnium eſſe: *ſummum jus, ſumma injuria*. Verum id hercle eſt; ſed ubi ex aequo bonoque agier oportet. Quid ſi lex aperte loquatur? Injurium profecto erit, ſi latum dumtaxat digitum ab illa diſceſſeris. Centum furatus es, tantundem reddito. Si nummulus defuerit,

rit, fur eris. Quid tibi vis obloquar? jus, fas, juſtum, aequumque calles apprime. Itane tibi ſtat? Quoad potero deinceps enitar, ut meas impleam partes, numquamque efficiam, ut officium defuiſſe meum jure conqueraris. Vale, Farinamque ſaluta a me officioſe.

EIDEM. 154

HVi! tibi deſunt argumenta ſcribendi, qui conventicula quaeque urbis percurris, novaſque res ita aucuparis, ut nihil magis. Nihil hîc novi contingit, quod te unum praeſertim fugiat. Nemo enim in foro magno ſuſpenditur, aut urbem jubetur percurrere aſello inſidens papyracea inſignitus corona, quem non aut ipſemet ſpectes, aut non ſaltem, cur ita factum oportuit, ſedulo anquiras. Nonne, cum Nundinae ante Regias aedes inſtituebantur, tu omnium primus ad immanem leonem viſendum accurriſti, caneſque partim viriliter, partim muliebriter indutos, bipedes incedentes, atque ad numerum ſaltantes ſpectaſti? Vel nudius tertiana die, tu qui pene ad annum a meis aedibus abfuiſti, neſcio quanam de cauſa, nonne odium omne, ſi quod forte conceperas, depoſuiſti, atque vix pranſus ad me veniſti, ut Charontis ferrugineam cymbam innumerum piſcatorum numerum vehentem non ſine tridentibus, fuſcinis, aliiſque halieuticis inſtrumentis intuereris? Quam attente urinatores modo hac modo illac caput aquis efferentes, metu ne fuſcina impeterentur, alioſque aquam huc illuc ſpargentes, quo continenti aſpergine

gine ficti piſcis captio protraheretur, quam attente, inquam, adſpexiſti? Si ad ſolem occaſum ludus productus fuiſſet, numquam medius fidius tibi oculi doluiſſent. Haec omnia cum tibi ſuppetant ad ſcribendum, te ſumma i rerum copia quî fame confici affirmabis? Et tandem, ut omnia deſint, abunde conſcribillandi argumentum ſufficient mellitiſſimi Campolongi perſpicilla numquam deponenda ne inopino quidem motu terram conquaſſante, aut Boruſſo imminente exercitu. Haec ſi attente tecum ipſe perpenderis, haud conquerêris poſthac, ſi ſapies. Ita ſe rem habere ſi pernegem, amice amantiſſime, frontem perfricuiſſe putabor. Quare deinceps mutato conſilio aliter me geram, ac ne ceſſans in ſcribendo jure ac meritò videar, ſedulo cavebo. Campolongum eruditiſſimae atque elegantiſſimae Polyphemeidos auctorem de vetere ingenuo ſcribendi genere praeclariſſime meritum, atque acerrimum primaevae latinitatis jam jam periturae vindicem ac adſertorem, ejuſque amiciſſimum Malarbium omnijugenae litteraturae cognitione excultiſſimum virum, ac Danielem amicorum glutinum atque litterarum cultorem praecipuum meo nomine plurimum ſalvere jubebis. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei IV. idus Auguſt. CIƆIƆCCLXIII.

EI.

EIDEM. 155

ME tibi jam nuntium remiſiſſe, teque omnino valere juſſiſſe, ſi ſuſpicaberis, haud temere te id facturum autumo. Perſanſte paucis ab hinc diebus tibi receperam, me numquam, quoad fieri poſſet, paſſurum, ut vel uno tantum die meis litteris careres. En nulla de cauſa, qua mei facti ratio probaretur, violataque amicitiae jura praetenderentur, jam tertium diem, epiſtolare commercium conſtitit interquievitque. Et quod n agis mirabile eſt, neque de more morbum, vel aliquid aliud, quod forte impedimento mihi fuerit, cauſsatus ſum. Haec, inquam, ſi ita tecum ipſe reputaveris, minime, uti videtur, a ſigno aberrabis. Verum, ſi, cur ita factum oportuit, audieris, me tamquam in ſcribendo ceſſatorem haud inſimulabis. Inopinanter neſcio quo praepoſtero Orgitellianarum aquarum effectu, crus dextrum, quod gracilitate commendabatur, pene aliquantiſper inferne intumuit. Id quantum mihi timoris pepererit, tuum judicium eſto. Jam mihi videbar aqua intercute laborare, atque in ſingulas horas in tantum protendi tumore ſenſim augeſcente, ut aegre ſpiritum ducerem. Nunc digito tibias pertento, num tenuiter preſſae inertes conſiſtant non ſine notis, an ſtatim vividae ſubſulturae videantur. Iterum matellam inſpicio, num ſatis lotii in ea ſit. Vrinae enim inopia malum portendit. Quid multis? Nihil intentatum relinquo, ut quo quo modo mihi caveam, conclamatamque reciperem ſalutem. Quare me excu-

excuſes te rogo, ſi te heſterna die non inviſi, neque ſolitas litteras accepiſti. Vbi detumuerit crus, ſtatim veniam. Vale.

EIDEM. 156

ACcidit non raro, ut eorum potiſſimum, quae cupidius inhiavimus, ſatietas nos capiat, itaque averſemur, ut vel ipſa notitia ac cogitatione angamur. Ingenue verum fatebor, neque me pudet id prae me ferre. Superioribus annis, ubi ſive loco, ſive imperio illius, ſub quo eram, vetabar ad theatra pergere, nihil omnino erat, quod avidius cupiebam, illiſque invidebam, quibus ad ſcenicos ludos facilis aditus patebat. Vtque animo, ſi non oculis quo quo modo ſatisfacerem, illos dedita opera mihi obviam dari avebam, quos non infrequentes eſſe certis auctoribus compereram. Quid multis opus eſt? ubi in illos forte fortuna incideram, ab illorum ore pendebam, attenteque auribus bibebam modo ſaltationes ad vivum expreſſas, ſive ſolitarias, ſive bino, trino, quaternove numero ductas, ſeu tandem ab omnibus alterno acceſſu receſſuque, interdum adverſis, quandoque averſis corporibus examuſſim peractas; modo ritu ſaliſubſulorum aëreos eoſque αὐτομάτυς ſaltus. Quoad cantus ſuavitatem, falſas voculas, diuturnoſque vocum ductus parum attentus. Numquam muſica me delectarunt ſtudia. Nunc ita ab iis alienus evaſi, aut potius uſque adeo mihi taedio moleſtiaeque ſunt, ut quidvis paterer, nihilque non ſubirem laboris, dummodo theatralibus officiis

ciis impune vacare permitteretur. Quid ita? haud dubie ex eo quia ubi mutantur anni, ſtudia quoque mutentur oportet. Jam adoleſcentes odimus, quae pueruli diligimus. At ſi ad haec omnia temporis incommoda acceſſerint, tum quidem moleſtia immenſum excreſcet. Atque id ſuperiore nocte contigit. Ita enim exaeſtuabamus prae non mediocri ſpectatorum turba, quae neſcio quibus furiis exagitata illuc confluxerat, ut neque gelidis ſorbitionibus, neque frigidis cucumeribus recenſque e crypta eductis calor, quo vexabamur, reſtingui potuerit. At vero illud inficiari nequeo non injucundum ſpectaculum fuiſſe, cum pene ad numerum flabella in ſingulis foris movebantur. Quam ſimillimum id videbatur mari, cum undae leviter aura criſpatae albeſcunt, ac nautae barbam D. Joſephi appellant. At, inquies, quorſum iſthaec oratio vel Iliade prolixior? Ne mihi vel in theatro invideas. Amicis fruitor, qui ad te ventitant frequentes, tibique perſuade nihil prorſus eſſe, quod cum amico eoque candido ſinceroque comparari poſſit. Quid, ſi idem muſarum corculum fiet? Jovi de felicitate bellum inferes. Farinae, ac Campolongo a me ſalutem plurimam impertitor. Vale.

EIDEM. 157

NEſcio quonam id fato contingat, ut nedum in malum natura proni ſimus; verum etiam, cum illud quammaxime defugimus, tum vehe-

vehementius acriuſque experiamur. Quod in vetitum ruamus, quid mirum? ita quidem ficti factique ſumus. At vero, ſi a recto tamquam vim paſſi deſciverimus, id quî fiat juxta cum ignariſſimis ſcio. Fato ineluctabili ſi id accidere fatebimur, quînam impii notam effugero? Nutu quippe omnia divino, licet quam fortuita videantur, uſuveniunt. Anne inſtinctu atque αὐτομάτῳ ductu in turpia quaeque atque indecora ferimur? Quanam re, amabo, beſtiis praeſtabimus? Coeco ne tandem rationis impulſu, primaeva culpa labefactatae? Viderint, qui iſthuc rodunt frenum: ne proverbio obnoxius merito fiam: Sutor non ultra crepidam: ἵππος ὑφ' ἅρματα. Verum, quod ad me attinet, illud ſcio, me heſterna die domum reverſum eo conſilio, ut cucumeribus abſtinerem, ita illorum viſu pertractum nedum allectum fuiſſe, ut ſententiam mutaverim. Illinc ſane is afflabatur odor, qui non modo ſenſum titillabat, verum etiam vel inertem, faſtidioſum, oſcitantemque permoviſſet. Vix enim unum prae ceteris, findere, cultro leniter deſcendente, incoepimus, cum crepitando ſponteque ſua dehiſcendo anteambulonis ritu quid boni contineret, oſtendere geſtivit. Jam bifariam diviſus, is fuit, qualem ſe futurum, fauſto omine praedixerat. Rubere viſus eſt juxta atque Sarrana veſtis purpureo bis exſaturata colore. Pavimentum ſanguine natare exiſtimaſſes. Quid vero ſaporem memorem? Hyblaeum mel multis paraſangis antecedebat. Quare nectar ambroſiamque vel fabuloſa poëtarum commenta fuiſſe; vel ſi exſtiterunt, ſub cucumerum involucris occulta tectaque fuiſſe, vel depoſito pignore conte

tenderim. Sane quidem, quid cucumere dulcius, ſuavius, ſapidiùs, jucundiuſve fingi poteſt? vel experti novimus ipſas frigidas ſorbitiones, ſive lacte, ſive Medicis malis, ſive aliis quibuſvis lectiſſimis rebus compoſitas prae gelidis cucumeribus deſipere? Quid? quod illae potiones gignunt malorum, quod non raro accidit, iſtorum ope praeſentiſſima pellitur extruditurque. Extruditur? imo in intimos viſcerum receſſus penetrantes, occultos quoſque inveteratos acreſque humores in poſterum haud dubie nocituros rimantur, atque ingratiis tenacitatis, & licet adhaereſcentes avellunt, avulſoſque protrudunt. O permiram cucumerum vim atque ἐνέργειαν! O pharmacum vel καθαρτικοῖς anteferendum! Vtinam viris medicis, qui ſibi tanto opere in aqua egelida plauſerunt, iſthuc in tempore innotuiſſet! Vtique cucumeribus conclamatae aegrorum ſaluti conſultum ivifſent. Bene ſit iis, qui priores cucumeres ſeverunt, quique illos nonniſi frigefactos manducandos eſſe docuerunt. Ita quidem malis hominum occurrerunt, ſed non alio malo. Praeſtat enim morbum curari ita, ut nullo cruciatu torquearis. Quandoque vel ſine medica ope diem obire ſupremum expedit. Vſqueadeo amarulenta interdum aegris propinant, ut abſinthites dulcius ſapiat. Amice, ſi quando (quod omen Deus avertat) aegrotaveris, aut Κακοςόμαχος fueris, cucumeres adhibeto, eoſque optimae notae. Mediterraneos mandito; cave a maritimis. Qui enim in agris mari proximis proveniunt, licet magis rubeſcant, ſalſiores tamen ſunt, obſuntque non parum. Haud ſcio an iſti mihi fraudi fuerint. Tandem illud

te

te rogo, ut iſthaec nedum tecum contineas; verum etiam, amicis impertiare, quo cucumerum auxilio non ſolum pugiliter valeant; ſed cornicis quoque annos adſequantur. A me Danieli, Campolongo, atque Farinae amicis quantivis pretii ſalutem gladiatoriam, & ſi illos σικυοφίλυς effeceris, etiam ἀγερυσίαν nuntiato. Vale.

EIDEM. 158

INtermiſſam aut potius relictam ſcribendi conſuetudinem revoco volens libenſque. Tua quippe erga me benevolentia, tuuſque amor dubio procul eximius, ut ita faciam, me vehementer nedum hortantur, verum etiam impellunt. Quae enim hactenus me torſerat ſuſpicio non mediocriter, omnino inexſpectato tuo adventu depulſa eſt. Haud temere antehac veritus fueram, ne a me alienatus, neſcio quanam mea culpa, alio animum tuum convertiſſes. Quod nunc me falſo ſuſpicatum eſſe, laetatus ſum vehementer. Verum, ut, quod ſentio, meo more ingenue fatear, ne in praeſenti quidem penitus abſceſſit, qui me ſollicitum habuit, timor. Quare, quas ad te nunc mitto litteras, peramanter quidem certe, ſed haud prorſus metu omni vacuus ſcripſi. Illas igitur, quoad potui, quo forti animo erectoque ſe ſe tibi ſiſterent, cohortatus ſum; illudque naviter praemonui, ne paverent, licet te ſubtriſtem offenderent. At vero, ſi te laetum hilaremque deprehenderent, eis mandavi, ut tibi amice prius atque officioſe ſalutato luſtricum apprecarentur diem quam fauſtiſſimum. Ridiculum, inquies.

Exacta vindemia, uti ajunt, infundibulum commodas. Et tamen ſi attenderis, illas omni prorſus culpa abſolves. Jure enim impeditae fuerunt, quominus ſatis officio facerent. Neque vero te fugit, quippe qui a rebus forenſibus non imparatus es, quod tamquam non effluxerit illud putatur tempus, quo quis juſte detentus arguitur. Sed apage has juris ambages, ac Legulejorum ſubterfugia. Metus in cauſſa fuit, cur id non ſuo tempore conficeret. Lapſus ſum, erravi. Nunc veniam peto, quam impetraturum ſpero, ſi tuus ſuaviſſimus alumnus, quem a me ſalvere jubebis, deprecator acceſſerit. In poſterum autem ſedulo cavebo, ne in gratiam redeamus. Campolongo amicorum conciliatori atque glutino meis verbis ſalutem dicito officioſe. Vale, meque tibi devinctiorem opinione tua exiſtimato. Ex Aedibus Regii Ephebei VII. kal. Jun. CIƆIƆCCLXIII.

EIDEM. 159

HEſterna die conſulturus quaedam Baſilii loca ab impio Barbeyracio impudenter atque per omne nefas impetita, me ad publicam S. Angeli ad Nilum Bibliothecam contuli, non mediocri itineris difficultate aegre obeſum corpus movens, cum ſudore a calce ad caput maderem. Vix librum, quem anxie quaerebam, aperueram, illumque avide legere occoeperam adſidens juxta Bibliothecae Cuſtodem, virum amoeniore & interiore aeque ac ſeveriore litteratura clariſſimum, cum intervênit quidam ſacerdos talari indutus veſte mihi de facie notus, qui ſtatim Nuntiantem

tem ſeduxit, cumque eo ſeorſum ſermones neſcio quos inſtituit. Salutantem amice reſalutavi. Praeterea, quod inſtitueram, diligenter facere perrexi. Verum ea me cura identidem angebat, cum ſcire percupide averem, quî vir ille, quem non tum primum noveram, vocaretur. Numquam tamen mihi ſuſpicio ſuborta eſt illum eſſe potuiſſe Dominicum Malarbium, quem in Regiis Nundinis primum cognovi. Ipſum enim tum alticinctum videram, baculumque geſtantem tamquam ii, qui aut ruſticatum pergunt, aut longum ſunt iter ſuſcepturi. Hinc factum eſt, ut, poſtquam a Nuntiante digreſſus eſt, atque omnino abiit, cum ſciſcitatus eſſem, ecquiſnam is eſſet, Malarbium mihi melle Hymettio cariorem eſſe compererim. Quanto ego opere tum doluerim, tute qui me intus & in cute noſti, facile judicabis. Adhuc totis artubus contremiſco, illudque vereor, ne forte inurbanus atque inofficioſus viſus ſim. Quare te etiam atque etiam rogo obteſtorque, ut, ubi per otium tibi licuerit, illum meo nomine adeas, remque omnem ad verbum atque ordine narres. Ipſum enim jure ac merito tanti facio, quanti neminem. Quidni? Quae ceteri ſparſim oſtentant ornamenta, ea ſpectatiſſimus iſte Muſarum alumnus omnia prorſus confertim potitur tenetque. Abſit vero ut exiſtimes me iſthaec chartis illeviſſe, ut amico adblandirer, gratiamque, qua jure, quave injuria, aucuparer. Peream, ſi iſthaec animo reputarim. Nihil enim umquam aeque ac aſſentatores exſecratus ſum. Ex animi ſententia ſcripſi, & eo tantum conſilio, ut me quoquo modo purgarem. Vera enim amicitia ne-

 dum

dum crimine, verum etiam criminis ſuſpicione careat oportet. Meis verbis amicum mihi oculis ipſis cariorem, quemque quoad vixero unice diligam, ſalutato officioſiſſime. Neque inſalutatum relinquito Campolongum, quem ſemper magis ac magis colam atque obſervabo, cum in dies argumenta ſuppeditet, quibus de Litteraria Rep. mereтur praeclarius. Ecquid ingenioſa Polyphemeide fingi poteſt argutius? Quid ornari luculentius? quid tandem concinnari ita aptum argumento, ut omnia ſibi mirifice conſtent conſentiantque? Quare merito invidendus videtur Marchio Berius multis capitibus clarus; at hoc capite clariſſimus, quod tale tantumque opus ipſum immortalitati conſecrarit. Tandem S. Laurentii Principem feminam a litteris non abhorrentem atque muſis amicam, ejuſque ſuaviſſimum filium, meo nomine plurimum ſalvere jubebis. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei id. Sextil. CIƆIƆCCLXIII.

EIDEM. 160

VIn' tibi caput obtundam litteris pene nullo argumento fuſis, atque tantum ſonantia verba oſtentantibus? Tibi morem geram volens libenſque. Faxo equidem, ut litterarum copiâ tuae te poeniteat inexplebilis aviditatis. Nullum omnino diem abire ſinam, quo non aliquid ad te litterarum mittam. Neque iraſcare, quaeſo, ſi te intempeſtive oppreſſerint. Vix enim cubitum iveris, en Zetarius, neſcio quis oſtium pulſavit, illico ſurge, ipſummet te poſtulat, qui litteras tulit. E Regio enim famulitio homo eſt ruſo

ſo capillo. Alia autem die te prandentem interpellabunt. Hui! quî tabellarii odium atque improbitatem tuleris, ſi te offenderit jam oeſtro calentem Apollineoque correptum furore? Eo proculdubio progredieris, ut, quid facto opus ſit, prorſus ignores. Iterum atque iterum apud animum tecum reputato, num tua cum valetudine bene agatur, ſi conditiones quaſque, ſive aequas, ſive iniquas acceperis. At inquies, mihi melle hyblaeo dulcius (abſit verbo jactantia) ſapiunt tuae licet extemporales litterae. Eſto. At nil carius valetudine, nihil jucundius ſomno, nihilque ſapidius pollucibili prandio atque opipare inſtructo. Cogita ergo mature rem, atque quidquid deliberabis, fac ut quamprimum ſciam. Interim a me ſalutato officioſiſſime iſtam primariam feminam Principem honeſtate, prudentia, morumque probitate nulli ſecundam, ejuſque ſuaviſſimum atque ſcitiſſimum filium tuae curae fideique ſapientiſſime concreditum. Vale, meque, ut facis, ama.

P. S. Vbi per otium licuerit, illud te rogo, ut Alumnum tuum huc tecum convehas aequalium Epheborum Equitum conſuetudine fruiturum. Illum enim eximie diligunt, atque in ſinu ferunt. Iis quippe dotibus animi praeditus eſt, ut jam inde a puero, quis deinceps futurus ſit, aperte ſignificet. Ex ipſa herbarum viriditate, qualis futura eſt meſſis fecunditas, apparet. Munuſcula, quae illi praebeam, haud mihi ſuppetunt, quippe qui Sanctimonialium crates ferreoſque clathros cane pejus & angue declino. Illa-

rum enim munera hamata ſunt. Satius certe eſt iis carere. Aureo illum libello donabo, quique non Hollandica compactione, aut inaurato integumento, ſed aureis praeceptis commendetur. Non deerunt non inelegantes icones. Iſtis pueri mirifice delectantur. Iterum vale.

FRANCISCO DANIELI

Paulus Moccia S. D. 161

HVi! qui finis ſcribendi? Jam iſthaec effutire te mihi videor videre, atque utraque manu ad aures admota, tamquam improviſo fulgeratoris Numinis tonitru perculſus, illas obſtruis, garrulitatem ſcriptoris miſere vitaturus. Vtinam cera, Vlyſſis inſtar, obſtruas, aut gomphis infercias! Jam quidem te obſurdeſcente, aſſentatorum infinita illa colluvies, hominum generis peſtis atque pernicies, tandem aliquando exhauſta funditus interiret. Nonne, amabo te, tu me, ut, quidquid in buccam, chartis illinerem, hortabare? Nonne ipſe, dum mea, qualia ea cumque ſint, legebam, modo muſſitans, modo ſtentorea voce, mihi identidem: belle! euge! σοφῶς! non ſine manuum plauſu occinebas? Medius fidius, toto caelo errat, qui fictis laudibus, iiſque phaleratis verborum ſtrophis conveſtitis facile fidem adhibet; atque imprudens tanti facit, tamquam ſi ex intimis veri candidique animi ſenſibus proficiſcantur. Ita prorſus mecum actum eſt. Tua auctoritate confirmatus, qua apud omnes tantum vales, ut nemo magis, quot quantaque

taque ſtultulus effudi ſcriptiſque commiſi, quae potius igni addicenda forent, inque mare projicienda Adrianum. Qui aucupari laudes eaſque vel ab invitis exprimere videbar, en quantum derepente dedecoris opprobriique ſubivi, quot quantiſque ludibrium debui! At te Dj perdant, adulatorum peſſime; qui, ut inſanabile irridendi cacoëthes expleres, tantam amiculo jacturam attuliſti, ut jam de ejus fama, ſi qua fuit, actum eſſe videatur. Verum, diſpeream, ſi ita tibi falſe abierit. Meritas κολάκων poenas perſolves. Et, ſi mihi Archilochi vis atque par ſcribendi ardor defuerit; haud tamen deſperabo fore, ut continenti litterarum ſerie te, amicorum peſtem viruſque, ad ſuſpendium adigam. Rides? ita ne, idoneus tibi videor, quem pro lubitu ludificeris? O tempora! o mores! Quis nunc non ultima quaeque pertimeſcat, caelumque ipſum confractum lapſurum, cum jam amicitiae nulli non colenda jura nedum laedi paſſim atque contemptui haberi; verum etiam rumpi ac labefactari animadvertat? Vtinam in illa fortunatiſſima Pyladis atque Oreſtis tempora incidiſſem! Vtique, quo nunc maceror dolore, caruiſſem. At quo me ſcribendi aeſtus abripuit, quove querendi cupiditati nimis indulgens progreſſus ſum! fortaſſe, quae tantum vel levicula ſuſpicio mihi jam moerore neſcio quo confecto ſuggeſſit, haud ita ſe habebunt; & quas litteras repudiatum iri putavi, illas ambabus ulnis excipiet ac deoſculabitur. Quare, amice mihi oculis ipſis carior, quod te, levi ſuſpicione ductus, odio oderim Vatiniano; illud te obſecro etiam atque etiam, ut mihi igno-

gnoſcas, erratique veniam des libenter. Peccavi, lapſus ſum, teque nihil tale merentem iis oneravi injuriis, quas in ſceleſtiſſimum quemque omnibuſque vitiis contaminatum hominem minime evomuiſſem. Ne verbulum quidem addam amplius, metu, ne nimia verboſitate iterum ſubiraſcare, meque licet ubertim flentem, veniamque demiſſe petentem naſo ſuſpendas adunco. Ah! quid dixi? en ſuſpicio recurrit, meque licet invitum, ut tibi male velim, urget acriterque impellit. Abi in malam crucem, hominum pernicies, ſacerrima ſuſpicio, teque praecipitem in Erebum, unde erupiſti, confeſtim abjicito. Cave, ſceleſta, ne iterum erepas poſthac. Namque te erumpere connitentem, ubi pro merito pultavero, Veritati amicitiae tutelari praeſentiſſimae te ſiſtam plectendam. Audin', ſceleſta? Cave. Cura ut valeas. Ex Aedibus Regii Ephebei XI. kal. Sextil. CIϽIϽCCLXII.

CARMINO GERVNDAE

Paulus Moccia S. D. 162

QVod mea extemporalis epiſtola, quam nudius tertiana die ad te ſcripſi, Coſmae communi amico non injucunda acciderit, per mihi gratum fuit. Quam emunctae naris vir ſit, & quanto ipſe opere de litteris iiſque politioribus praeſertim meritus ſit, non raro expertus cognovi. Quare a me illi exquiſitis verbis gratias age, ut primum commodum erit. Praeterea, ni grave tibi eſt, & illud ipſi a me dicito, me adhuc

huc ea in ſententia perſtare, nimirum ut diteſcam. Quare mei ne obliviſcatur, illudque, quoad fieri poterit, committat, ut ipſius ſplendidiſſima numerica face, qua mihi praelucere te hortante non detrectabit, obſcuriſſima reconditae ſortis hominibuſque inacceſſae veſtigia indàgem. Minime λοξίαν vatem ipſum exiſtimo. Pythiam ipſam Delphico Oraculo decantatiſſimam veritate longe plurimum antecellit. Quos enim effatur numeros, praeſertim in Caſſai officina, in qua tamquam in Cortina Phoebi ἐνθουσιασμῷ corripitur, vel ſacramento contenderim exitu comprobatum iri. Praeterita ſortitione id mihi contigit. Illum igitur etiam atque etiam fac roges, ut meis rebus conſultum velit. A me illi ſalutem officioſiſſime, nec non Victorio optimae indolis ac magnae ſpei adoleſcentulo tuiſque alumnis cariſſimis nunciabis. Vale.

EIDEM. 163

Tamquam antiqui hoſpitis ſenile guttur fregerim, amicitiaeque leges ſuſque deque habuerim, ita non paucis abhinc diebus meum conſpectum fugitas declinaſque. Alias jam vias, cum prodeambulatum exis pomeridianis horis, inſiſtere occoepiſti, & haud ſcio an caſu, vel conſilio. Me quidem fortunae ictibus punctim caeſimque impetitum, ac tantum non (σὺν Θεῷ) afflictum externatumque, veluti fulguritum devitas. Eſto. Ita meritum eſt meum. Num tibi par pari referre vicemque reddere mutuam cogito? Deus id avertat malum, fineſque in Thra-

cios

cios agat extrudatque. Quin imo benefactis maleſacta rependam volens libenſque. Et quos jam ſollemni pompa colimus Natalitios feſtos dies, & quem jam jam inituri ſumus novum annum, quam fauſtiſſime tibi fluere, milliesſque fortunatiorem in orbem redire ex animo opto, Deumque πάντων ἀγαθῶν Δωτῆρα enixe precor, ut haec mea fauſta omina rata eſſe patiatur. Vide, quaeſo, quî ulciſci, & quam ſevere conſueſco! Idem fauſtum Natalitium omen a me Orontio Marreſio priſcae fidei viro, ejuſque incomparabili uxori, & quantivis pretii liberis Joſepho & Proſpero officioſe imperties. Quod officium ſi noſtro πολυμαθεστάτῳ Paroeco, ejuſque germanis omnibus peraeque de litteraria Rep. optime meritis, beneque morato Victorio praeſtiteris meo nomine, per mihi gratum facies. Multum te amo de exemplo epiſtolae Coſſyrenſis. Hui! Pharmacopolam virum urbaniſſimum pene oblitus eram! illum meis verbis plurimum ſaluta. Vale.

BENEDICTO CLEMENTI

DE AROSTEGVI

Paulus Moccia S. D. 164

COmmodum fere media prima noctis vigilia domum me recipiebam, cum juxta veteres Regias aedes obvium habui Joannem priſcae fidei virum, qui me ad ſeſquihoram in Regio Ephebeo fruſtra exſpectaverat. Mutuis de more

officiis perſolutis, quod penes puerum ab janua litteras tuas ad me datas reliquerat, ſignificavit. Jamque digreſſi in diverſa abieramus, cum, ut gradum aliquantiſper ſiſterem, amice rogavit. E veſtigio ſubſtiti: en paucis indicavit, quod me iſthuc humane vocabas. Statim ſubdidi: benigne. Sciebam quippe, quod proximo mercurii die huc tota Regia aula antemeridiano tempore pranſura commigraret. Iterum ſalute invicem officioſe dicta diſceſſimus. Domum reverſus, reſignatas litteras ſtatim a capite ad calcem percurri, quodque me iſthuc ad prandium arceſſeres deprehendi. Rnrſus dolui, quod tibi dicto audiens eſſe nequirem hebdomadario penſo, quo per orbem fungimur, impeditus. Quare ubi hebdomas haec exierit, me venturum Deo favente confido. Atque utinam celeriores properarent curſumque incitatiores maturarent, qui intercedunt dies! Celerius quippe ipſe coram exciperem, quae jamdudum meditata in me depromeres. Verum illud tibi praedico, ni verborum volubili ſono perterrefactus manus dabo, me haud dubitare, quin tuae undeunde corrogatae rationes ad irritum ſint recaſurae. Adverſus enim facta, quae producuntur argumenta licet orationis flore conveſtita, araneorum ritu difflata vaneſcent. Πρωθύςερον aequi bonique facies, ſpero. Ita enim omnino factum oportuit. Patruo tuo a me ſalutem optimam, amicis plurimam dicito. Archintus, Somaliaque te reſalutant quam officioſiſſime. Cura, ut valeas.

AN-

ANDREAE FARINAE

Paulus Moccia S. D. 165

NOn ſemel atque iterum ad te nihil litterarum dedi, qui nullam fere hebdomadem abire ſiveram, quin ad te aliquid ſcriberem, licet nullo propoſito argumento. Prima quidem id fronte reprehendendum videtur; verum ſi me audies, excuſabis omnino me, neque objurgatione dignum exiſtimabis. Quod ſuperioribus diebus nihil ſcripſerim, in cauſa fuit nec opinus germani mei morbus, iſque graviſſimus. Pleuritide repente correptus ita ad ſeptimum diem laboravit, ut de ipſius ſalute conclamatum eſſe videretur. Nunc σὺν Θεῷ jam pene convaluit. Quod vero ne proximas quidem jam exaratas complicataſque acceperis, id effecit improviſus hîc excitus tumultus. Parva lecticariorum ac bajulorum manus neſcio qua panis caritate uſi, quae jam inſtructa erat de more machina ante Regias aedes prima noctis vigilia, illam ex condicto diripuerunt. Magnus omnes pavor occupavit, uti fit nocturno tempore. Adde his, rumor incertus, qui ſubito omnia urbis loca pervaſit, paucorum hominum turbas mirum in modum exaggeravit. Verum ſtatim providentiſſimo conſilio, brevi temporis intervallo, tumultus omnis coërcitus eſt. Tres turbarum auctores per urbem perendino die virgis caeſi triremibus addicti fuere. Jam altera machina inſtructa eſt, quae craſtino die dato ſigno de more diripietur. Tunicatus

catus popellus, olim tumultuoſiſſimum hominum genus novarumque rerum ſtudioſiſſimum nunc quieſcit, puberemque Regem, qui caelo delapſus videtur, eximie diligit. Imo indigne tulit viliſſimum lecticariorum genus id auſum eſſe, quod ipſi ne in mentem quidem venerat. Vides igitur, quî factum ſit, ut litteras ad te mittere intermiſerim. Suſpicionem, ſpero, prorſus depones, ubi binas litteras, ſed diverſo tempore datas acceperis. Polyphemeïs una cum Mergilline adhuc apud me reſidet, &, mihi crede, jam ſitus piget. Nemo me adivit, qui illa tuo nomine peteret. Campolongus te ſalutat plurimum. A me officioſe ſalvere jube Fabricium, meque apud illum excuſes velim, quo pacto me tibi purgatum plane exiſtimo. Ceteros alumnos tuos, eorumque parentem jucundiſſimum meis etiam verbis ſalutabis peramanter. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei XIII. kal. Mart. CIↃIↃCCLXIV.

EIDEM. *166*

HEm, iſtuc avide exſpectabam, ut aliquantula mearum litterarum intermiſſione offenſus, mihi par pari referres vicemque redderes. Tuae enim mihi de more litterae deſuerunt. Carui quidem amici officiis, mutuique amoris ac benevolentiae fructibus, quibus mihi nihil eſt antiquius: at vero querelarum nihil omnino fuit. Nullas ad me epiſtolas mittis, quin unde unde argumentum corradas quoquomodo expoſtulandi. Agedum, ſodes, purga te viciſſim, vitilitigatorum cavillis ſemotis, ne ceſſator videare. Quod plu-

pluvium, aut frigidum tempus cauſſeris, nihil eſt. Vernum omnino tempus fuit, brumali licet tempeſtate. Vnum prorſus eſt, quo te excuſes, nimirum ſi morbum obtenderis. Quid ſi athletice valuiſti? Tum enimvero manus des oportebit. Erubuiſti: ſalva res eſt. Qua de re poſthac, aut queri fac deſinas, ſi quando nihil ad te litterarum perfertur; aut diligenter cavebis, ne merito tuum officium deſideretur. Nam qua fronte officium requires meum, qui in ſcribendo ceſſans redargueris? Ringêris, credo, ubi haec in te liberius dicta legeris. Per me, ringare, licebit: modo ne ad ingenium redeas. Quid, amabo te, querulo putidius, quidve moleſtius? A me Fabricio adoleſcenti praeclare de litteris merito, ceteriſque tuis alumnis muſarum cultoribus, eorumque parentibus ſalutem plurimam. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei VI. kal. Martias CIƆIƆCCLXIV.

EIDEM. *167*

MAle ſit meae oſcitantiae, meoque implacabili capitalique adverſus titulos indiceſque odio. Hinc non raro factum eſt, ut quandoque, licet a capite ad calcem librum perlegerim, interrogatus, ubinam impreſſus eſſet, & cuinam nuncupatus, aut quem annum praeferret, mihi aqua haeſerit. Hoc ipſum mihi contigit, cum nuperrime ad te ſcripſi, ac properanter levique brachio latinam praeſtantiſſimi Fabricii verſionem laudavi. Pene enim verbum de verbo expreſſerat, quae Hieronymus Epiſcopus elegan-
ter

ter Etruſco carmine cecinerat. Ne vivam, de Joſepho Scotio alterius carminis auctore nihil omnino cogitavi. Hieronymum namque utriuſque laudationis auctorem exiſtimavi, in eumque, qua potui, eas contuli laudes, quas nunc, ut inter bonos bene agier oportet, etiam eruditiſſimo Scotio communicatas volo. Vtrumque carmen (vide quantum mihi ſumo) mihi mirum in modum placuit. Cui quidem rei vel id argumento eſt, quod uni omnia tribuerim. Qua de re utrique gratulor, quod gemellum adſecuti ingenium, par ſit utriuſque elegantia, gemina ſcribendi granditas. Tantum igitur abeſt, ut alterutri eſſe fraudi voluerim, ut potius utriuſque laudes, licet inſciens imprudenſque, aequa lance penſaverim. Verum de his hactenus. Hîc magna rei frumentariae caritate laboramus, majoreque in poſterum laborabimus, niſi Deus nos reſpexerit. Mirum quanto populorum concurſu Novendialia D. Januario indicta frequentantur. Nullus enim dies abit, quin illuc confertim ſupplices confluant feminae ac puellae corollis ſpineis redimitae, paſſis crinibus, nudis pedibus, vultu ad moeſtitiam compoſito, oculiſque ita in terram defixis, ut marmoreas diceres. Eſt tamen, cur maximopere laetemur. Nam plebecula, hîc cum maxime, turbarum ſtudioſiſſima, nunc quieſcit, malumque, quo in praeſenti urgemur, illi acceptum refert, a quo etiam bona cuncta proficiſcuntur. Quare illius fidem opemque demiſſiſſime obteſtatur, ab eoque ſperat fore, ut tot tantiſque calamitatibus tandem aliquando eripiatur. In dies magna frumenti vis terra marique exſpectatur,

S ſed

ſed nihil dum comparet. Mare praeter ſolitum hiemat, pluviiſque fere continentibus obſidemur. Hiſpana navis ſeptuaginta tormentis bellicis inſtructa, quam praeſtolabamur, jam portum occupavit. Plumbum, ſpecularia vitra ingentis magnitudinis, atque effigies totius Regiae Hiſpanicae familiae advexit. Nudius tertiana die illud pro comperto Regia in aula nuntiatum eſt, nimirum Ferdinandum Columnam Hoſtiliani Principem, inter primores Hiſpanos magnates, omnibus impenſis remiſſis, receptum, Marchionem Bernardum Tanuſium D. Januarii cingulo, ac Francavillae Principem aurei velleris torque ab inclyto Hiſpaniarum novique orbis Monarcha ornatos fuiſſe. Nuntius omnibus quam gratiſſimus accidit. Vix credas, gratulatores aeque laeti ſunt ac ii, quibus gratulantur. Ita quidem fere ſemper uſuvenit, cum debita virtuti merces perſolvitur. Vale. VII. idus Mart. CIƆIƆCCLXIV.

EIDEM. 168

QVod ſcribis non ingratum accidiſſe Joſepho Scotio, quod proximis litteris ad te datis ingenue confeſſus fueram, ac pene palinodiam cecineram, tibi pro eo ac debeo gratias ago. Dolebam equidem me imprudentem inſcientemque id attuliſſe mali, quod numquam mihi vel ebrio ceritove in mentem veniſſet. Hem! Me ne tamquam judicem ſedere, ac pro meo jure ſententiam dicere inter eam virorum bigam, quibus quando ingenuae artes, interioreſque litterae invenient parem? Gaviſus quoque ſum non medio-

diocriter, quod mea qualiſcumque Apologia Fabricio adoleſcenti inſigniter de muſis merito probata ſit. Res enim ipſius quoque agebatur. Quod vero me rogas atque hortaris, ut quae nobis impendent jam, ac fortaſſe etiam prement mala, chartis illinam, atque ad poſterorum memoriam tranſmittam, difficilem ſane rem poſtulas. Quî, amabo te, tanto labori ſufficiam, cui ferendo vel Hercules ipſe, ab exantlatis aerumnis celeberrimus, impar eſſet? Quare ceteris & ingenio, & viribus induſtriae illuſtrioribus hanc lampadem trademus. Nunc accipe: nihil eſt deſperatius conclamatiuſque praeſenti rerum ſtatu: nihil iis, quorum opera, majore odio. Ad epiſtolas autem quod ſpectat, illud conſilium ineas te oro, quod tutius viſum fuerit. Praeſtat quidem ſero potius remitti, modo tutius ad me perferantur. Propediem Eboracenſem Ducem exſpectamus. Jam celeritate quanta maxima aedes Principis Colubrani ad oram Olympiam neceſſaria ſupellectile inſtruuntur, idque Rege jubente. Pro ea qua nunc premimur omnigenae annonae caritate, non ingratus ſcilicet tanti Principis adventus exſiſtet. Vah! quis tantam familiam alet? Vale. IX. kal. April. CIƆIƆCCLXIV.

EIDEM. *169*

TVa de meis epiſtolis cura mihi gratiſſima fuit. Illas quidem aliquo in pretio a te haberi liquido cognovi. Quod mihi non prorſus novum fuit, cum ſemper ea mihi indicia tuae erga me benevolentiae dederis, quae tantum ab

homine mei ſtudioſiſſimo exſpectari potuiſſent. Qua de re tibi gratias ago, habeoque, quoad vivam. Tantum illud ſcias velim, haud mihi ita nunc opus eſſe litteris, quas apud te ſedulo ſervas, ut nulla omnino mora interponi queat. Mittes igitur, & cum tibi commodum erit, & tuto perferri poſſe judicabis. Temere quidem iis committentur, qui & huc res cibarias, ac praeſertim frumentum advehunt. Nihil tam facile accidet, quam ut depereant. Plena nunc omnia inſidiarum, plena fraudum atque latronum. Qui in viatores incurrent, frumento nummiſque abreptis, ut leviſſime dicam, faſciculum litterarum flammis addicent. Quocirca illud conſilium capies, quod magis e re tibi eſſe videbitur. Vno verbo: ſerius, modo tutius. Quid aliud? etiam. Illud cave, ne vulgari tantum papyro involvantur: tum enim facile pluviis, ſi quae decident, corrumpentur. Tela cerata fac contegantur. Involucrum quippe eſt impervium aquis, lutoque, quo tam longo in itinere oblinerentur. Hîc fames in dies acrior evadit. Panis, qui olim venalis ubique locorum proſtabat, nunc ubi e furnis in publicum aſportatur non ſine peditum equitumque ſatellitio, non divenditur, ſed pene diripitur. Quodque antehac prae copia vileſcebat (cui non nota hujuſce urbis rerum omnium vilitas), nunc prae penuria, quantilibet, arbitrio propolarum, coëmitur. Atque utinam coëmi poſſet! Sunt hîc, qui pluſculos dies aſſa carne, aſſa pulte ſive viridi, ſive candida, vel aſſis piſcibus vitam tolerarunt. Sicco pane veſci, quod ad expianda peccata, Deumque vindicem lenien-
dum

dum ſalutariter imperabatur, nunc in deliciis haberetur. At vero pro ea qua ſunt ſapientia, qui hoc Regnum ceteroqui florentiſſimum, conſilio ſane providentiſſimo moderantur, illud ſperamus fore, ut hiſce malis, omnibus retro saeculis, inauditis, finis imponatur. In portu ad nonaginta frumenti medimni ſunt, ſed nondum expoſiti ſunt. Cur ita factum ſit, juxta cum ignariſſimis ſcio. Quem in dies opperiebamur Eboracenſem Ducem, abſolutis eſurialibus feriis adventaturum inaudivi. Vale.

FRANCISCO DANIELI

Paulus Moccia S. D. 170

QVod mea epigrammata in Joannem Baptiſtam Jannuſium ex tempore fuſa libenter legeris, gratias tibi ago immortales. Nonnihil certe quidem illis pretii accedere haud dubito, ſi tibi, qui tantopere de litteris mereris, probentur. Verum, ne alienae laudis appetens videar, illud te moneo, ex tribus epigrammatis, quae ad te ab τῷ Πάνυ Marchione Spiriteo miſſa ſunt, duo tantum mea eſſe, ſcilicet quae (*Ferdinando IV.* & *Ampliſſimum* &c.) initia praeferunt. Quare ſi forte erraſti, quominus palinodiam canas, haud impedio. Is enim ſum, qui Aeſopeae cornicis inſtar in publicum prodire defugio. Ceterum & his ſuperſedere poteram, quippe quod res tecum agatur, qui quantum diſtent aera lupinis probe noſti. Tandem, quis nunc eſt, qui nervoſum ſcribendi genus, quo erudi-

ruditiſſimus vir utitur, ſe conſequi poſſe confidat? Oratio ſententiis, velit nolit, ſubſervit, atque ita, ut ſponte fluere videatur. Cave igitur, ne iniqua lance utaris; atque fac, ut ſua laus utrique noſtrum pro merito tribuatur. Mihi certe ſat erit, ſi illa non improbaveris. Campolongus ac Bronzolius reduces jam e Maſſenſi ruſticatione te plurimum ſalvere jubent. Tuus germanus bene valet, &, quod caput eſt, & corpus & vires recepit. A me Parentem tuum virum incomparabilem ſaluta officioſe. Vale.

JOSEPHO MAFFEJO

Paulus Moccia S. D. 171

VBi te primum de facie cognovi domi Franciſci Danielis, juvenis tecum amicitia conjunctiſſimi, mirum quantum meus erga te amor auctus eſt. Eum namque te examuſſim deprehendi, quem is ſaepenumero, cum de te tuaque eruditione ſermo incideret, ad vivum expreſſerat. Mira prae ceteris morum ſuavitate praeſtabas, tantaque animi modeſtia, ut revera te virum de litteris qua humanioribus, qua ſeverioribus non vulgariter meritum eſſe nullus omnino ambigendi locus relinqueretur. Siquidem ſtudia litterarum, ubi ad ea recti cultus accedunt, id praecipue efficiunt. Illis unis ad civilitatem inſtituimur, utque hominum ſocietate & communione digni ſimus ac videamur, earumdem ope obtinemus. Quare haud demiratus ſum, quod, tot tantiſque animi ingeniique bonis cum affa-

affatim polleres, ita de te demiſſe ſentires, ac fere ſemper ſecundas agere partes dedita opera ſtuderes. Ita enim, ubi res poſcebat, caute loquebaris, ut potius amico varios ſermones αὐτοσχεδίως injicienti ſubſervire, &, quod magis eſt, ex illis proficere, quam aliquid e tuo inſtructiſſimo eruditionis penore expromere velle videreris. Hoc quidem quanti ſit faciendum, is dijudicabit, qui ita vitam inſtituit, ut ſe numquam aliis anteponat, imo ceteros fallere in deliciis habeat. Macte tanta virtute eſto, atque iſtis moribus aureo certe ſaeculo dignis. Ita profecto fiet, neque falſus ſum vates, ut eo quam celerrime convoles nulla prenſatione, nulliſque omnino technis, quo boni omnes ac praecipue litterarum cultores te tandem aliquando perveniſſe jure ac merito laetabuntur. Perge iſta uti ratione, quam libet, atque hominum conſpectum publicamque lucem fugere: mihi crede, vel invitus repugnanſque ex umbra ad ſolem producêris. Quî, amabo te, ſplendentem virtutem ac nulli non in oculos ſuo fulgore incurrentem diutius occultabis? Franciſcus Daniel tibi plurimam ſalutem adſcribit. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei VII. kal. Jun. CIƆIƆCCLXIV.

COMITI CONRADO MARAZANIO

Paulus Moccia S. D. 172

QVod mea, qualia ea cumque ſint, libenter legeris, plurimum te amo. Quod vero & in me nihil tale merentem tot tantaſque laudes

plena manu contuleris, coram frequenti lectiſſimorum equitum conſeſſu, quot in eruditiſſimum quemque atque optime de litteris meritum quadraſſent, id quidem tanti fuit, ut, quî tibi par pari referam, prorſus neſciam. Neque id mihi omnino novum contigit. Ex quo enim mihi aditum ad tuam amicitiam patere voluiſti, nullum fere tempus fuit, quo non te mei meaeque quantulaecumque famae perſtudioſum expertus ſum. Quae cum ita ſe habeant, illud ſaepe mihi aegre fuit, quod nullum omnino grati animi meaeque erga te benevolentiae monumentum exſtaret. En amicis obtemperaturus meas extemporales epiſtolas edo. Hanc ſtatim arripui occaſionem (qua quid εὐχαριστότερον excogitari poterat!) utque tuo etiam nomine inſignirentur, quoad potui, conniſus ſum. Haec igitur ad te ſcripſi, non quo hoc levidenſi munere tuis beneficiis reſpondere poſſe confidam; ſed, ut hac qualicumque bonae voluntatis ſignificatione me tua in me promerita memoria retinere oſtenderem immortali. Atque hoc ſi adſequar, te nimirum ſi id aequi bonique conſulere cognovero, praeclariſſime mecum actum exiſtimabo. A me Comiti Antonio, germano tuo, viro cum morum probitate, tum pene effuſa in egenos liberalitate inſigni, ſalutem plurimam officioſe imperties. Cura ut valeas. Ex Aedibus Regii Ephebei a. d. IX. kal. Jun. CIƆIƆCCLXIV.

JA.

JANVARIO PARTITARIO

Paulus Moccia S. D. 173

LEctis tuis eruditiſſimis litteris, atque humanitatis officiique plenis, valde laetatus ſum, atque eo vel magis, quod meum erga te ſtudium, operam ac ſedulitatem, immortalis memoriae viro Alexio Symmacho Mazochio, qui te eximie diligit, non ingrata accidiſſe ſignificaſti. Quin & ipſius nomine nedum mihi ſalutem, verum gratias quoque adſcripſiſti perhumaniter. Vtinam tanti ſim apud amicum, penes quem Tutiani Seminarii arbitrium atque adminiſtratio reſidet, ut meam commendationem tibi profuiſſe gaudeam. Multis enim capitibus id mihi optandum eſt; ſed praeſertim, ut praeſtantiſſimo noſtro ſeni, totius litteraturae columini atque ornamento, cuique me tantum debere ſentio, quantum vix aut ne vix quidem me praeſtaturum confido, quo quo modo gratificer. Haerent profecto mihi infixa animo haerebuntque perpetuum beneficia, quae in me tum potiſſimum contulit, cum Nicolao Spinello vigilantiſſimo juxta atque ſanctiſſimo Averſanorum Antiſtiti a ſtudiis operam navarem. Numquam enim illum viſit (viſebat quidem ſaepiſſime & libentiſſime) quin eidem me de meliore nota commendaret. Quae cum ita ſe habeant, quantae mihi ſint curae tuae res, tuum judicium eſto. Vix credas, qui indiligens mearum rerum perhibeor, tuum negotium ita me geſturum tibi

pro-

promitto ac ſarcte recipio, ut nedum certo, verum etiam celeritate qua fieri poterit maxima, te voti compotem evaſiſſe laetemur. Amantiſsimo Canonico meique ſtudioſiſsimo ubi manum meo nomine officioſe oſculatus fueris, ſalutem plurimam peramanter nuntiabis, quam etiam Philippo ejus fratris filio, viro de politioribus aeque ac ſeverioribus ſtudiis praeclariſsime merito imperties. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei v. kal. Jun. CIƆIƆCCLXIV.

BENEDICTO CLEMENTI

DE AROSTEGVI

Paulus Moccia S. D. 174

HEſterna die vix ſacello pedem extuleram, quo divinarum rerum commentationi operam daturi conveneramus, cum Antoninus triſtiſsimum mortis Joannis Geogheghani Trinitarii Miniſtri nuntium mihi pertulit. Vix credas, dolore tantum non externatus ſum. Illum enim tantum diligebam, quam quem maxime. Mira quidem rerum omnium eruditione praeditus erat, linguarumque peritia tanta pollebat, ut illas non jam edidiciſſe; ſed cum ipſo nutricis lacte hauſiſſe videretur. Vt cetera taceam, qua oris majeſtate, quaque pronuntiationis venuſtate tum Anglo, tum Hiſpano eoque puro puto idiomate utebatur! Vel ipſi tuo Patruo Hiſpani ſermonis diligentiſsimo cultori ac vindici acerrimo ſalivam movebat. Atque ad haec

omnia

omnia illud accedebat, quod virum inſigniter de humanioribus ac ſeverioribus litteris meritum magnopere commendabat, morum ſcilicet ſuavitas, affabilitas, humanitas, animique modeſtia non vulgaris. Quid vero hîc commemorem, quî Anglicae poëſeως vim teneret? ἑνὶ λόγῳ: Joannem Dryden, ac Alexandrum Pope, Angli carminis moderatores & parentes, tantum non ſuperaſſe putabatur. Atque argumento huic rei eſſe procul dubio poterunt permulta, quae jam in forulis ſervabat, ut tandem diligentius recenſita typis ederentur. Non pauca quidem e Venuſini vatis carminibus Anglice verterat, & complura ſuo ipſius marte, pro re nata, condiderat; quae ipſemet ſaepe legi, atque ipſo mihi facem praeferente ex tempore Italice converti. Permira ubique dictionis vis, inuſitatus mentis calor, &, quod caput eſt, nativi colores, ſaleſque αὐτόχθονες. At quo progreſſus ſum? Dolore enim percitus haud animum adverteram, me ad te ſcribere, qui illum nedum eximio proſequebaris amore; verum etiam nullum ferme diem abire ſinebas, quin ipſius conſuetudine, adeoque eruditis ejus ſermonibus fruereris. Quem praeterea fugit, quanto in pretio apud tuum Patruum fuerit, qui ne latum quidem unguem illum ab ſe ſe diſcedere patiebatur? Quid tandem non expertus eſt, quo ejus dignitati ac valetudini proſpectum iret? Quae cum ita ſint, quanto tu quoque affectus ſis dolore, mihi facile intellectu fuit. Niſi quod illud utrique noſtrum levamento eſſe poteſt, quod eo implicabatur morbo, qui utpote letalis medicamentorum vim omnem

mnem eluſerat. Jamdudum enim de ejus ſalute viri medici deſperarant. Quare illud fac cogites, eum amiſſum eſſe, qui diutius retineri nequibat; atque ita diem obiiſſe ſupremum, ut virtutum laude, quibus mirandum in modum enituit, non ſine magno Hibernorum ornamento apud poſteritatem omnem uſque recens perennaturus exiſtimetur. Haec (quae me quoque non parum erexerunt) ſi tecum ipſe paullo attentius reputaveris, dolor, qui te ob tanti viri jacturam jure ac merito perculit, non mediocriter lenietur. A me Patruo tuo litteris litteratiſque fovendis nato plurimam ſalutem dices, quam etiam meo nomine tuo praeceptori imperties. Vale, meque, ut facis, ama. Ex Aedibus Conicléis x. kal. Jun. CIƆIƆCCLXIV.

CARMINO GERVNDAE

Paulus Moccia S. D. 175

TAntum quod domum me recepi, paullo ante meridiem, cum puer ab janua nomine tuo ſalutatum me monuit, quo fidem heſterna die obligatam liberarem. Rotunde, quod ſancte pollicitus fueram, mente exciderat. Quare ſtatim ac licuit, & epigrammata exſcripſi, & hoc quidquid litterarum chartis illevi. En igitur Martinale munuſculum, quo te magis delectari affirmas, quam capis Nucerinis dedita opera ſaginatis, qui hoc praeſertim tempore in deliciis habentur. Faxit Deus, ut tibi pro merito ſapiant. Faſtidioſiſſimi palati te eſſe non ſemel cogno-

cognovi. Nihil enim niſi Auguſteam aetatem redolens legis, inque iis impalleſcis, ac tantum non immoreris. Fac igitur illa eo conſilio legas, ut tempus fallas, quod non raro eruditi homines nugis litteratis impertiuntur. Ita enim prorſus fiet, ut non injucunda tibi contingant. A me Marchioni feminae non defunctorie litteris imbutae, ejuſque incomparabili viro, lectiſſimiſque liberis ſalutem dicito plurimam; quam etiam officioſe imperties Coſmae viro optime de ſcientiis merito, quique meis rebus ita ſtudet, quam qui maxime. Quo e veſtigio diteſcerem pro virili contendit. Vtinam mihi mens non laeva fuiſſet! Jam Attalicis opibus non inviderem. Vale.

ANDREAE FARINAE

Paulus Moccia S. D. 176

QVo nunc pacto hîc ſe res habeant, tibi exploratius eſſe mihi perſuadeo, quam ut certior per me fias oporteat. Fama enim noſtrarum calamitatum quo non pervenit quam celerrime? Vix quidem ſimile quidquam ſive graecis, ſive latinis litteris conſignatum invenies. Verum pauculis abhinc diebus non parum civitas (utinam totum Regnum) reſpiraſſe viſa eſt. Nam & farinâ, quae magno in foro quotidie venditur, atque pane copioſiore, qui in publicum comportatur, quodammodo graſſanti famî ac in dies acrius ſaevienti, obviam itum eſt. Vtinam frumenti exportatione fuiſſet ſuperſeſſum!

Nulla

Nulla omnino rerum caritas nos derepente oppreſſiſſet, licet praeterito anno nullam pene meſſem collegerimus. Hui! quantum frumenti ſuperioribus fuerat annis compreſſum. Mihi credas velim, duobus Regnis iiſque populoſiſſimis ſatis ſuperque fuiſſent. Verum, ut ut res ſe habuerit, nunc gratias Deo agamus oportet, quod opportune nos reſpexerit. Gratiae praeterea ingentes Catholico Regi acerrimo hujuſce Regni patrono perſolvendae ſunt, qui, noſtris malis tactus, providentiſſimo conſilio nobis ſuccurrerit. Ingentem enim frumenti vim, quoad mature fieri potuit, huc advehendam curavit. Poſtremo immane quantum prae ceteris Marchioni Bernardo Tanuſio debemus, qui nihil non expertus eſt, quo calamitatibus quamprimum occurreretur, famique, revocata rerum copia, frenum injiceretur. Nunc etiam illud reſtat, ut morbis, qui jam crudeliter debacchantur, iter obſtruatur. Atque non temere timetur, ne, augeſcente aeſtu, ingraveſcant. Mirum quot quantique e provinciis omnibus huc confluxerint. Noſocomia innumeram aegrotorum multitudinem haudquaquam capiunt. Faxit Deus, ut tot tantiſque malis, quibus mirandum in modum confli&tamur, ipſo adjuvante, ſuperſimus! Andriae Dux tam graviter aegrotat, ut de ejus ſalute jam medici deſperarint. Pulmonario enim morbo atque aeſtuoſiſſima febre divexari audivi. Hui! illud, quod primum omnium ſcriptum oportuerat, pene jam memoria, qua profecto haud firma utor, exciderat. Divus Januarius, quo uno, ſecundum Deum, hoc Regnum ſtat vigetque, ſanguine ſuo in ſingulos

gulos

gulos quoſque dies mirabiliter e regione capitis colliquefacto illud haud dubie portendere viſus eſt, ſcilicet fore, ut brevi tantis calamitatibus erepti reſpiremus. Sane quidem ſegetes hîc ita luxuriant, ut meſſem uberrimam polliceantur. A me tuis omnibus, ac nominatim Fabricio ſalutem. Cajetanus Migliore, & Campolongus te ſalvere jubent officioſe. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei IV. id. Maj. CIƆIƆCCLXIV.

EIDEM. 177

VObiſcum praeclariſſime omnium agi, lectis tuis proximis litteris, vel depoſito pignore contenderim. Jam enim huc allatum fuerat haud rumore tantum nuntio; verum fama atque ſermone eoque certo iſthic hordeum fabaſque jam maturuiſſe, ſecta, domum vehibus de more aſportata, trita flagellis, ſive equis quam celerrime in gyrum actis excuſſa, atque in horreum condita fuiſſe. Hac fama mirum quantum hîc exultavimus. Jam illud inſtare tempus videtur, quo caritati finis imponetur, atque ex omnigena rerum inopia emergemus. Verum quis illud in animum induxerit, vel iſthic fabas colligi ſacchareas, ac nectari ipſi, ambroſiaeque minime ſecundas? Et tamen ita ſe res habet. Scripſeras enim apud vos ſacris in clauſtris per Virgines Veſtales hujuſmodi leguminum genus percipi, & quod caput eſt, cum minime ſeverint. O ſanctas gentes quibus haec naſcuntur in hortis! O vos nulli non invidendos, quibus licet eſſe tam beatis! Sol enim, quem citato curſu, immiſ-

immiſſiſque habenis iſthic ferri experimini, hîc lentiſſime ſtrigoſos agit equos atque identidem reſiſtentes. Vtinam ſuo tempore illa meſſis, quae nunc, prout ſe dant initia, uberrima omnia pollicetur, ita percipiatur! Probe noſti, quibus hîc quandoque tempeſtatibus urgemur, quibus vineae ſegeteſque verberantur. Mirae ſcilicet magnitudinis grandines decidere menſe Majo ſolent, ſaxis quam ſimillimae. Quare interdum lapides pluiſſe doluimus. Sed de his hactenus. Plangunculas, quas Lycienſium manu factas ſcribis, ac proinde mira arte elaboratas, nondum accepi, adeoque nec fabas, litteraſque. Pater enim Teſta Olivetanus, cui capſulam tradidiſti, nondum advenit. Iis, quibus eas deſtinaſti, ſtatim reddendas curabo. Grati animi tui monumenta haud contemnenda ſunt, imo cedro linenda. Quod vero mihi tui icunculam miſeris eo conſilio, ut mihi continenter obverſeris, pene equidem doluiſſem, ſi id amicitia pateretur. Anne meo ex animo tuam effluxiſſe imaginem putes, cujus os mihi ante oculos, ſive ſcribo, ſive lego, aut prodeambulatum exeo, ſolet verſari? Vt cetera deſint, ingenii tui fetus, quibus me identidem beas, ne tui memoria intercidat, ſatis ſuperque forent. Nihilominus tamen tibi, tuiſque alumnis, pro eo ac debeo, gratias ago agamque maximas, ubi una cum fabis ſaccharo condîtis imagunculas accepero. Iſthuc, quaeſo, leguminum genus fac mittas. Jam enim nos taedet lupinis vitam toleraſſe. Vix dici poteſt, quae quantaque iſtorum copia hîc in dies conſumitur. Panis adhuc percarus eſt, atque perrarus. Nunc variis in ur-

bis

bis areis praepropere tabernae ſtruuntur. Superne tabulis declivibus conte&tae, inferne aſſeribus rectis iiſque ſpatiolo invicem ſejunctis, quatenus caddichus panis extrudi poteſt, pretiumque accipi, undique verſum ſuſtinentur. Idque eo conſilio factum arbitror, ut venditorum fraudibus occurratur, atque multitudo, quae celeberrimas tritiſſimaſque urbis vias obſidebat, alio avertatur. Sane quidem foedum neſcio quid videbatur, Toletanam viam frequentiſſimam omnium tanta plebeculae turba confertim euntis infeſtari, ut ultro citroque itantibus numquam non periculum crearetur. Proximo Saturni die Rex noſter, quem Deus ſoſpitet, huc de more redibit. Pugiliter valet. Heſterna die miles eques ſclopetario ictu e medio ſuſtulit moroſum forte nautam, qui ad quemdam furnum acceſſerat panem empturus, cerebro diſperſo. Miſelli caput ipſum petivit. Vale. Poſtrid. idus April. CIↃIↃCCLXIV.

BENEDICTO CLEMENTI

DE AROSTEGVI

Paulus Moccia S. D. 178

QVos mihi dono miſiſti Hiſpanienſes botulos aprugna carne ſcitiſſime fartos, ſtatim ad vetulam meam parentem perferendos curavi. Sapidiſſimos eſſe atque guſtatu jucundiſſimos expertus iſthic cognovi. Verum illud non mediocriter v- eor, ne vetulam nimium inflamment, atque .jusceſmodi illi calorem aeſtumque excitent, qui

nonniſi immodica vini licet aſperi perpotatione ſit reſtinguendus. Allium enim, piper rubrum, calidus crocus, aliaque aromata, quae ego non probe calleo, non parum caloris pariunt praeſertim inſuetis. O quoties aeſtus impatiens flammaeque clamabit: me miſeram! quid tantum commerui, amantiſſime fili, ut tantam de me pene jam ſenio confecta poenam ſumeres? Numquid, tamquam Medea altera in Jaſonem iram impotentem effuſura, talia mihi manu venefica concinnaſti munuſcula, quae ego in Veſtalium clauſtris, non Theſſalis carminibus, verum caeleſtibus cantilenis alternatim perſonantibus confecta ſtulte putaveram? Haeccine mihi miſerrimae vetulae reddis pro dulciariis, pro nummulis, pro cruſtulis, atque, ut cetera miſſa faciam, pro pulte herbaria domeſtico ritu omnigena carne ſuilla meis ipſius manibus apparata? Sed quid iſthuc rei eſt? jam, ſuaviſſime gnate, aeſtus, quo torquebar, deferbuit, noviſque interius renovor viribus, ingratiis ſeneſcentis aetatis. Qua de re, quae furoris impetu aeſtuque impotentis irae abrepta effutii, en recanto. O nos ruricolas craſſoque in aëre natas, quâ verſamur in inſcitia etiam rei cibariae, quantiſque circumfundimur tenebris! Mala pharmaca putamus, quae natura ad noſtras fractas acciſaſque vires reficiendas, ac, ſi fieri poteſt, etiam in priſtinum ſtatum reſtituendas, bono noſtro condidit, homineſque rei culinariae mancipatos erudiit. Si ſcitiſſimi botuli, quibus ego pene jam juveneſcens mirifice beor, ῥοδοδακτύλῳ Aurorae innotuiſſent, minime Tithonus in auras remotus obiſſet. A me

igitur

igitur gratias Benedicto & ſalutem ; illudque meo nomine adſcribe, me ſuis munuſculis revireſcentes annos, atque obrepentis ſenii fugam acceptam referre. Haec vetula. Vale.

EIDEM. 179

METu, ne hîc ſalutatorum turba enecareris, ſapienter te iſthuc contuliſti. At vero neque ita tibi ſatis ſuperque conſuluiſti. Namque officioſorum hominum impudentia eo proceſſit, ut verboſis ſaltem litteris illorum caput obtundere ſtudeant, quos praeſentes prenſationibus, ac totius corporis ὑποκύψει confeciſſent. Sed quid facias iſtis ? ita nunc vivitur : danda certe quidem eſt aliqua venia officioſae iſti ſalutantium nationi. Quare, ſi cum ceteris mitius agendum putaveris, quin mecum mitiſſime te geras, nullus dubito. Aliis enim in rebus, iiſque gravioris momenti ingenium meum adhuc Atellanum ſolum redolens, ac Nicolopolitis inſito quodam vitilitigandi ardore fere ſemper repugnans haud gravatim tuliſti. Quid ? Quod Neſtoreos te ſuperare annos, cornicisque aetatem vincere enixiſſime opto, luſtrico tuo recurrente die, id te aegre laturum ſuſpicer ? Numquam id in animum inducam meum. Quid, ſi quod tibi vere comprecor, illud idem alterum tantum & non ſine auctario, tuo praeſtantiſſimo Patruo apprecer ? Tum enim vero manus des oportet. Ipſe enim tibi oculis ipſis carior eſt : tu ipſum in ſinu geſtas : tuo ipſe in ore habitat. Hem, Benedicte amantiſſime, quî te ad incitas redactum

conſilii incertum effeci! Maledicito, ſodes, iis, qui te importunis epiſtolis interpellant. Patere, quaeſo, ni tui Patrui gloriam poſthabere velis, ut hoc epiſtolio invita Minerva fuſo ea tibi ſtudia abſens deferam, quae ſi adeſſem, neque majora, neque vehementiora delatum ire confiderem. Quidni? Semper enim, pro eo ac debui, te maximi feci, teque nedum dilexi, verum etiam amavi. A me Patruo tuo, quîcum litterae qua amoeniores, qua ſeveriores numquam in gratiam redierunt, quaſque in praeſenti tam impenſe colit, ut nihil magis, ſalutem plurimam communicato; quam, ni grave eſt, etiam Nicolopolitae dices meis verbis officioſe. Caeſar Cajeta myriadas tibi annorum ex animo optat, atque ipſi dolet, quod quas jam apparandas anguillas ſuo in fluviolo captas curaverat, loci diſtantia perterritus, ad te mittere nequierit. Vtinam ipſa in epiſtola complicari poſſent! Voti profecto compos fieret. Archintus ac Somalia te plurimum ſalvere jubent, tibique fauſta omnia intimis ſenſibus apprecantur. Quod officium tibi praeſtat accuratiſſime Trinitarius Miniſter, volens libenſque. Lituras tandem aequi bonique facias, te obſecro: tempus mihi prorſus defuit, quo epiſtolam in mundum, uti par erat, reciperem. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei XI. kal. April. CIƆIƆCCLXIII.

EI-

EIDEM. 180

EN cl. Franciſci Perezii Bayerii doctiſſimum aeque ac humaniſſimum epiſtolium, quod me tanto ſuffudit rubore, ut non mediocri temporis intervallo pene ſenſibus alienatus viſus ſim. Tot enim tantaſque in me affatim congerit effunditque laudes, quot vix in Tullium, ſi ex inferis exſiſteret, concinne quadrarent. At vero comprime, quaeſo, humaniſſime Benedicte, ſubiraſcentis animi impetum, perturbatique ſtomachi fermenteſcentem rabiem refrena. Tantum enim abeſt, ut aſſentatoris notam integerrimo candidiſſimoque Canonico Toletanae Eccleſiae ornamento appingam, ut potius acerrimum illum ingeniorum aeſtimatorem ubique praedicarim. Verum illud tantum veritus ſum, ne nimius amor, quo hîc me immerentem proſequebatur, ipſum tranſverſum egerit, eaque de me ſenſerit, quae aliter ſe habere, ſepoſita φιλαυτίᾳ, & ſentio, & aperte profiteor. Ceterum, ut ut res ſit, ubi potui, hanc epiſtolam ad te mittendam curavi: heſterna die quominus mitterem epiſcopalis menſa in cauſſa fuit. Haud enim te fugit me Jovis quoque die ex condicto ad hujuſmodi communionem cibariam non invitum convolare. A me ſalutem tuo Praeceptori impertito. Vale.

P. S. Si exemplum hîc complicatum iterum remiſeris, gratum mihi facies: tanti enim viri monumentum auro contra mihi non carum eſt. Iterum vale.

EIDEM. 181

PEne intermiſſum litterarium officium revoco, calamumque jam ſicco loliginis ſucco obductum iterum arripio, ut de more, quicquid in buccam venit, conſcribillem. Hui! inquies, quid te tamdiu detinuit, ne quid chartis illineres, mutuumque amorem litteris foveres? Soluſne hîc, Benedicte amantiſſime, peregrinaris, ſoluſque hîc hoſpes es, qui neſcias, quot quantaque breviſſimo dierum perpaucorum curriculo acciderunt, quae neque Majores noſtri ſpectarunt umquam, neque poſteritas ſpectabit? Nonne tuis oculis, lacrymis ubertim madentibus, vidiſti Regiam vacuefactam, Rege, Regina, Regiaque Prole orbatam? Nonne tu unus omnium ingratiis Praetoriorum militum circumfluentiſque turbae conſpexiſti amantiſſimum Hiſpaniarum Monarcham animo invicto, lacrymiſque manantibus cedere neſcio, amantiſſimo Filio Regnum, deliciarum ſedem ac domicilium, ſponte concedentem, ejuſque fidei committentem; deſolatamque Reginam ſingultibus, nedum verbis, quae ſe coram peragebantur, confirmantem? Egomet hiſce oculis te vidi carruca vectum una cum Emmanuele Roda Muſarum alumno delicioque, Lucianam oram certi ad inſtar percurrentem, ut claſſem jam in procinctu, portuque ſolventem undiqueverſum circumſpectares, oculiſque proficiſcentes Dominos comitareris. Mente ne tibi effluxit, quod mihi pene dolore., quo interius cruciabar, confecto objectaſti, quod fronte caperata triſtitiam vultu,

vultu, oculis, inceſſuque ipſo prae me ferebam? Nonne me jacentem afflictumque erexiſti, utque bono animo eſſem hortatus es? Cur igitur me acriter accuſas, quod immemor ſim, officiumque deſeruerim? Opportunum ſane auxilium affers, ſi camino ignem addideris. Deſine, quaeſo, vulnus refricare, quod nulla omnino temporis diuturnitate obducetur: imo potius id curato diligenter, ut lenia excogites pharmaca, ne recrudeſcat. Haud deſpero futurum, ut (quae tua humanitas eſt) haec aequi bonique conſulas, meque mihi reddas. A me ſalutem plurimam Hiſpanis rebus Romae Praefecto, viro omnijugena eruditione exculto atque ſubacto; quam etiam meis verbis Palafoxio optimo Hiſpano adoleſcentulo imperties. Joannem Riccium, Praeceptoremque tuum egomet officioſe ſalutabo, illiſque terque quaterque propinabo. Vbinam? inquies. Iſthic: domi tuae: tuo maximo damno. Cura, ut pugiliter valeas, meque nedum diligas, verum etiam ames. Vale.

EIDEM. 182

QVod per jocum dixeram, atque a me aeque atque Boſphorum Thracium remotum putaveram, jam in foribus adeſſe ſentio, atque ne exitu comprobetur, vehementer pertimeſco. Phlegma quidem, quo jam quartum diem laboro, uſque adeo ingraveſcit, atque in ſingulas horas augeſcit, ut periculum ſit, ne ſuffocer. Nam pituitoſus humor poſtquam obſedit caput pectuſque, per totum ſerpens mananſque corpuſculum

jam affectum debilitatumque, formicantis morti inſtar me identidem convellit, convulſumque concidit atque proſternit. His accedit continens perpetuuſque circa acuſticum organum ſonitus, ſtrepituſque, ut artificialibus ignibus Neapolitano ritu confectis horrendumque crepantibus intereſſe videar. Hinc fit, ut lectio omnis mihi ſit odioſa ac permoleſta, libroſque averſer ac oderim; palatum ad omnem cibum licet Gallica manu paratum obſurduerit; tandemque ſomno, omnium malorum quieti, bellum indixerim. Quare cum humana omnia remedia ad irritum reciderint, nullaque appareat ſpes fore, ut tanto tamque periculoſo morbo emergam; ad divina mihi remedia confugiendum eſt, animaeque conſulendum. Arceſſito igitur Guidaeo Myſte, quoad potero, impeditas incertaſque rationes expediam, atque extricabo. Nam, niſi ſolidatis rationibus uſque ad quadrantem, quo ore ego miſellus ante Judicis conſpectum ſiſtar? Quocirca te etiam atque etiam oro obteſtorque, ut pro me ad Deum Opt. M. fervidas effundas preces, quo mihi jam jam ad aeviternam Patriam properanti mitis benignuſque exiſtat, inque caeleſtia domicilia recipiat. Neque tibi preces exſortes donorum abibunt: praeter enim quam quod par pari tibi referetur; etiam ubi ſupremas tabulas condidero, te minime praeteribo. Id enim tibi legabo, quod licet tenue ac levidenſe munus erit; tamen ita tibi gratum accidet, ut illud memoria retineas immortali. Praeceptori vero tuo, qui tibi oculis carior eſt, id relinquam, quod illi, cum Vicario munere fungetur,
uſui

uſui juxta atque ornamento futurum eſt. Interim una ſimul in iſto veſtro Hypogaeo me Deo, Deiparaeque Virgini commendate, enixeque precamini, ut volens libenſque viam univerſae carnis ingrediar. Vtinam veſtris precibus ſuas addat Riccius! proh quantum ponderis momentique illis accederet. Neque is ἄδωρος erit. Jam nunc heres eſto omnium librorum, quotquot apud me ſunt, ex Anglia huc advectorum. At jam manus deficit, viribus deſtituor, genua labant, caputque vertiginibus mirum in modum torquetur. Salve & vale.

EIDEM. 183

AQuam mihi adſperſiſti ac pene e faucibus orci eripuiſti, ubi perjucundum nuntium attuleris epiſtolium meum Ἀπολογητικὸν aequi bonique conſultum fuiſſe, atque hujuſcemodi remedium irae efferveſcenti praebuiſſe, ut omnino reſtinxerit. Vt verum ingenue fatear, non temere verebar, ne dicacis nota inurerer, atque declinarer in poſterum, tamquam qui foenum in cornu haberem. Amice in paucis care, haud te fugit, quanto ego opere ab hujuſmodi maledicendi cacoëthe abhorream, cum malim meae potius famae, qualis ea cumque ſit, jacturam facere, quam pati, ut alterius exiſtimationi vel tantillum detrahatur. Rumperer enim potius, conceptamque ſuffocarem iram, quam illam, pro re nata, effunderem, ut acceptas injurias ulciſcar. Ecquis enim in hac urbe uſque adeo peregrinus eſt & hoſpes, quem praetereat quantis

ego

ego obnoxius fuerim furentium hominum impetibus, queis vel validiſſimus murus tamquam Arietario capite percuſſus corruiſſet? Et tamen ego ſereno vultu tranquilloque, imo fere ſemper ad riſum compoſito, arma debacchantium retudi ac repreſſi, & numquam paſſus ſum, ut animi aequabilitate dejicerer. Cum ita igitur natura comparatus ſim, quî fieri poterat, ut in illos inveherer, linguamque exacuerem, per quos nulla umquam injuria affectus fueram; imo quandoque beneficiis ornatus? Quod igitur tibi perſuaſum jam eſt, fac ut illi pateat, qui, cum ſit emunctiſſimae naris homo, difficile ad credendum adducitur, ni argumenta luce meridiana clariora, ipſiuſque Matheſeως ἀξιώμασι evidentiora in medium proferantur. Non deſpero futurum, ut ita prorſus fiat. Ea enim eloquentia es qua naturali, qua arte comparata, ut animos, quocumque volueris, inclines flectaſque. Si vero ſocium tibi adſciveris, qui tibi a praeceptore eſt, cum legum ſcientia, tum oratoriae artis facultate praeſtantiſſimum, vel Boruſſorum militum incurſionibus ſuſtinendis pares eritis; quin imo ante victoriam, triumphum impune canetis. Quod ſi cauſſae ſatis idoneae patrocinium minime defugeritis, nil erit, cur in poſterum pertimeſcam. Sub tanta enim tutela in utramque mihi aurem dormire licebit; neque verebor, ne per Ferdinandum cornice loquaciorem virum e ſomno exciter. Loquatur, per me licet, perſtrepatque: ipſe enim auribus cera obductis Vlyſſis inſtar Sirenum doloſos cantus declinabo. Temperet facetiis ſermones,

diluat-

diluatque vel melle Hyblaeo, ipſe Catone ſeverior riſum cohibebo. Excidat mihi radicitus lingua, ſi verbum addidero. Valeat igitur Siren iſta, omnium malorum jugis ſcaturigo. Ego, quantum in me ſitum erit, (modo ne mihi fraudi ſit fervidum vinum) veſtrum conſilium ſecutus, tamquam a ſilentiario admonitus, linguis animiſque favebo. In id tantum operam dabo, ut taciturni cognomen perpetuo ſilentio adipiſcar. Ita quidem fiet, ut nullo timore ipſe natura meticuloſiſſimus concutiar, aedibuſque tuis tranquillior, quam acceſſeram, diſcedam. Nae ego ſero ſapio: verum praeſtat ſemel reſipiſcere, quam ſemper deſipere. Vtinam florente jam adoleſcentia iſta mihi aurea monita praeſto fuiſſent; profecto nunc jam nono luſtro peracto, caneſcente jam capite, minime hujuſcemodi anguſtiis urgerer. Hinc ne memoria effluant, quae me tempeſtive monuiſtis, in dies haec mecum ipſe repeto: Paule ſapito, atque ad ſanitatem redito: linguam cohibeto: Ferdinandum cane pejus & angue declinato: a vino abſtineto: Benedicti ejuſque praeceptoris aurea monita ne aſpernator: ejus πολυμαθέστατον Patruum reveretor, coramque illo obmuteſcito: quae vero eloquitur, in animo condito, memoriaque immortali retineto: beneficiorum, quibus ab illo licet immerens cumularis, memor eſto; utque Neſtoreos vivat annos, continenter Deum Opt. M. enixis precibus obſecrato. Faxit Deus, ut iſta omnino perficiam! De felicitate vel beatiſſimo cuique bellum inferam. Verboſiorem epiſtolam aequi bonique facito; alias λακωνικὸς ut ſim, pro

virili

virili connitar. Fluentem calamum quis cohibeat? Vale, meque, ut facis, ama.

EIDEM. 184

HOc unum ſupererat afflictis meis rebus, nempe tua matura nec opina profectio. Laudo tuum conſilium : ut enim aliquod dolori levamentum afferas, tantum ſuſcipis laboris. Caeli quidem mutatione graves quandoque curae fugantur, locorumque intercapedine, tamquam aggere interjecto, ne recurrant, praepedîtur. Verum illud etiam tîbi cogitandum fuit, me hîc relinqui tamquam feram belluam media in cavea omnium telis impetendam, omnique prorſus ſpe deſtitutam, fore, ut furentium hoſtium impetus retundatur. Te enim unum intuebar, oculos in te unum conjiciebam, te unum ut meum ἀλεξικακὸν numen ſpectabam. At ita factum oportuit, ſapientiſſimi Patrui mandatis parendum fuit. Quis, niſi truncus ſit, id negaverit? Saltem me illi commendato, utque in ſuam fidem recipiat, etiam atque etiam rogato. Ita quidem quodammodo fluentem lacrymarum vim copiamque coërcebis, dejectum profligatumque meum animum eriges. Ne reſpuas, quaeſo, meas preces: mei miſelli te miſereſcat, obſecro. Nunc abeas licebit fauſto omine, ac pergito Romam Summi Paſtoris pedes adoraturus una cum mellitiſſimo tuo Praeceptore, ſuaviſſimo viae comite. Hiſpanarum rerum Διοικήτην neque dexteritate, ne-

neque ſcientiarum penore ulli ſecundum, ſalutato a me officioſe ac diligenter, nec non Palafoxium acerrimo ingenio adoleſcentulum, Hiſpaniarum decus ac ornamentum. Vale.

EIDEM. 185

PRoh mala quanta gulae! proh quot quantoſque perdidit ſentina iſthaec vitiorum! Haec opulentiſſimum peſſumdedit Apicium, inque extremam rerum omnium inopiam redegit. Haec Epicuri obſcuravit memoriam, utque lurconibus ac gumiis accenſeretur, effecit. Haec, ſi licet magnis componere parva, meam, ſi qua eſt, famam labefactabit. Quid me miſero fiet, ubi frugi parſimoniaeque ſtudioſiſſimus tuus Patruus meum legerit epiſtolium, nihil niſi gulam crepans, cibariamque rem magnifice oſtentans? Tamquam e ſilvis prorepens leo, diuturnae famis impatiens, ita in Ferdinandum nihil tale merentem invectus, lanienam omnem carnificinamque minor, dentibuſque exſertis ringor. Quam ſtulte egerim, nunc demum intelligo, ubi reſtincto irae ardore, excandeſcens aeſtuanſque animus meus conquievit. Merito ſtultitiae poenas luo: mihimetipſi culpa adſcribenda eſt, quod ſubdolis interrogatiunculis laceſſitus, recondita animi ſenſa patefecerim. Quid ni? nonne tacere praeſtitiſſet? ecquis, ut reſponſa darem, cogebat? Quin imo caperata tui ſapientiſſimi Patrui fronte palam monebar, ut linguam cohiberem, ne verſuti captioſique cauſſidici dictis, tamquam

quam indagine irretirer. Vtinam mens mihi non laeva fuiſſet, numinique benigne monenti paruiſſem! Quot quantiſque nunc eximerer anguſtiis! Verum, Benedicte, illud tibi juratus praeſto recipioque, fore, ut (σὺν Θεῷ) Harpocrate ipſo me taciturniorem experiare. At illud te oratum volo, ut, ſi quid liberius dictum mihi ira percito exciderit, libenter ignoſcas. Haud enim te fugit, quae ſit impotentis irae vis furorque. A me tuum Patruum ſaluta, utque mihi ad bonam frugem recepto veniam det, curato. Vale.

P. S. Ni grave eſt, opiſtographam paginam lege.

P. S. Nonnihil vereor, ne praeceptori tuo ſuſpicio ſuborta ſit, me heri veſperi tunicatum inter popellum forenſemque turbam circulatori operam dare, ſimiamque varios affectantem geſtus, modo in palum celerrime ſcandentem, modo derepente in circumforanei medici ſcapulas tranſilientem curioſe ſpectare. Jovem lapidem juro, quod meditans neſcio quid nugarum, pene a ſenſibus alienatus huc illuc circumferebar. Puerilia iſthaec oblectamenta prorſus exſecror; ſeria tantum animo mecum ipſe reputo, hiſque unice delector. Quare rogo te, Benedicte, ut me iſthac ſuſpicione exſolvas, ne diutius angar animo ſolliciterque. Dolerem profecto, ſi tam opportunam ſibi occaſionem me vellicandi carpendique oblatam eſſe gloriaretur. Nihil enim aeque metuo atque pii religioſique viri, praeſertim ſi obſtipo collo fuerit, maledicta. Quo enim occultiora

tiora ſunt, comite potiſſimum Sardonio riſu, eo acrius pungunt altiuſque inferunt vulnus. Vtinam debilitatis cruribus in officina libraria conſidere coactus eſſem, neque in Aream, quae ante magnum Caſtrum explicatur, perveniſſem! Ignoſce mihi, quaeſo, Benedicte, hoſque meos queſtus aequi bonique facito. Iterum vale.

EIDEM. 186

EN promiſſum tucetum Bononienſe, quod quantivis pretii ſit, nihil tamen omnino eſt, ſi cum immodica tua liberalitate innumeriſque, quibus a te ornor onerorque in dies beneficiis, comparetur. Quare Deum O.M. enixe oro, ut mihi Neſtoreos concedat annos, ut ſaltem aliqua ex parte tuis in me promeritis, quorum numquam apud me intercidet memoria, ſatisfaciam. Quod in praeſenti mitto munuſculum, levidenſe quidem eſt, ſed magni faciendum, ſi, ea qua par eſt ſedulitate, paretur. Lex Langobardorum eſt neutiquam negligenda, ut primum funiculis ſuſpendatur, itaque demittatur in ollam albo vino noſtrate plenam non ſine aromatum copia, praeſertim caryophyllorum, ut ſaltem ad ſeſquihoram concoquatur. Illud vero cavendum, ut non jam nudum, ſed charta bibula involutum, ne pinguis humor effluat, in calida aqua innatet. Vbi excoctum fuerit, ſtatim olla eximitur, ac ſpoliatur; deinde in culina ſuſpenditur, quo frigeſcat commotaeque nimio calore partes conquieſcant. Altero a coctione die in plagulas diſſecatur, ac non ſine voluptate manducatur. Nimia tan-

tantum heluonum aviditas plerumque obeſt : ſi enim ante tempus lege praeſtitutum devoratur, ſcilicet antequam obduruerit, flaccidum ac follicans deprehenditur inſtar ventriculi bovilli. Iſta igitur facito; itaque exhaurito mandata culinaria, ſi gulae ſervire volueris. A me tuo praeceptori ſalutem. Vale, meque ama.

CARMINO GERUNDAE

Paulus Moccia S.D. 187

MItto ad te, quae nuper mihi in celerem horam commodaſti exempla litterarum, quas otii fallendi cauſſa, atque ut amicorum voluntati velificarer, pene ex tempore exaraveram. Credideris! tamquam reliquoſus debitor tuum conſulto occurſum declinabam. Verum hac veſpera, cum Regias in altum jactas Moles peterem, quo liberiore caelo fruerer, neſcio quonam meo fato contigit, ut te nec opinum mihi obvium habuerim. Incertus conſilii, cum nullus fugae locus pateret, te amice ſalutavi, prope te ſeſſum conceſſi, itaque tecum fabulatus ſum, tamquam te diu quaeſiverim. Sed, quod veritus fueram, reapſe accidit. Vix enim uno alterove verbo prolato: amicule, amabo te, quae apud te ſunt exempla, ni grave eſt, reddito quanto ocius. Nae ego ſtatim tanto rubore ſuffuſus ſum, ut, quo me verterem, neſciſſem, ni opportunus proceri amici adventus mihi ſubveniſſet. Quare, ne iterum tantum ſubeam mali, antequam cubitum irem, haec ad te non ſine foenore perfe-

renda

renda curavi. A me vigilantiſſimo ſapientiſſimoque Melphitanorum Antiſtiti, quem in oculis fero, ſalutem plurimam dicito; quod officium, ni grave eſt, meis verbis etiam praeſtabis amantiſſimo Orontio, ejuſque uxori, ſuaviſſimiſque natis. Vale, meque ama.

EIDEM. 188

QVod meas litteras, quales eae cumque ſint, tanti facis, ut tibi antiquiores carioreſque prae te feras eſſe tuis ipſius ſacris concionibus, id mihi tam gratum accidit, quam quod maxime. Acriores quippe mihi ſtimulos addidiſti, quo impenſius in hujuſcemodi ſtudium incumberem, ac vehementius ad publicum bonum utilitatemque, quod in me ſitum eſt, animum appellerem. Tanti enim viri judicio confirmatus, quod nihili faciebam atque meras putaſque nugas putabam, jam aliquo in pretio habere coepi. Neque illud poſthabendum videbatur, quod feminae ingenita nobilitate ſpectandae politioribuſque litteris non leviter imbutae non parum probarentur. Atque, ut, quod ſentio, ingenue dicam, hoc mihi potiſſimum in cauſſa fuit, ut intermiſſum epiſtolare commercium revocarim. Meis enim ipſius viribus relictus jam animi pendebam incertuſque haerebam, cui bono uſuique eſſe poſſent, quas animi remittendi cauſſa epiſtolas conſcripſeram. Prorſus inutiles ducebam ac non pluris quam viliſſima quaeque ejectamenta faciendas. Fere omnes nullo argumento fuſae, nihil niſi ſonantia ac volubilia verba, ſi quando pro re na-

ta adſurgerent, continere videbantur. Tuum vero judicium tanti apud me fuit, ut conſilio, quod inieram, mutato, hoc genus ſcribendi minime deſeruerim. Poſthac igitur haud committam, ut merito ceſſator in ſcribendo audiam. Illud autem te in anteceſſum monitum volo, me non ita ſcripturum, ut te fame laborantem epiſtolari expleturum confidam (quî id fieri poſſet? Verum id facturum ſedulo, ne fames ingraveſcat. Nimirum, ne illa conficiaris omnino, accurate cavebo. Interim hoc epiſtolium, quod multis abhinc diebus ſcripſeram, ſed nondum in mundum receperam, aequi bonique conſulito, verboſiora alia ac fuſiora deinceps accepturus. A me Marchioni ejuſque incomparabili uxori, lectiſſimiſque liberis ſalutem plurimam impertitor. Hoc idem officium ſi amicis omnibus ad Pharmacopolîum nocturno tempore convenientibus meo nomine praeſtabis, per mihi gratum facies. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei VII. id. Oct. CIƆIƆCCLXIII.

EIDEM. 189

Aiſne? Vel me ludos facis, putidique aſſentatoris ritu mihi nihil tale merenti artificioſe velificaris? Tanti igitur apud te ſunt quaecumque a me rudi atque ineleganti orationis genere conſcribillantur chartaeque illinuntur, ut potius tibi dentem excuti, quam illa e manibus eripi patiaris? Facilius profecto quiſpiam Ariſtotelêa opera in Vaticana Bibliotheca exſcripſerit, quam exemplum inficetarum mearum lucubrationum

num a te extundet. Vide, quaeſo, ne mihi palpari videaris, mihique litterati viri perſonam imponas, quam, ubi in ſcenam prodiero, vix aut ne vix quidem pro dignitate ſuſtinuerim. Vide, ne tamquam conſummatae litteraturae virum temere vendites, qui quantum ubi ubi eſt politiorum litterarum vix a limine ſalutavit. Parce, amabo te, meae, ſi qua eſt, quae certe tenuiſſima eſt, famae, neque tanti aeſtimes, quae ne hili quidem facienda videntur; ac tantum digna ſunt, ut piperi laridoque involvendo adhibeantur. Neque tamen uſque adeo ingratus ſum, ut nullam omnino tibi gratiam habendam exiſtimem: quin imo pro certo exploratoque habeas, te rogo, me numquam paſſurum, ut tantae tamque ſingularis tuae erga me benevolentiae memoria intercidat. Quid? mihi videor videre te, ubi iſta tamquam liberius dicta legeris, ſubiraſci, fronteque caperata, non ſine pedum ſupploſione, neſcio quid mihi tamquam viro omnium ingratiſſimo, ac promeritorum immemori comminari. Me praeterea tamquam laudis juſto cupidiorem redarguere, quod ea viro omnium amiciſſimo impudenter obiectem, quae nonniſi ex animi ſententia atque minime fucata ingenuitate proficiſcuntur. Abſiſte moveri, atque iram paulliſper deponito. Teſtor Deum ſuperoſque omnes, me haud aliter de me, meiſque lucubrationibus ſentire, eaſque invitum atque repugnantem tradere, metu, ne vulgentur, lucemque publicam, qua minime dignae ſunt, intueantur. Quare ignoſcas te obſecro juſto timori, meque non temere contremiſcentem potius ſolare atque confirma. Exporrige igitur

Digitized by Google

contractam frontem, hilaremque ſuſcipe vultum, mihique ſupplici atque vera profitenti veniam dato libenter. A me humaniſſimum atque ſapientiſſimum Melphienſium Antiſtitem plurimum ſalvere jubebis; &, ni grave eſt, perofficioſe ſalutem toti Marreſianae familiae meis verbis imperties. Vale, meque, ut facis, ama.

MARCHIONI ANDREAE TONTULO

Paulus Moccia S. D. 190

QVae vocantur *Praejudicia*, ut ſcholarum dictionem uſurpem, aut extrinſecus in noſtrum animum ſenſim ſubrepere, aut intrinſecus per noſmetipſos fingi conſtat apud omnes. Quod vero ſemper falſo innitantur fundamento, qui ante actae vitae tempora, & praeſertim pueritiae tirocinia recolit, ut cetera praetermittam, haud difficili negotio internoſcet. Quae omnia cum clarius pateant, quam ut rationibus in medium prolatis probentur; minime operoſum videbitur ſtatuere, quonam iſthaec *praejudicia* latino vocabulo ſint efferenda. Ni fallor, ipſum *praejudicium* non temere dici poſſet: *inane, aut leve mentis commentum: judicium prae ceteris tantum ſibi conſtans: judicium communem ſenſum imperitia depravans: praeconceptae opinionis pravus amor*. En cauſas praejudiciorum. At ſi id ab effectibus arceſſere velimus, haud inſcite dicemus: *animum ad temere judicandum paratum: temerarium judicium: promptum animi judicium, ſed*

Hinc

audax : mentem in judicando ſtulte confidentem. Hinc in proclivi erit colligere, quî dicendus ſit homo, ut ajunt, *praejudicatus* : nimirum, *falſis imbutus opinionibus : praeconceptis qui facile morem gerit opinionibus : qui ut ratione, falſis ita ducitur opinionibus : cui tanti eſt temeraria opinio, ut a vero, velit, nolit, ſemper abhorreat : homo, qui falſis innutritus opinionibus, veritati, licet invitus, repugnat : vir implacabilis veritatis hoſtis : vir tantum ad temere judicandum propenſus : judex tantum ad imperite judicandum peritus*. Vis ne plura? Quod ſi *praejudicium* italice vertendum ſit, vel depoſito pignore : *ſemplicità* : nuncuparem ; & *praejudicatum* verterem : *ſemplice*. Nam, qui ita comparatus eſt homo, aut facile credit : aut nullo utitur judicio, aut plerumque falſo. Hinc doctiſſimus Franciſcus Sylvius in Commentariis in Orationes Ciceronis inquit : quod latine dicitur : *imperitus*, barbare diceretur, *ſimplex* ; & quod latine dicitur, *imperitia*, pariter barbare diceretur, *ſimplicitas*. Quare Cicero ſaepenumero vocat *populum imperitum*, hoc eſt *ſimplicem* : pariter *temerarium*, quod eodem recidit. Nonne ejuſdem auctoris paginae ſcatent his : *imperitae plebis motus : concitatae plebis motus : temerariae plebis turbae, aut ſeditiones?* quae omnia idem ſonare nemo eſt, qui non videat. Amice doctiſſime, haec habui, quae tibi ex tempore ſignificarem, nullius ductu, aut auſpicio, cum nullum ad manus habeam Lexicon Antibarbarum, quo illud conſulam. Neque, ut verum ingenue fatear, eo conſilio ſcripſi, ut dictionibus a me effictis ſatis pingui miner-

va auctoritatem conciliarem ; ſed tantum ut tuis juſſibus mihi auro contra non caris obtemperarem . Vale , meque ama .

P. S. Antequam epiſtolam complicarem, doctiſſimo communi noſtro amico Felici Sabatellio legendam praebui , qui pro ſua in me ſingulari benevolentia cum non improbarit effictas dictiones ; in eam etiam deſcendit ſententiam , ut praejudicium diceretur : *opinio male* , *perperam* , *aut prave praeconcepta* : quo non ſolum pravum judicium mentis ; verum praecipua etiam illius cauſſa ac origo pateret . quod ſi ita etiam cenſueris , ego manibus pedibuſque in illius ſententiam concedam . Iterum vale .

EIDEM. 191

TAndem legi commentarium in duas inſcriptiones L. Aurelii Commodi aetate poſitas. Multa enim obſtiterunt , quominus prius lectionem jam avide inceptam abſolverem . Illud vero prae ceteris , quod nec opino morbo implicitus pluſculos dies decubuerim . Pituita quidem , quam fere contempſeram , pectus obſedit . Quare , ut per morbum licuit , quo jam σὺν Θεῷ omnino emerſi , totum percurri librum , nec defunctorie. Vere ut , quod ſentio , dicam , nihil in eo deprehendi , quod nedum ſalivam moveret , verum quod ſaltem novitate lectorem oblectaret . Trita omnia ac de trivio ſumpta . Credideris ? Cum eo perveni , ubi auctor de gladiatoribus , eorumque origine ſe ſermonem facturum profitebatur , ita fruſtratus

ſtratus ſum, tamquam qui totam noctem divitias ſomnians, ubi mane expergiſcitur, domum araneis dumtaxat veſtitam offendit. Nihil prorſus novi: imo quae ceteri de Ἀρχαιολογίᾳ optime meriti in medium protulerant, quibus non pauca adhuc obſcura illuſtrarunt, ita refricat, atque ita ἀκαίρως ſuis male architectatis commentariis admetitur, ut vix illa intellexiſſe videatur. Vt cetera praeteream (ſexcenta enim afferri poſſent), quam inſulſe, quamque imperite voces, *Eſſedarios*, ac *Dimacheros* exponit? Jam Andabatas inducit, atque ab inferis revocat, poſtquam Cl. Alexius Mazochius vir tantum de litteris meritus, quam qui praeclariſſime, illos aut numquam extitiſſe, aut Dimacheros ſeu Eſſedarios eoſdem ac Andabatas fuiſſe ita demonſtravit, ut nihil fieri poſſit dilucidius. Quodque magis mirari ſubit, tertio quoque verbo tantum virum honorificentiſſime nominat, ejuſque aurea opera commemorat. Saltem in illud incubuiſſet, ut dictio argumento reſponderet. Philologica enim perſecutus, id penſi ducendum potiſſimum fuiſſet, ut compto politoque ſcribendi genere uteretur. Horridum autem eſt, incomptumque omnino, ac σολοίκοις ſcatet ubique. Liberius profecto, quod ſenſeram, aperui. At, amabo te, quî verum occulerem, praeſertim cum ad te ſcribam, qui ita natura comparatus es, ut aſſentatorum genus omne exſecreris? At de his hactenus, ac fuſius fortaſſe, quam par erat, praeſertim apud te. Qui enim totus ſapientia es, quî fieri poteſt, ut hiſce ineptiis capiaris? Muſaei poëma ſoluto verſu Etruſce translatum a Joanne Bapti-

ſta Caracciolo Viro τῷ πάνυ, qui nunc ſapientiſſime Averſanam moderatur Eccleſiam, nondum inveni, licet ſedulo quaeſierim. Apud me quidem eſt, at ubinam reſideat, neſcio. Vbi invenero, nulla interpoſita mora ad te perferendum curabo. Vale, meque, ut facis, ama. Ex Aedibus Regii Ephebei IV. Non. Maj. CIↃIↃCCLXIV.

FRANCISCO DANIELI

Paulus Moccia S. D. 192

CArullianos Senarios verſus auream aetatem redolentes, ſeque facilitate juxta atque incomparabili ſcribendi genere commendantes legi, relegi, ac deoſculatus ſum. Quod uſque adhuc vix fieri poſſe exiſtimatum eſt, aut pauciſſimis identidem datum, id aureus Joſephus aureique ſaeculi ſcriptor, facili negotio exhaurit. Nimirum eleganter aeque ac brevitate mirifica paucis verſiculis vitam hominis, qualis quantique! ita complectitur, ut nihil omnino amplius requiri poſſe videatur. Quare & illud mihi videor vere dicturus ſuis Joſephum τὸν πάνυ poſtremis officiis τῷ μακαρίτῃ Fraggiannio perſolutis non exiguam ingentium beneficiorum partem compenſaſſe, quae in ipſum jure ac merito defunctus heros largiter contulerat. Quo aeternum vivat, effecit. Vbi igitur illum videris, quod tibi ſaepiſſime ſummo tuo bono contingit, tum ipſi meo nomine gratulare, tum ingentes age gratias, quod mei nihil tale merentis meminerit. Illi tantum me debere ſentio, quantum numquam perſolverem ſi

ad

ad Neſtoream aetatem pervenero. Atque, ut verum ingenue fatear, hinc fit, ut ejus conſpectum defugiam. Qui enim fieri poſſet, ut pudorem, quo ſtatim exaeſtuarem, tunc coram comprimerem? Illud tamen non committam, ut ſuorum in me promeritorum obliviſcar. A me illi ſalutem plurimam dicito officioſe. Vale.

P. S. En hic complicatam oden, ita ut imperaſti, emendatam, cuique ad verbum appendi latinam translationem. Vbi otium tibi erit, ut Dominico Mundio tradas, te rogo. Illum meo nomine plurimum ſalvere jubeto. iterum vale.

EMMANUELI RODAE

Hiſpaniarum apud Clem. XIII. Pontif. Maxim. Oratori

Paulus Moccia S. D. 193

NEſcio quonam meo fato acciderit, ut, quas ad te ſtatis anni temporibus iiſque fere omnium gentium conſenſione mutuis officiis deſtinatis litteras dedi, eae vel ad te perlatae non ſint, vel deperierint. Exactis Natalitiis infantuli Chriſti Jeſu diebus neque huic officio defui. Atque illud dolui vehementer, quod cum mei nihil tale merentis ſaepe memineris apud eos, qui hinc te adiere, cum de me ſermo incidiſſet, ipſe officii immemor ingratuſque audierim. Sane quidem, vix huc incolumis rediit Matthias Zarrillus, juvenis de re antiquaria inſigniter meritus, cum

cum me tuo nomine ſalutavit. Idem multo ante mihi officium tuis verbis impertierat Martinus Panſanus, vir in Philologicis tam verſatus, quam qui maxime. Vt tacitus praeteream, quas mihi ſalutationes adſcribis per τὸν πάνυ Benedictum Clementem. Quae cum ita ſint, illud mihi conſilium capiendum cenſui, quo tuto voti compos evaderem. Ecce opportuna oblata eſt occaſio. Propediem iſthuc veniet Eques Antonius Somalia Capycius Placentinus, qui ſtudiis omnibus hoc in Regio Ephebeo laudabiliter abſolutis, jam impetrata venia, patrios lares reviſit. Huic igitur ad te, virum qua ampliſſimis muneribus quae pro dignitate ſuſtines, qua praeclara rerum omnium cognitione doctrinaque praeſtantiſſimum, meique ſupra fidem ſtudioſiſſimum, epiſtolam tradidi, quam ſe ſuis ipſius manibus tibi praebiturum ſancte recepit. Vere ut dicam, ex parte conquievi, tamquam aliquantulum officii attigerim. Quî enim, amabo te, tua omnia erga me promerita, nedum referenda, verum etiam habenda gratia adaequabo? Vbi vero eam jam ad te perlatam eſſe cognovero, tum omnino quieſcam. Ea ſcilicet, qua non parum torquebar, ingrati animi ſuſpicio me pungere deſinet. Quod ſi, quae me purgandi cauſſa ſcripſi, aequi bonique feceris, atque hanc qualemcumque meae voluntatis ſignificationem non ingratam tibi exſtitiſſe comperero, tum enimvero nihil amplius erit, quod vel conceptis votis exoptem.. Summum enim me felicitatis apicem attigiſſe non temere exiſtimabo. Tandem quaecumque detuleris officia bene morato Equiti Melitenſi, qui tibi

bi haſce litteras reddet, ea omnia ita accipiam, tamquam in meipſum contuleris. Et nobiliſſimo genere ortus eſt, & litteras coluit impenſiſſime. Sed de his hactenus. Meae extemporales epiſtolae, quas, pro ea qua es humanitate, non raro laudibus extuliſti, jam maximam partem editae ſunt. Amicis tandem obtemperandum fuit, ac praeſertim eruditiſſimo Martino Panſano, cui plurimum debeo. Quare, ubi editio abſolvitur, quod brevi futurum confido, eas nulla interpoſita mora ad te mittendas curabo. Quin illas nedum benigne excipias, verum etiam tuo patrocinio tuearis, nullus dubito. Te etiam impulſore, proh quali quantoque viro! in id conſilii deſcendi. A me Sergium Serſalium, juvenem cum morum innocentia, tum eruditione non vulgari inſignem, ni grave eſt, officioſe ſalutabis. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei a. d. IV. kal. Jun. CIƆIƆCCLXIIV.

EQVITI FRANCISCO VARGAS MACCIVCCA

Juri Regio tuendo Annonaeque Praefecto

Paulus Moccia S. D. 194

HVi! qui deceptus ſum; & quam male inivi rationem, quo te adirem. Commendatione enim opus eſſe falſo putaveram, amicorumque utendum opera, quo me tibi ſiſterem, tibique manum adorarem. Jamdudum, ut verum ingenue fatear, id pene conceptis votis opta-

optaram. Quid enim? Te quippe, quem nedum ſpectatiſſima proſapia inſignem, verum etiam eximium litterarum cultorem, atque eruditione rerum cum profanarum, tum Eccleſiaſticarum tanta pollere, quanta qui maxima, omnium ſermone ac fama acceperam, te, inquam, propius noſſe cupiebam. Atque id ſtudium flagranſque votum tum magis magiſque exarſit, cum te juri Regio tuendo atque annonae Praefectum fuiſſe cognovi. Nihilo ſecius tamen nulla omnino affulgebat ſpes fore, ut meae incenſiſſimae cupiditati ſatisfieret. En forte fortuna te in Aedibus Goyſuetianis vidi, quo te contuleras, ut Iſidorae, feminae egregiis quibuſque dotibus praeſtantiſſimae, cujus luſtricus dies recurrebat, fauſta omnia precarere. Hîc nullo admittente me tibi ſtiti, officiis omnibus, uti par erat, rite perſolutis. Quî abs te exceptus ſim, & qua me benevolentia ſis complexus, difficile dictu eſt. Quid multis? Ita mecum egiſti ac tanta comitate humanitateque, ut cum homine nedum tibi noto, verum etiam tibi amicitia conjunctiſſimo agere videreris. Tandem hiſce amoris benevolentiaeque indiciis haud contentus, quibus ſermonibus ac quanta eruditione conditis non me beaſti? Verum his omnibus heſterna die cumulus acceſſit. Cum enim de more adiiſſem Joſephum Carullum, virum inſigniter de litteratura, quanta quanta eſt, meritum, is mihi, non mediocri animi mei voluptate, denarravit, quae de me honorifice, &, quod magis eſt, αὐτοπάτως dixeras. Vere ut dicam, laetitiis omnibus geſtii. Quae cum ita ſint, ingratiſſimus omnium

mnium jure ac merito audiſſem, ni, quantum poterat, qualicumque obſervantiae ſignificatione id pro virili cunctis teſtandum curaſſem. Qua de re haſce ad te qualeſcumque litteras dedi, quo tibi, ſi non aliud, hoc grati animi monumentum exhiberem. Has ſi benigne acceperis, quae tua humanitas eſt; illud tibi recipio, me ſedulo curaturum, ut haec tua tam eximia tamque ſingularis erga me benevolentia, animique inductio ad me amandum, in dies magis magiſque augeſcat. Cura, ut valeas. Ex Aedibus Regii Ephebei VII. kal. Jun. CIƆIƆCCLXIV.

ANDREAE FARINAE

Paulus Moccia S. D. 195

HAud omnino falleris, quod divinitus factum ſit, ut iis calamitatibus urgeremur, quibus nullum prorſus finem impoſitum iri apparet. Quotidie enim huc frumentum comportatur, idque tanta copia, ut vix illud publica horrea capiant; & tamen rerum caritas acrius ſaevit, cibique in horas ingraveſcunt. Verum jam duo treſve dies ſunt, cum laxior annona ſenſim facta videtur, paniſque copioſior in publicum prodit. Idque providentiſſimo celerrimoque conſilio Hiſpaniarum Regis acceptum referendum eſſe nemo eſt, qui dubitat. Vix credas, quae ceperit conſilia, & quam mature, ut ruentis Regni rebus jam acciſis afflictiſque quam primum proſpiceretur. Praeter enim frumentum huc miſſum, magno in foro in ſingulos dies 500. farinae

nae medimni ſuo aere, periculoque ſuo divenduntur. Et quod caput eſt, vilius proſtat quam noſtropte in ſolo collecta. Praeterea in ſingulas Paroecias 200. pittacia diſtribui juſſit iis, quibus res anguſta domi, conditioque honeſtior. Hoc enim hominum genus prae ceteris elangueſcebat. Pittacii autem ope panis, iſque melioris notae, graviorisque ponderis facilius comparatur. Vt taceam quotidianum panem militibus omnibus hîc in ſtativis commorantibus ſuppeditandum. Ad 14. millia caddichorum in ſingulos dies opus ſunt. Atque haec omnia juſſu Catholici Regis pecuniaque ſua praebentur. Vide; quaeſo inſuper, quo progreſſa eſt liberaliſſimi Parentis olim, atque praeſentiſſimi modo noſtri Patroni largitio ac magnificentia. Vel nauticos panes eoſque copioſos huc mittendos curavit, quo celerius maturiuſque nobis, quos jam jam fame abſumendos putabat (noſtin' famam creſcere eundo?) ſuppetias ferret. O liberalitatem omnium ſaeculorum commemoratione praedicandam! O caritatem omnibus retro temporibus inauditam! Nullus omnino hic eſt, quin ſe illi vitam, ſpiritumque, quem ducit, acceptum referre libenter profiteatur. Omnia hîc loca, fora ſcilicet, areae, viaeque illius laudibus perſonant. Illi uni ſecundum Deum grates perſolvuntur, quodque incolumes ſalvique ſint, illi dumtaxat ſe debere ſponte prae ſe ferunt. Et quoniam ipſi praeſenti gratias agere nequeunt, tanto locorum mariumque intervallo abjuncti, ejus amantiſſimo filio, quem hîc tamquam pignus obſidemque ſuae benevolentiae paternique amoris reliquit, fauſta omnia.

mnia feliciaque apprecantur, utque quanto ocius ad robuſtiorem perveniat aetatem enixe concupiſcunt. Parentem enim pietate, religione, liberalitate, amore, benevolentiaque in ſibi ſubjectos populos, majeſtatique ejus devotos apprime refert ac repraeſentat. Verum de his hactenus. Dolui non mediocriter, quod Polyphemeis ad te perlata ſit ita male habita, ut illam legere nequiveris. Male ſit procuratori, homini haud dubie incurioſo ac imperito, cui antiquior cariorque ceterarum rerum nullius forte momenti ſarcina fuit, quam decantatiſſima Polyphemi amorabunda lamentatio latinis Etruſciſque verſibus per Emmanuelem Campolongum elegantiſſime conſcripta. Valeat, quaeſo, tantus tamque implacabilis litterarum litteratorumque hoſtis, interque Lybica monſtra amandetur. Poſthac ſedulo ipſemet curabo, ne quid hujuſmodi contingat. Has ego mihi partes excipiam. Vale. VI. kal. Maj. CIƆIƆCCLXIV.

EIDEM. 196

PRaeterita hebdomade neſcio quo caſu ad te ſcribere oblitus fuerim. Eo prorſus conſilio citius ſolito me domum receperam. Jam Conicleas abſolvimus exercitationes non mediocri animorum corporumque emolumento. Omnes pro viribus profecimus. Cajetanus Migliore minus belle habuit. Hinc, ne malum, quod leve videbatur, ingraveſceret, conſultius viſum fuit, ut domum ſuam diſcederet. Pluſculos dies decubuit non ſine febre: nunc jam convaluit, ſeque

ſeque ad nos recepit. Rhabarbaro utitur, quo languescenti ſtomacho medeatur. Te officioſe ſalutat. Hic febres deſaeviunt in dies, ac non pauci moriuntur. Noſocomia omnia cum infirmis affluerent, illud conſilii tandem aliquando initum eſt, ut Ptochotrophium, licet adhuc rude atque inchoatum tantum, aperiretur; eoque egeni omnes praeſertim cauſſarii adducerentur. Quo facto urbis viae, quae jacentium temere infirmorum pauperum copia ſternebantur (proh foedum juxta ac miſerabile viſu ſpectaculum!) jam aliqua ex parte immunes mundaeque conſpiciuntur. Cardinalis Antoninus Serſalius, cujus munificentia, hiſce praeſertim in anguſtiis, nullo temporis proceſſu aboleſcet, in Abbatia S.Antonii e regione Ptochotrophii, qua fieri potuit celeritate, aliud aperuit Noſocomium, quod ſaltem cc. infirmos caperet. Hoſce ſuo aere alit ſuſtentatque. Vix dici poteſt, quantum pecuniae in pauperes effuderit. Quin imo, quo immodicis expenſis ſufficeret, ingens aes alienum conflavit. O quam bene collocaretur pecunia, ſi ita ab omnibus Eccleſiae Praeſulibus effunderetur. Proh quot quantiſque malis obviam iretur! Meae extemporales epiſtolae jam maximam partem prelum expertae ſunt. Cura igitur, ut, quas apud te ſervas recens ſcriptas, mihi quamprimum remittas. Vix credas, quam feſtinent operae typographicae. Munuſculis enim nihil non vel ab invitis impetratur. Rex noſter, quem Deus ſoſpitet, adhuc Caſertae moratur. Altera jam vertente hebdomade huc rediturum affirmant. Illud vero neſcitur, utrum hic de more ſit manſurus,

ſurus, an ad ſuburbanum Herculanenſe recta proficiſcatur. Si qui in praeſenti graſſantur morbi, ceteroqui haud vulgo letales, remiſerint, hîc haud dubie manebit. Drama, cui nomen *Nitteti*, pene ſtetit. Modos fecit Antonius Mazzone Bononienſis, vir muſicorum ſcientiſſimus. Saltationes fere omnes placitae ſunt. Scena ferme nova atque eleganter depicta. Comes Antonius Somalia Capycius eques Melitenſis jam impetrata venia ſuperiore nocte Placentiam profectus eſt. Hîc & morum probitate, atque impenſo in litteras ſtudio magnam ſibi famam comparavit, adeoque ingens ſui deſiderium reliquit. Te tuoſque peramanter ſalvere jubet. A me tuis alumnis, ac nominatim Fabricio, cujus iconem avide exſpecto, ſalutem plurimam imperties. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei poſtrid. kal. Jun. CIↃIↃCCLXIV.

JACOBO GRATO

Britanniae apud utriuſque Siciliae Regem Oratori

Paulus Moccia S. D. 197

QVod libenter legeris, quae in πολυτρύλλητον Muſaeum ex tempore fuderam, ut illius antiquitatem, unde dejectus fuerat, quoad fieri poſſet, vindicarem, ubi id per Cl. Idelphonſum Clementem de Aroſtegui tibi amicitia conjunctiſſimum cognovi, non potui, quin vehementer laetarer. Tali enim tantoque viro,

qui cum de graecis latiniſque litteris, tum de ſeverioribus ſtudiis non vulgariter meritus eſt, quod mea, qualia ea cumque ſint, non improbentur, id quanti ſit aeſtimandum, his haud dubie intelliget, cui cor ſapit ac palatum. Atque ut vere, quod ſentio, dicam, cum id comperi, ita mihi placui, ut, quidquid adverſarii obloquerentur, hili faciendum exiſtimarim. Tu mihi jure ac merito inſtar omnium eras, tu mihi murus aheneus nullo arietis impetu ſubruendus. Neque me tua benevolentia ac praeſenti tutela complexum eſſe contentus, quo tui erga me amoris ſignum aliquod ad mei honoris perpetuitatem exſtaret, me quam opimo munere impertiviſti. Celebratiſſimi enim Callimachi vatis carmina omnia graeco-latina operâ cl. Theodori Graevii Vltrajecti edita mihi mittenda liberaliter curaſti. Atque ad haec omnia tamquam mantiſſam accedere voluiſti diatribam Anglice conceptam, Londinenſi in Academia habitam, vel quantivis pretii. Ea enim quam pauciſſimis paginis totum commentarium in Tabulas Heracleenſes a Cl. Alexio Symmacho Mazochio conditum complectitur, eumque meritis laudibus exornat. Quae cum ita ſint, quî fieri poterat, ut ingrati notam effugerem, ni, quod in me ſitum eſt, contendiſſem, ut tibi gratias agerem, quandoquidem par pari referre negabatur? Quare haec ad te ſcripſi, ut aliquod ſaltem meae erga te obſervantiae monumentum exſiſteret. Quod ſi me non fruſtra id voluiſſe deprehendero, jam me tibi ſi non ſatisfeciſſe (quî tantum potero?)

ali-

aliquam tamen beneficiorum partem, quantulacumque ſit, rependiſſe laetabor. Vale.

EMMANUELI CAMPOLONGO

Paulus Moccia S. D. 198

AIn' tandem? tui oblivione factum arbitraris, ut litteras ad te mittere de more intermiſerim? Si ita res ſe haberet (quod numquam vellem) neque me apud te purgarem, neque ulli cauſſae locum eſſe ipſemet confiterer. Quî enim tantum crimen elevarem! Me ne illius memoriam depoſuiſſe, cujus beneficia tum me aliqua ex parte adſecutum arbitrabor, cum memoria retinuero immortali? Apage, quaeſo, ſuſpicionem iſtam! Altius opinione tua haerent animo haerebuntque, quoad vivam, tua in me praeclara officia, eximiaque promerita. Variae, mihi crede, occupationes ſibique reciproco quodam aeſtu ſuccedentes, in cauſsa fuerunt, cur ad aliquot dies epiſtolare commercium conſtiterit. Hui! tanto tu opere diſtinebaris, ut, ne ſubſiſivis quidem horis, operam amicis dare vetareris? Ita vero. Neſcio quonam meo fato ſic interdum diſtringor occupationibus, ut, quod corpori defatigato impartiendum eſt quietis, ſubripiatur oporteat. Quare te obſecro, ut hanc excuſationem agnoſcas teneaſque. In poſterum, ubi plus otii nactus fuero, & frequentiores, & uberiores litteras dabo. Viſne amplius? Eo te redigam jam faſtidientem, urgeboque multitudine epiſtolarum, donec ad caelum ſublatis manibus

obe jam dixeris. A me Teſtae, Danieli, Bronzolioque ſuaviſſimis amicis, ſalutem officioſe. Vale.

P. S. Ludovicum germanum tuum meis verbis ſalutabis plurimum. Iterum vale.

DOMINICO AMATO

Paulus Moccia S. D. 199

QVam tibi mitto epigraphen, vix dici poteſt, quanto ego opere contenderim, ut chartis illinerem, licet *αὐτοσχεδίως* fuderim. Mirum quantum conatus ſum, ut lacrymas jam jam erumpentes cohiberem. Animo enim occurrebant meo adoleſcentuli *τȣ̃ μακαρίτȣ* aurei mores, non vulgaris eruditio, ſtudiaque cum amoena, tum ſeveriora, quibus hic tanta cum laude operam navaverat. Accedebat his amicitia omnium litteratorum virorum, qua, hac in urbe cum eſſet, mirifice floruerat. Quanti porro illum faceret Alexius Symmachus Mazochius totius litterariae Reip. lumen ac ornamentum, nemo fere omnium eſt, qui neſciat. Quotidie enim illuſtris juvenis pomeridianis horis ad ipſius aedes ventitabat, ſeque ipſi, quoad fieri poterat, erudiendum tradebat. Sane quidem, quid conducibilius adoleſcenti eſſe poterat, quam tanti tamque eruditi viri, tantoque inſuper chriſtianarum virtutum penore praediti conſuetudo? Quae cum ita ſint, tu, qui illo tam familiariter utebaris, uniceque amabas, haud difficile intelligere poteris, quanto ego opere

pere doluerim, cum triſtiſſimus huc nuntius iſque inexſpectatus pervênit. Quod illum noviſſem, conquerebar. Tanto quippe dolore, quo jure ac merito ob tantam tanti adoleſcentis jacturam affectus ſum, omnino vacaſſem. Epigramma igitur, quod animo ſane quam perturbato contexui, ut tibi morem gererem, fac, ut per te concinnatum, in meliorem formam redigatur. A me tuis omnibus, ac nominatim ſcitiſſimae Vincentiae ſalutem. Vale.

D. O. M.
HEIC JACENT OSSA CINERESQVE
JOANNIS BAPTISTAE PVCCII
ADOLESCENTIS SVPRA AETATEM ERVDITI
SVPRA OMNIVM FIDEM MORATI
QVEM
INCITATO GRADV AD VIRTVTEM PROCEDENTEM
NEC NON GENEROSIS JAM NVPTIIS DESTINATVM
EHEV IMPORTVNA MORS
NIHIL MORATA ORIS DECOREM ANIMIQVE VIM
EX TRANSVERSO IRRVENS
E TERRIS SVSTVLIT
JOSEPHVS PVCCIVS V. J. D.
GERMANO DVLCISSIMO AC MAJORA MERITO
LACRYMABVNDVS MONVMENTVM P.
VIX. ANN. XX. MENS. I. D. V.
DENATVS X. KAL. APRIL. CIϽIϽCCLXIV.

CO-

COMITI JOSEPHO MARIAE VINCENTIO LASCARIS A CASTELLAR

Sardiniae apud utriuſque Siciliae Regem Oratori

Paulus Moccia S. D. 200

EX quo te primum apud Cl. Idelphonſum Clementem de Aroſtegui cognovi, tecumque ex tempore ſermones ſerere mihi forte fortuna contigit, incredibile dictu eſt, quanto me opere tua, qua praeſtas, eruditio delectarit. Atque, ut cetera taceam, adhuc mihi tamquam recentia animo obverſantur, quae a prandio, uti illic mos eſt ſollemnis, αὐτοσχεδίως diſſeruiſti de legibus, moribus, inſtitutiſque cum Anglicis, cum Batavis, apud quos populos pene ab ineunte adoleſcentia verſatus fueras. Nihil profecto omnino fuit, quod ſive regimen apud utramque nationem litteris armiſque florentiſſimam ſpectabat, ſive prudentem ſingulorum οἰκονομίαν, quod non & ſapienter & ſollertia non vulgari attigeris. Vel breviſſimi temporis uſura nulli non optatiſſima juxta atque fructuoſiſſima accidit. Quod invidum ſane tempus quam celerrime proceſſerit, aut potius fugerit, omnes non immerito doluimus vehementer. Neque hîc tantum ſtetit tua erga me benevolentia: etiam ulterius proceſſit. Numquam tibi occurri (occurri enim quam ſaepiſſime) quin me benigne exciperes, aut comiter ſalutares. Quod vero te non

X 4 invi-

inviſerim, jam in eo officium deſiderari poſſe meum prima fronte videri poterit. Verum & ita venia non indignus videbor. Ne te graviſſimis iiſque frequentibus negotiis diſtrictum intempeſtivo adventu interpellarem non temere veritus ſum. Is enim ſum, qui malo pudori plus nimio indulgens ſubruſticus videri, quam importuno officio amicos enecare. Qua de re te etiam atque etiam rogo obteſtorque, ut mihi ita natura comparato (quod tantum abeſt, ut oderim, ut potius mihi in eo non parum placeam) libenter ignoſcas. Teque inſuper obſecro, ut hoc qualecumque mei obſequii ſignum, bonaeque voluntatis, ſi non aliud, ingenuam ſignificationem aequi bonique conſulas. In omnem enim imminui occaſionem, quo meum tibi gratum animum teſtificarer. Ecce nunc prae manibus eſt, neque elabi ſinam. Editurus enim meas epiſtolas, in id pro virili incubui, ut tuo etiam ampliſſimo nomine ornatae in publicum prodirent. Qua tui generis claritate, qua tua praeclara doctrina ac non vulgari eruditione non parum ad illas dignitatis ſplendoriſque acceſſurum confido. Cura ut valeas. Ex Aedibus Regii Ephebei id. Jun. CIↃIↃCCLXIV.

JANVARIO CARBONI

Paulus Moccia S. D. 201

CVm te heſterna die, jam veſperaſcente caelo, ad veteres Regias aedes obvium habui, mihi non mediocriter doluit, quod te non parvi

vi momenti negotiis operam navatum properantem inofficioſe detinuiſſe cognovi. Male ſit officiorum neniis maleferiatorum hominum inſulſitate ac negotioſo otio inductis! Tantum profecto abeſt, ut hoc pacto ſocietatem foveant arctiuſque conjungant; ut potius illam jam conſtitutam optimiſque moribus tamquam legibus munitam corrumpant penituſque labefactent. Quî, malum, amicitiam concilies, vel jam conciliatam tuearis, intempeſtivis officiis, atque urbanitate nedum moleſta, verum etiam putida? Enecat amicum; ſi veritati litare velimus, qui illum ſive litteris, ſive coram, ἀκαίρως interpellat. At moribus ſerviendum eſt, itaque, quoad fieri poteſt, vivendum, ut vulgari conſuetudini bellum indixiſſe minime videamur. Aliàs ſolitudinem petamus oportet, hominumque conſortium, quo nihil jucundius, nihilque optabilius eſt, defugiamus. Quae cum ita ſe habeant, te oro obteſtorque, deprecatore Franciſco Daniele, qui tum mihi latus tegebat mecumque prodeambulatum exierat, ut mihi imprudenter, vel in ipſo officio, inofficioſo volens libens ignoſcas. Namque in poſterum ſedulo cavebo, ne te, quem ex animi ſententia plurimi facio pro ea qua ad miraculum uſque excultus es eruditione, necnon incredibili morum ſuavitate, niſi prius captato tempore, vel urbis vias terentem adoriar. Quam vellem, ut mihi non occurriſſes, ceteroqui numquam mihi non exſpectatus! Ne vel tantillum morae tibi non parum obfuerit, adhuc valde metuo. Magna plerumque negotia momento temporis vertuntur. Quare illud te obſecro, ut mihi

mihi quamprimum ſignifices, an ad tempus eo, quo contendebas, perveneris, votique compos evaſeris. Tum enimvero ſcrupulus, qui me non temere pupugit, omnino eximetur. Verum de his hactenus. Ad te mitto duo exempla epigrammatis, quod in τὸν πάνυ Bernardum Tanuſium concinnavi, quo ad tuum germanum in praeſenti Coenobii Caſtri Caſalucii Abbatem quamprimum perferenda cures. Domi enim Ferdinandi Leonii Campaniae Praefecti cum illa a me petiiſſet, neſcio cur mittere oblitus ſim. Multum equidem illum amo, quippe qui ita de politioribus aeque ac ſeverioribus ſtudiis bene mereri contendit, ut ſe non ſibi, ſed litterariae Reipublicae bono natum eſſe eximiis praeclari ſui ingenii fetibus luce meridiana clarius oſtenderit. A me illi ſalutem plurimam, quam etiam meis verbis Campaniae Praefecto, caſtiſſimo juſtitiae cuſtodi, officioſe imperties. Franciſcus Daniel te multum ſalvere jubet. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei poſtrid. non. Jun. CIƆIƆCCLXIV.

FRANCISCO DANIELI

Paulus Moccia S. D. 202

HEri meridiatus jam, vix lectulo ſurrexeram, cum mihi abs te reddita fuit elegantiſſima Oratio a Cl. Benedicto Stay ab intimo Pontificio cubiculo & ab epiſtolis latinis in funere Friderici Auguſti III. Poloniae Regis Quirinali in Sacello habita. Tanti viri fama

com-

commotus ſtatim illam a capite ad calcem devoravi. Quanta vero ſim perfuſus voluptate, difficile dictu eſt. Dictionem enim ſi ſpectes, ea dubio procul pura puta latina eſt, &, quod magis eſt, ita Auguſteos auctores in ſanguinem & ſuccum convertiſſe videtur, ut tantum non illis antecellere exiſtimetur. Quod ſi ad orationis contextum methodumque dicendi animum adjeceris, nihil cogitari potuiſſe concinnius, nihil gravius, nihil ad defuncti laudem praeſtabilius, nihilque tandem ampliſſimo ornatiſſimoque Orbis terrarum conſeſſui aptius accommodatiuſque ſtatuas oportet. Ita praeterea laudationem orditur, orſamque proſequitur, ut nullum omnino in omni vita vel minimum actum exſtitiſſe appareat, quod non publicam rem, & chriſtianam Religionem unice ſpectarit. Jam vero, quî illum difficillimis turbulentiſſimiſque in Reipublicae temporibus conſtantem, aequabilem, Religionis vindicem, injuriarum non diſſolute immemorem, juſti propoſitique tenacem, inque immaturo Hiſpaniarum Reginae, amantiſſimaeque uxoris fato tantum non atrocem efformat! Quam artificioſe vota nuncupat, perennitatemque imperii fervidis Apoſtolici ſanctiſſimi precibus exorandam auguratur! Mira omnia atque argumento quam aptiſſima. Neque id mirari ſubiit, cum mihi in mentem venerunt, quae paucis abhinc annis legeram ejuſdem metro adſtricta, Neutonianum ſcilicet, ac Carteſianum poëma. Opus ſane arduum, impeditum, ſpinoſum, atque nonniſi a divino ferme ingenio inceptandum. Et tamen ἐπιφανὴς Stay nedum illud aggreſſus eſt,

verum

verum etiam maxima cum totius litterariae Reipublicae admiratione ad exitum feliciſſime perduxit. Quae cum ita ſint, tibi pro eo ac debeo gratias ago, quod tanto me munere impertiveris. Et, ſi tanti apud te ſum, illud te oro, ut, cum illi reſcripſeris, eidem meo nomine & gratulationem & ſalutem adſcribas. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei prid. id. Jun. CIↃIↃCCLXIV.

ANTONIO GENVENSI

Regio in Neapolitano Gymnaſio Oeconomices Anteceſſori

Paulus Moccia S. D. 203

HEſterna die, poſtquam e Simoniano Typographio diſceſſimus, ubi pene ad horam te varios de praeſentibus hujuſce Regni calamitatibus ſermones, pro re nata, ſerentem mirifica cum voluptate audivimus, unum mihi dumtaxat aegre fuit, meumque animum jam exhilaratum moleſtia affecit. Nimirum non mediocriter dolui, quod Paulus noſter, vir ceteroqui diligentiſſimus, epigramma quod *αὐτοσχεδίως* concinnaveram in *τὸν πάνυ* Marchionem Bernardum Tanuſium, tibi meo nomine vel non obtulerat, vel unum tantum illius exemplum praebuerat. Quî ſcis, inquies? Ipſemet propemodum mihi id dixiſti; cum mihi in aurem inſuſurraſti, quod illius ſaltem quatuor exempla optabas. Hem! tanti ne ego ſum, ut tua juſſa praeſtoler? Nonne id mihi ſedulo antevertendum fuit, ut nullus

omnino

omnino locus tuis monitis relinqueretur? Quî, amabo, praeclarius mecum agi poterat, quam ſi illud epigramma, qualecumque ſit, tuas in manus perveniret, adeoque tuo patrocinio ſartum tectum praeſtaretur? En, quod conceptis votis mihi optandum fuiſſet, id nulla pene mea opera facis, quae tua humanitas eſt, ut cumulatiſſime conſequar. Quod beneficium tale tantumque, cujus memoria numquam patiar ut apud me intercidat, haud in praeſenti opus eſt, ut ſive exaggerem, ſive chartis illinam. Quî enim te, tuamque doctrinam, qua ad miraculum uſque excoleris, tuaque opera dubio procul cedro linenda, quae quidem & innumera ſunt, & celeriter omnium manibus teri ubique terrarum incoeperunt, quî, inquam, haec omnia, adeoque qualis quantuſque vir ſis, pro dignitate, ſupra epiſtolare ſcribendi genus adſurgens, oratione complectar? Haec atque alia eloquentiſſimorum Oratorum ingenia defatigatura nunc tacitus conſulto praetermittam. Alias, qui finis eſſet ſcribendi? Qua de re tibi gratias ago, & quod meum epigramma legeris, & quod humanitate pene incredibili id curaveris, ut ad illud aliquid dignitatis pretiique accederet; cum petere amice volueris, quod ſponte, ut leviſſime dicam, tibi jam oblatum oportuerat. Perge, quaeſo, ita te gerere, ac continentibus beneficiis fac, ut ceteris incitamento ſis, quo tua benignitate tamquam ſtimulis ad vivum adactis & ſtudia litterarum proſequantur, & quae quiſque pro ſui ingenii modulo induſtriaequae viribus condit pangitque, in vulgus edere minime cohorreſcat. Te duce

atque

atque hortatore, quid non audebit bene ac ſapienter inſtituta juventus? Macte eſto igitur hoc benevolo excelſoque animo, quo haud dubie te non tibi, tuiſque, ſed ceterorum bono natum aperte oſtendis, ac me, ut facis, tueri atque amare perge. Cajetanus Migliore, qui te ſingulari proſequitur amore, ac plurimi facit, tibi ſalutem peramanter impertit. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei VII. id. Maj. CIƆIƆCCLXIV.

VINCENTIO ARIANO

Paulus Moccia S. D. 204

NArro tibi: tuae inexſpectatae juxta atque eruditiſſimae litterae, quae mihi hac veſpera, ſtatim ac me domum recepi, redditae ſunt, incredibilem mihi voluptatem attulerunt. Haud enim contentus mihi tuum ſtudium, operam, officiaque omnia detuliſſe, meum qualecumque elogium in τὸν πάνυ Marchionem Bernardum Tanuſium αὐτοσχεδιαστὶ concinnatum laudibus in caelum effers. Vere ut dicam, non potui, quin maximopere gauderem. Volupe quippe mihi fuit, quod mea lucubratiuncula tibi probaretur, qui in philologicis ita verſatus es, ut luculentiſſimo Cl. Jacobi Facciolati teſtimonio ornari merueris. Quod quanti ſit faciendum, qui talem tantumque virum norit, is aperte intelliget. Quod vero tamquam auctarii loco addideras, atque ὁδοῦ πάρεργον, id me cumulate beavit. Namque illud Bernardo Cangiano Boviani Antiſtiti, viro de litteratura, quanta

quanta quanta eſt, inſigniter merito, non inficetum viſum fuiſſe ſignificaſti. Quare te etiam atque etiam rogo obteſtorque, ut illi meo nomine manum officioſe oſculeris, gratiaſque rependas immortales. Laudes enim pergratae numquam non accidunt, at tum praeſertim cum a laudato viro proficiſcuntur. Sed de his hactenus. Legi quam attente, quae mihi miſiſti Etruſca carmina tum in πολυμαθέστατον Jacobum Facciolatum, tum in Mariam Roſam Arrighelli recens inter ſacras Veſtales virgines receptam, atque non potui, quin ſuſpicerem. Mire enim ſibi conſtabant, &, quod caput eſt, dictionis granditas argumenti nobilitatem adaequabat. Quare tum tibi gratulor tantam felicitatem, tum gratulor iis, quos jure ac merito laudibus ornandos ſuſcepiſti. Macte igitur eſto tanta virtute, atque ſtrenue perge, ut coepiſti. Ita enim nedum tibi tuaeque patriae ornamento eris ſingulari; verum etiam Auguſtini Ariani parentis tui τȣ̃ μακαρίτȣ, viri de politioribus litteris, mathematiciſque ſtudiis praeclariſſime meriti, cujus auro contra non cara opuſcula jam jam in publicum emiſſurus es, famam ab interitu vindicabis. Illud igitur fac ſedulo cures, ut, quantum poteſt, typis mandentur. Intereſt ſane omnium quotquot matheſeων ſtudiis tenentur, ut ſtatim vulgata cunctorum manibus terantur. Quod ſi feceris, exſpectationi, quam abhinc annum jam publice concitaſti, abunde reſpondebis. Meis verbis erudítiſſimo Boviani Antiſtiti ſalutem plurimam dices officioſe. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei VII. id. Jun. CIↃIↃCCLXIV.

SER.

SERGIO SERSALIO

Paulus Moccia S. D. 205

LEcta, licet curſim, tua eruditiſſima Diſſertatione, pauca mutanda cenſui, praeſertim in iis, quae proloquii vice fungebantur. Animi enim tui ſenſa potius, quam totidem verba ſecutus, nonnulla admiſcui, quae clarius liquidiuſque rem diſceptandam, ſcopumque dicendi aperirent. Ceterum ſi aliter ſenſeris, tuiſque potius inhaerere volueris, nullus repugnabo. Quanti te faciam, nemo omnium omnino eſt, qui id ignoret. Diſſertationem vero ipſam ſummopere probo: mirifice quidem ſibi conſtat, atque ubique recto talo ſtare videtur. Macte igitur animo, atque perge, ut inſtituiſti: rem certe acu tanges, ac Pelagianorum erroribus detectis labefactatiſque, triumphum nulli non invidendum deportabis. Vale, meque, ut facis, ama. Ex Aedibus Regii Ephebei a. d. x. kal. Octob. CIƆIƆCCLXII.

EIDEM. 206

ALteram eruditiſſimae Diſſertationis partem attente legi, tibique ex animi ſententia gratulor, quod iis rationum momentis novam Thomaſſini, ceteroqui doctiſſimi viri, opinionem refutaveris, ut omnino cauſſa ceciderit. Nullum quidem eſt ex omnibus argumentis, quae ad nauſeam uſque conglobat, quod non etiam contra ipſum

ipſum pugnare videatur. Tanti eſt novae ſententiae pertinaciter ſtudere: quidquid contra ſtat, tamquam leve quiddam, neque hili faciendum putamus. Macte igitur virtute eſto, atque alacri animo ad majora, atque ampliora contendito. Quod ſi ita feceris, & praeclare de chriſtiana Religione mereberis, & tibi, tuiſque gloriam quam maximam comparabis. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei a. d. XIV. kal. Novemb. CIↃIↃCCLXII.

PHILIPPO JVNTAE

Paulus Moccia S. D. 207

QVanto ego opere laetatus ſim nudius tertiana die, cum mihi forte fortuna occurriſti e regione aedium Marchionis Tanuſii, difficile dixerim. Te enim ipſum cum anxie quaererem, opportune mihi obviam veniſti. Atque id tamquam bonum omen accepi fore, ut res mihi ex animi ſententia procederet. Quas jam ad πολυμαθέςατον Raymundum Sangrium S. Severi Principem litteras ſcripſeram mei grati animi ſignum aliquod tanto viro tamque bene de me merito exhibiturus, eas nulli omnino alii quam tibi tradere conſtitueram. Sane quidem, quem illi acceptiorem gratioremque te ſeligere poteram, quem is pro ea qua mirabiliter praeſtas in omni philologia eruditione, atque ſcientiarum diſciplinarumque omnium, nec non Orientalium linguarum cognitione plurimi facit? His accedit quod tuo eruditiſſimo juxta atque elegantiſſimo

judicio confirmatus fui , quique me non parum momorderat timor , evanuit . Illas enim cum legiſſes, pro ea qua es humanitate , non improbaſti . Ecce tibi, exitus meis votis reſpondit . Commodum hodie ad officinam librariam e regione Regii Theatri acceſſi , cum mihi abs te litterae redditae ſunt , ex quibus meam qualemcumque epiſtolam non ingratam accidiſſe cognovi. Quin & illius nomine mihi exquiſitis verbis gratias egiſti. Amice amantiſſime , quî tibi par pari referam, neſcio : illud vero ſcio, ac tibi ſancte recipio, me id operam daturum diligenter, ne tanti tamque ſingularis beneficii memoria umquam intermoriatur. Interim hanc meae voluntatis ſignificationem fac aequo bonoque animo accipias. Nihil profecto gratius facere poteris. A me S. Severi Principi, viro de litteris ingenuiſque artibus inſigniter merito ſalutem plurimam dices officioſiſſime ; quam etiam meis verbis Sabino Lattarulio, viro eruditiſſimo, atque Orientalium linguarum peritiſſimo peramanter imperties. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei poſtrid. id. Jun. CIↃIↃCCLXIV.

MICHAËLI TESTAE

Paulus Moccia S. D. 208

EN ad te mitto epigraphen tertio refictam, utinam millies! Nihil enim curarum ſatis, ubi publici juris quid eſt faciendum. Eo prorſus conſilio mitto, ut pro lubitu nedum corrigas, verum etiam a calce ad caput recudas. Quod

vero

vero me Campanum hominem, Campanaque ſupellectile inſtructum Etruſcis accenſueris, quantum tibi debeam, lepidiſſimus Andreas, atque φιλόπονος Campolongus judicabunt. Penes hos nullo non conſentiente Etruſcae linguae jus imperiumque eſſe nemo ſanae mentis inficiabitur. A me illis annos Neſtoreos apprecator enixe. Vale.

P. S. Vbi Danieli epigraphen trades, a me rogato, ut ea utatur arbitratu ſuo, nulla amicitiae ratione habita. Vtinam flammis addicat! quam factum vellem! Iterum vale.

QVI
IN OMNI VITA EAQVE INTEGERRIME ACTA
MORTALITATIS VNICE MEMOR
ELEGANTI SACELLO
AERE SVO COMPARATO
PIENTISSIMO CONSILIO PROSPECTVM VOLVIT
HVNC IPSVM
QVOD AMPLISSIMIS MVNERIBVS FVNCTVS
JVS CASTISSIME PRO VIRILI DIXERIT
NAE IS TANTVMMODO MIRABITVR POSTHAC
QVI AETERNALIS VITAE COMMENTATIONEM
CVM INCORRVPTA JVSTITIA
AMICE CONJVRARE
NON SINE PESSIMO PVBLICO IGNORABIT

CARMINO GERUNDAE

Paulus Moccia S. D. 209

VIx ad aream, quae ante D. Marci Paroeciam explicatur, perveneram, cum quod inter ambulandum conceperam diſtichon edidi. Vtinam id factum foret, cum ego tuum latus tegebam, tuiſque eruditiſſimis inhiabam ſermonibus ſane quam attente, juguloque porrecto! Profecto te obſtetricante felicius auras vitales captaſſet. Quale id cumque eſt aequi bonique, quaeſo, conſulito. Haud de integro illud cudere volui; quis ſibi tantum ſumat? ſed quod pene invitis muſis prodierat, quantum in me ſitum erat, refingendum curavi. Antiſtiti Melphitanorum (quam emunctae naris, faſtidioſique palati viro a me ſalutem plurimam, quam etiam optimo Orontio, ejuſque incomparabili familiae imperties. Vale.

EIDEM. 210

EN exemplum epiſtolae ex tempore ſcriptae, currentique calamo fuſae. Vide quanti te facio, ubi vel meas tibi ineptias concredo libenter, ne amicitiae deſim. Verum te rogo, ne meas haſce, quales eae cumque ſunt, lucubratiunculas efferas. Quae enim amico committuntur, juxta Pythagorae Scita, dimidio animae noſtrae, palam facere, atque vulgare, pene piaculum eſſet. Illud unum adſcribo, ſi, ut cete-

ra, aequi bonique conſulueris, per mihi gratum facies. Χαῖρε. Ex Aedibus Regii Ephebei a. d. XVIII. kal. Sextil. CIↃIↃCCLXIV.

MICHAËLI TESTAE

Paulus Moccia S. D. 211

HEſterna die vix huc redii, cum mihi gratiae actae fuerunt ab omnibus ephebis equitibus, qui tui alumni conſuetudine fruiti fuerant. Alius enim pueruli aureos mores praedicabat: alius comitati, ac facilitati primas deferendas contendebat: alius autem illius prudentiam tenella in aetatula non in poſtremis habendam exiſtimabat. Ne te demorer pluribus. Omnes unanimiter conſentiebant ea puerili in aetate apparere indicia virtutum, quae, qualis poſthac futurus eſſet, apertiſſime oſtendebant. Quare non potui quin laetitiis omnibus exultarem, ubi haec audivi, ac viciſſim illis grates rependerem, quod ita ſe geſſerint, itaque de bene morato puerulo judicaverint. Gratulor igitur tibi, quod id tibi non ſine divino conſilio contigit, ut tanti pueri, iiſque dotibus praediti inſtitutioni praeeſſes, & fortunatiſſimae Parenti, quod tanto filio tamque liberaliter educato fruatur. Vnum mihi doluit, quod ſcilicet abſuerim. Verum haud propterea merito redargui poſſe videor, cum contra pacta conventa, & improviſo veniſſetis. Qua de re te rogo, ut me apud illam excuſes, cum per me non ſteterit, quominus interfuerim. In poſterum illud ſedulo cures, te obſecro, ut con-

ſti-

ſtituto tempore nos inviſas. Interim, ut tantae feminae cum Lacaenis mulieribus comparandae, filiorumque ſupra fidem ſtudioſiſſimae a me ſalutem plurimam, ejuſque mihi cariſſimo nato, officioſe dicas, te oro obteſtorque. Campolongum ac Malarbium etiam meo nomine plurimum ſalutabis. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei Idibus Aug. CIƆIƆCCLXIII.

ANDREAE FARINAE

Paulus Moccia S. D. 212

MItto ad te epigramma, quod mei amici juſſibus obtemperaturus, αὐτοσχεδίως fudi. In Marchionem Bernardum Tanuſium illud contexui, qui hiſce rerum omnium anguſtiis, quibus hoc Regnum tantum non peſſumdatum eſt, unus prae ceteris omnem lapidem movendum, nihilque intentatum relinquendum putavit, quo illinc tandem aliquando emergeremus. Innumerum ſane numerum frumenti, ceteraeque annonae huc comportandum curavit, idque ita diſpeſcendum, ut aeque Neapolitanis atque vicinorum, diſſitorumque pagorum incolis, & quod magis eſt, pretio non magno, divideretur. Ceterorum enim frumentum, uti fit, in rerum caritate, aut fructuum calamitate, pretium non habet. Adhuc hîc farina, quae nomine VIvirorum divenditur, quatuor ducatis coëmitur. Quare haud mirabere, quod unum prae ceteris laudandum ſuſceperim, Quid de eo ſentias, amice, perſcribas velim. Verum haec hactenus. Pergratum autem mihi

fuit, quod jam aliam plangunculam effingendam mandaveris. Crede mihi, jam conquievi. Quidni? quod enim diſtractum ac pene diſcerptum videbatur, jam coaluiſſe laetabor. Illud vero aegre mihi fuit, quod tum illam te miſſurum ſignificaſti, cum meam diatribam viciſſim iſthuc perferendam curaſſem. Quî, malum, id fieri poteſt quamprimum, cum apud me non ſit, & difficile me illam recuperaturum confidam? Per manus enim traditur, & vix emiſſam inaudio, cum jam in alterius poteſtatem deveniſſe nuntiatur. Perpetuo enim ſerviet, neque ſpes affulget fore, ut in libertatem vindicetur. At inquies, quî ſerviet, quae ingenua eſt? Liberali fac illam cauſſa manu afferas. Verum, quî, amabo te, praepotentium vi repugnabis? Viſne, ut amicitiam ſcindam, quam vel diffuere piaculum exiſtimarem? Ita vero me acturum cum illis tibi polliceor, ut quanto ocius, ſi fieri poterit, recipiam. Numquidnam novi? En ut occupavi, quae te rogaturum arbitrabar! Hîc panis nondum publice proſtat. Poſtquam enim e furnis ad tabernas ſtatis locis conſtitutas comportatur non ſine militum ſatellitio, ſtatim divenditur; atque plebis multitudo maximam partem domum revertitur inanis, ſpeque defraudata. Vix credas, quanto tumultu, quantiſque conviciis propolas aſſeribus tabernae munitos circumſiſtunt. Sunt qui ſcalis admotis panem praeripere ſtudent; alii humeros ſupponunt ſuperincumbentes ſuſtentaturi, quo facilius voti compotes evadant; alii denique ceterorum capitibus ita arcte junctis, ut teſſellatum pavimentum diceres, ſuſpen-
ſo

ſo gradu atque incredibili velocitate inſiſtentes ad cancellatam domum convolant. Quare id quod de Lada mira pedum pernicitate praedito litteris conſignatum eſt, nimirum quod ſupra cavum pulverem ita curſitarit, ut, arenis pendentibus, nulla indicia relinqueret veſtigiorum, miraculo eſſe deſierit. Rides? Ipſemet hiſce oculis vidi e foris aedium Dominici Amati, qui in viam Olympicam imminent. Et tamen magna frumenti vi, qua nunc potimur, id fieri poſſet, ut, annona levata, civitas tandem aliquando reſpiraret. Quid ergo obſtat, quominus fiat? prorſus neſcio. A me tuis omnibus ſalutem. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei prid. non. Maj. CIↃIↃCCLXIV.

EIDEM. 213

SVrrentum nec opinanter ruſticatum abis, licet ad paucos dies, tamen ineunte menſe Novembri hujuſcemodi conſilium capis, &, quod caput eſt, turpiter mea cauſſa deſerta. En quod jam actum tranſactumque putabam, iterum inceptandum erit, utinam perinde feliciter! habent enim ſua ſidera cauſſae. At germani fratris amor, parentumque juſſa coëgerunt. Vix dici poteſt quantae illis curae eſt adverſa Dominicani alumni valetudo. At id omittamus: erga parentes pietas, ſingularis in fratrem benevolentia: ſinamus. Verum quî illud concoqui poteſt, quod tamquam non ſatis haberes peregre proficiſci, animoque obſequi, diſtricte mihi imperaſti, ut quidquid fauſtiſſimo Regis Catholici luſtrico recur-

currente die Regia in Aula conficeret, quam accuratiſſime litteris commendarem? Vah! lepidum caput. Dum tibi bene eſt, genioque indulges; ego ad abacum adſidens labore curiſque confectus tabeſcam. Medius fidius haud ſtulte ſapis. At faciamus me velle tibi dicto audientem eſſe. Quî, amabo te, tantum oneris ſuccollare, remque ſi non pro dignitate, ſaltem rudi levique calamo adumbrare potis ero? Leviculum ne tibi negotium videtur vel qualitercumque chartis illinere regalem menſam eamque non quotidianam, verum lautius ſolito inſtructam? Vt varios ferculorum miſſus taceam, quibus plus vice ſimplici menſa oneratur: ea ſapide, atque exquiſite condita tantum odoris, ubi inferuntur per regios ephebos, undique afflant, ut nidore confectus extabeſceres. O quot quantiſque iiſque beatis ſalivam movent! Jam vero, quis pro dignitate ſcripſerit ſollemnem manus adorationem? Hîc vel Romanae eloquentiae parenti aqua haereret. Praeſtringit mehercule oculos majeſtatis ſplendor, ubi Deo prognati Reges identidem immodicas opes, divitiaſque, quibus diffluunt, Numenque, quo Deo tantum minores, terrena iſthaec Regna moderantur, ſubjectis populis oſtentant. Aureo pene dixerim throno contectus aureis taeniis undiquaque ornato, atque ubi deſinit villoſus ſericus pannus, fimbriis & lemniſcis pendentibus munito, inibi ſtat pretioſiſſimis veſtibus indutus, quarum orbiculi adamantes ſunt non parvis ſcrupis pares, pileoque coopertus, quem pro ſericis laqueis taeniolae adamantinae hamatili auro connexae conſtringunt. Quid pilei orbiculum, quidve baculum

lum memorem? Scintillantibus ſudo caelo ſtellis quam ſimillima diceres. Atque, ut verum ingenue fatear, quam cetera ſordent, ubi iſthaec ſpectaveris! Hinc, quos ſuſpicimus primores viros, ſi quando auratis carrucis vectos per urbem obvios habemus, illic contemneres. Aureum enim vellus, torques, cingulum coeruleum, Divique Januarii faſcia, quae inſignia ſparſim in ſingulis conſpicimus, ſi illic adeſſes, tibi amuleta puerorum collo ſuſpenſa viderentur. Ita quidem ſole ſurſum emergente, ſuo lumine caelum colluſtraturo, quae noctu micuerant ſtellae, ſtatim evaneſcunt. Et tu, jam jam diſceſſurus vix mihi ſalute dicta, frigide, tamquam leve quippiam praeſcriberes, frigide, inquam, dixiſti, fac, quaeſo, ubi rediero, jam deſcripta inveniam, quae poſtera luce Regiis in aedibus in ſollemni Regiae manus oſculatione peragentur. At at nunc demum intelligo, quid te impulit, ut ita te mecum gereres. Nimirum, quae tu nullo negotio conficeres (eccui tuum divinum ac verſatile ingenium, tuaque pene Tulliana eloquentia latet?) ea ceteros tecum neutiquam conferendos perinde facturos confidis. Pace tua dixerim, oppido erras. Quid? Stomachanti ſimilis iſta percurris, quaſi ut auribus tuis ſervirem, tibique impudenter aſſentarer, haec ſcripſerim? Moriar, ni ita ſentiam, quae ſcriptis conſigno. Quae enim metro adſtricta, ſive ſoluta oratione typis edidiſti, nonne ita animos omnium admiratione perculerunt, ut nihil limatius, nihil argutius, nihilque ſublimius fingi poſſe uno ore praedicarint? Haud diffiteor iſta per te, quae tua

mo-

modeſtia eſt, non ſine viſcerum perturbatione legi, atque ita gravatim ferre, ut nihil magis. Verum enim vero aequo animo id patiaris oportet; ſi quando ita verum dici neceſſe eſt, ut, ſi aliter fit, falſi notam vix declines. Haec qualiacumque ſunt aequi bonique facito, meliora atque limatiora accepturus. At, inquies, quid de Antigono, qui tamdiu e regione Theatri ac in frequentioribus urbis locis in vacuum pependit populi exſpectationem concitaturus? Cecidit, ac parum abfuit, quin cantores ſibilis exciperentur, praeter Pſaltriam, quae ſecundas agebat, quae a ſiparii ſubductione uſque ad ejuſdem deductionem maxima ſpectatorum voluptate recto talo ſtetit. At, inquies, ſaltatores tamquam ſuccenturiati, integris viribus pugnam reſtituerunt, ac quominus fabula omnino caderet impedierunt? Nihil minus. Credideris! ruſtica ſaltatio more accolarum ad Olympiam oram peracta non inficete, aliquantiſper ſpectatores jam moleſtia confectos demulſit. Atque haec de Theatro hactenus. Meum negotium non parvi momenti ne incurioſe tractes, caveto. Quid pluribus? Quaſcumque adverſarius feret conditiones accipias te rogo, propemodum dixerim etiam manifeſto iniquas. Vale.

EIDEM. 214

QVod pene jocans ſcripſeram, neque putaveram uſque adeo patere, ut fere ſemper ad verum accederet, jam manibus ipſis contrectaſſe, atque experientia ipſa comprobatum deprehendiſ-

ſe

ſe quantopere laetatus ſim, difficile dixerim. Falſo enim, vulgi opinione ductus, crediderам firmum ac ſucciplenum corporis habitum nonniſi exquiſitis epulis comparari. Quod contra accidere heſterna die domi tuae comperi. Adhuc animo haeret imago incomparabilis Michaëlis, qui longe a ſuis diſſitus, omni pene pecuniaria ope deſtitutus, tantum paucorum nummulorum auxilio, quos ſibi ſacro quaeritat famulitio, ita victitat, licet parce & duriter, ut numquam non illi bene eſſe videatur. De facie ſi quis judicet, jam haud dubie illis accenſeat neceſſe eſt, qui in id unice incumbunt, ut cuticulam curent diligentiſſime. Roſeus eſt illi color, vultuſque ita nitidus, atque perpaſtus, ut nihil ſupra. Verum mirari deſii, ubi in illas incidi Biblicas lectiones, quas ex Daniele horarium penſum abſoluturi recitamus. Jam tribus pueris tantum virium, ac ſucci ex leguminibus acceſſerat, ut aliis, qui Regiis epulis nutriti fuerant, quando ad Regem de more adſtiterunt, longe plurimum excelluerint. Quid ni? ut divinam taceam opem, qua fovebantur; morum probitas, animique motus, ſi tempore edomentur, id pariant neceſſe eſt. Proh quanta virium jactura fit per illos, qui genio indulgentes libidinibus fraena relaxant? Quot morbis ſponte ſua implicantur, quibus ceteroqui omnino carerent? Atque ex vita licenter acta, macies atque febrium cohors terris incubuerunt. Amice in paucis care, aut potius unice, te etiam atque etiam rogo, ut illum pro virili cohorteris, ne initam vitae rationem deſerat. Donec ipſi caro jurulenta licet perperam,

peram, ſed ſuis ipſius manibus parata ſapiet, me vade Hercule ipſo robuſtior evadet. Neque ipſum a propoſito deterreat, quaeſo, praepoſtera, qua interdum uſus eſt, aquae infuſio. Periculo quippe ſuo edoctus tantam rei culinariae notitiam aſſequetur, quanta corpori tuendo, incolumique praeſtando ſufficiet. Jam ediſcet, quod ubi jurulenta caro paranda erit, prius ſuillus adeps non ſine intrito allio liqueſcat neceſſe eſt, quam caro coquenda apponatur. Si vero aſſa placet, ita veru vertatur oportet, prunis pro modulo carnis ſuppoſitis, ut igneus calor ſenſim ſine ſenſu carneos meatus pervadens illam paullatim excoctam reddat. Quod, quî acetabulum inſtrueretur, probe calleret, gaviſus ſum vehementer. Lotus quippe intubus, ubi aqua omnis defluxerit, antequam oleo acetoque perfundatur, ſale aliquantiſper maceretur neceſſe eſt. Rigidae quippe frondes prae frigore, teneriores evadunt. A pulte ſive candida, ſive viridi, quo ſcorpione cautius abſtineat meo nomine moneto. Longum ſane tempus apposcunt, curamque non vulgarem. Quî tempus ſupererit vacuum ei, qui totum mane genibus perreptando inſumit? Eos ſemper cibos anquirat, quos momento temporis pararit. Laborioſae atque ſumptuoſae epulae beatis relinquuntur. Atque haec hactenus; cetera, ſi opus fuerit, ſcribam ubi majus otium nactus fuero. A me illi ſalutem dicito officioſiſſime. Oculitus enim illum amo neque immerito. Vale.

EI-

EIDEM. 215

HAud temere fuit, quod paucis abhinc diebus cum otioſi ſermones caederemus, ſermo eo deduceretur, ut opportune de Michaële noſtro mentio incideret. Ea per te comperi, quae numquam alias ſciſſem. Jam quibus parentibus ortus, cujas eſſet, quidve, quo tantum itineris devoraret potiſſimum impulit, non mediocri animi voluptate intellexi. Vtque aperte, quod ſentio dicam, illud mirum in modum mihi volupe fuit, quod integra aetate adoleſcens, peregre abierit omni fere imparatus ſubſidio, quo patriis commodis, ſuorumque utilitati fratrum, quoad fieri poſſet, diligenter inſerviret. Neque ipſi profecto laeva mens fuit: namque res ita ſe ſe habent, eaque ſe dant initia, ut non fruſtra ſperetur, fore ut votorum compos evadat. Jam ſupplicem libellum, quem rudem, atque inchoatum acceperam, perfeci, atque hoc matutino quam diligenter perferendum curavi. Interim cetera Deo permittemus, quem, quidquid contra blateret impurus Epicuri grex, certo certius eſt ita rerum noſtrarum ſatagere, ut nihil magis. A me Michaëli optimae indolis adoleſcenti ſalutem dicito plurimam, utque bono, fortique animó ſit cohortare. Adverſis quidem rebus recto ſtare talo, atque fortem, animoſumque apparere, nedum difficile verum etiam arduum eſſe, ecquiſnam ignorat? Vale, meque, ut facis, ama.

EI-

EIDEM. 216

QVi meas res, neque eas parvi momenti vel obiter curo, vel, quod ſaepius contingit, omnino negligo: nunc ceteris poſthabitis, ita bene morati adoleſcentis negotium ſuſcepi, ut id unum mihi penſi eſſe videatur. Vix enim ſuperiore nocte domum redii, cum ea chartis ſedulo conſignavi, quae amicum meum vehementius impellerent, quo negotium acrius libentiuſque perageret. Genus quippe apprime honeſtum, parentes optimos, familiam a forma juxta atque ab liberali educatione ſupra fidem commendatiſſimam, eamque frequentiſſimam, tandemque Michaëlem eximiis, quibus praeditus eſt, dotibus ſic expinxi, ut ea vel efferato atque immiſericordi lacrymas exprimerent, nedum ad miſericordiam cierent. Vſqueadeo verum eſt haud caſu, quae hîc fiunt, contingere; ſed cuncta ita per hujus univerſitatis opificem, atque effectorem Deum temperari, ut, quidquid accidit, non de nihilo accidiſſe exiſtimetur oporteat. Jam nec opinus dumtaxat occurſus quot quantaſque, ſpero, pariet commoditates! Praeterea cumulus felicitati accedet, ſi & tu, uti te non deſpero facturum, illum qua re, qua conſilio juveris. Adoleſcentem optime inſtitutum, atque exemplo tenellula in aetate perraro adverſam fortunam fortiter ſuſtinentem meis verbis plurimum ſalvere jubebis. Vale.

EI-

EIDEM. 217

JAm apud me in animo conſtitui, quid Michaëli noſtro mittam, ubi Martinalia adventabunt. Capum coëmendum jubebo, eumque perpaſtum. In pervigilio, ut tenerior evadat, quo mactetur, haud mihi in poſtremis erit. Ipſo in Martinalium die, jam fartum ſedulo, uva paſſa, nucleis pineis, pipere, caryophyllis, ſuis ipſius extis, noſtratibuſque paſtill[illegible] in furno munda in teſta non ſine jam liquato ſuillo adipe compoſitum coquendum naviter curabo. En uno in ferculo non contemnendo hoc praeſertim in tempore, quo maxima in aeſtimatione ſunt, quippe quod capi hieme teneriores quam aeſtate deprehenduntur, plura per epitomen invenientur. Qui ipſe adoleſcens frugalis eſt, paucíſque contentus, ſi meridie farturam, ne refrigerata vileſcat, comedet una cum pectore lacte ipſo delicatiore; jam nocte appetente, quoad reliqua, pene laute coenabit. Neque avaritiae per te, ſpero, inſimulabor, quod munuſculum levidenſe mittam; quippe probe [illegible]ſti extrema omnia vitio laborare. Si qui [illegible]ce vixit, helluari incoeperit, jam de eo actum erit. Cruditate ſtatim conficiatur neceſſe eſt. At ſi paullo lautius aliquando cuticulam curarit, vix eſt ut de ſalute periclitetur. Quare haud dubie me laudabis; quodque ita factum oportuit, tute confiteberis. A me illi vere frugi adoleſcenti, intraque naturae praeſcriptum, quae paucis eſt contenta, vitam

traducenti ſalutem nuntiato Athleticam. Cura, ut valeas.

EIDEM. 217

AEtatem jam te non vidiſſe putabam, ubi inter agendum animo occurriſti meo, & quandonam non occurris? Tanti te merito facio. Totum enim heſternum diem, quantus quantus fuit, licet te anxie quaererem, haud mihi obtigit, ut te obvium haberem. Non ſemel totam Olivetanam viam decurri, ſi forte tui Patroni, quem cunſtì Moecenatem alterum demirantur, aedes petiſſes, officia de more perſoluturus. Verum fruſtra. Hinc Toletanam ingreſſus viam non incurioſe illam luſtravi, jamque eam emenſus fueram, cum pene mihi viſus fuiſti. Teſtudineum gradum, quo otioſe utebar, acceleravi, jamque in eo eram, ut te aſſequerer, cum me pervidiſſe deprehendi. Mirum quanto ego tum opere dolui. Illinc ad Regias in altum jaƈtas moles reƈta contendi. Illud vero cavi ſedulo, ubi ad aream, quae ante Caſtrum novum explicatur, ut undiquaque licet ἐν παρόδῳ circumſpeƈtarem, ſi qua forte occurreres. Vbi, quo contenderam, perveni, prope Pharum lunae aemulam aliquantiſper ſubſtiti. At veſperaſcente jam caelo, cumque acrius rigeret, domum redii. Neque dum ſpem abjeceram omnem te forte fortuna offendendi. Cum hujuſmodi ſpecula alerer, ecce tibi, ubi ad proceras populos perveni, iterum te viſus ſum proſpicere. Anteibat quippe gradu quam concitato (quod gracillimis quam fami-

familiare eſt) qui te ad unguem referebat. Talari enim veſte indutus triangulari pileo caput tegebat. Nigram oſtentabat comam beneque pexam, & collare neſcio quid Romanum redolere videbatur. Quid plura? Pene junceus erat: ita curatura corpus attenuaſſe videbatur, ne pugil audiret. Properavi gradum, ut vix ilia ducerem: jam acceſſi, ac jam pene ſalutaveram, cum errore cognito ſpiritum compreſſi. Quare ſubiratus diſceſſi, domumque repetii tibi quam infenſiſſimus. Hem! te perdant Dii Deaeque omnes, qui ita quandoque e conſpectu abis, aut potius evaneſcis, ut lemuribus, atque larvis, &, ſi quid aliud imperitum vulgus commentum eſt, quam ſimillimus evadas. Namque quaſi neſcias, qui angar, quibuſque ſolliciter curis, in utramque aurem otioſus dormis. Refer paulliſper te ad me, & non obſcure dignoſces, an temere doleam. Num quaeſo, quidquam perfidia taetrius, monſtroſiuſque fingi poteſt? Quare te etiam atque etiam praeſtolor, quo, ſi quid novi accidit, per te certior fiam. Si negotiis impediris, quominus venias, egomet te conveniam, &, quo juſſeris, libens me conferam. Ad Mergillinem, vel ad colles Levcogaeos juſſeris, ibo. Vale.

EIDEM. 219

QVam deſipiunt, qui uſque adeo hujuſce temporis mores caeco pene impetu ſequuntur, ut quid antehac ac proinde patrum noſtrorum tempeſtate in more poſitum fuit, ſcire negligant omnino; aut tamquam quid abnorme obſoletum rancidumque aſpernentur. Quam ſtulte ſapiunt, inquam, quaſi ſi ipſis tantum naſum habere datum ſit, ceteri fungorum ritu, nullo poſt ſe veſtigio relicto, eſſe deſierint. Hinc nihil iſtis carum, nihilque jucundum, niſi ſi Anglicum, ſive Gallicum quid redoleat. Ne calantica quidem, aut flabellum recipitur, ni certo certius ſit, quod peregrinis artibus confecta ſint. Cibus deſipit, imo ne libatur quidem, ni illum Gallus coquus pararit. Marceſcant oportet in apothecis panni ſive ſerici, ſive lanei, qui non mare tranſmiſerint. Quid dicam de ceteris? Vinum verna atque indigena tunicato popello turbaeque forenſi epotandum relinquitur. Oleum, atque vel ipſum acetum, niſi e longinquis regionibus advehantur, nullius pretii ſunt, menſaque ab his imparata, tamquam ſordida vileſceret. Vel ipſae ſcopae niſi externae, contemnuntur. Quid, ſi ad theatra gradum faciens, ſaltationes commemorem? Pſaltriae dumtaxat peregrinae laudantur, atque ritu peregrino veſtitae. Tum vero perplacent, cum alticinctae in ſcenam prodeunt miro modo ſaltaturae. Quod ſi choreis mutatis, uti ſaepe fit, indigenam ſaltationem ad vivum exprimunt, vernaculis veſtibus, redimiculis, ceteriſque, quae

inco-

incolarum mores ferunt, adhibitis, ſtatim ringuntur, theatrique redemptorem diris devovent exſecranturque. Vel ipſa Sabbatina ſaltatricularum praeſtantiſſima, quae Caſſiopes natam imitans ad ſcopulum deſerto in littore alligatam jam jam a marinis monſtris devorandam, quae tantopere corporis poſitu atque ore pallidulo ſpectatores alliciebat, inque ſui amorem vel invitos pertrahebat, quî frixit ceciditque, ubi Olympico more induta vernaculiſque inſtrumentis pulſatis ſaltabat? Et tamen, ſi remotis arbitris res ageretur, aperte faterentur, ſe iſta effutire, quo novis atque peregrinis rebus ſtudere videantur; ceterum haud ipſos tantopere taedere vernarum, ut illas deſpicatui habeant. Experti ſaepe ſunt, quam dulce quamque jucundum ſit Olympicam puellam cereis teretibuſque brachiis eamque toroſam ad numerum ſaltantem ſpectare. Abeant, quaeſo, in malam crucem recentium morum ſectatores, ipſi quidem vel ipſis fungis inſulſiores. Hoc quidem ſapere eſt, dum, vere quod ſapidum eſt, quaeritur; haud vero cum ſapere falſo arbitramur, quod revera deſipit. Quorſum haec ad te ſcripſerim, facile intelliges, ſi quod proxima nocte in theatro accidit, tecum ipſe paullo attentius reputaveris. Vale.

RAYMUNDO SANGRIO

S. Severi Principi.

Paulus Moccia S. D. 220

TVa ſumma eruditio, impenſumque in omne ingenuarum bonarumque genus artium ſtudium, ſingulariſque amor quo litterarum cultores eximie proſequeris, me multis nominibus tibi obſtrictum impulerunt licet volentem libentemque, ut tibi haec qualiacumque meum gratum animum quoquo modo teſtantia ſcriberem. Qui enim quamcumque mihi occaſionem offerri cupiebam, quo tibi meam obſervantiam ſignificarem, quod nunc amicorum cohortationibus ac ſuaſu mihi ſit in promptu, laetatus ſum vehementer. Emiſſurus quippe in publicum, quas identidem pro re nata conſcripſeram epiſtolas, quo meae erga te benevolentiae aliquod monumentum inter illas exſtaret, qua potui, eniſus ſum. Alias, quî non tamquam ingratus traducerer, quippe qui nihil typis edidiſti (multa enim eaque cum erudita, tum nulli adhuc peracta opuſcula publici juris feciſti) quod non mihi tuis ipſius manibus Regiis in aedibus perliberaliter dono dederis. Quî vero domi tuae exceptus ſum, quot quantiſque inauditae benevolentiae indiciis, ut officiorum copia pene obrutus rubore ſuffunderer? Pene jam memoria exciderat, quod primum memorandum erat. Qua humanitate non mihi ea legenda praebuiſti, quae jam in forulis ſer-

ſervabas? Adhuc mihi ſalivam movet, quod jam pene adornaras militare Lexicon, quo aeque antiqua atque nupera in militiam invecta vocabula Italico puro puto ſermone complectebaris. Opus profecto mihi viſum eſt, cum omnijugena ſcatens eruditione, tum vero iis qui caſtra ſequuntur dubio procul utiliſſimum. Vno quippe intuitu tum vetuſtas, tum recentes militares nomenclationes quam facillime proponebas. Quodque caput eſt, brevitate qua fieri poterat maxima, judicio tamen ſane quam eleganti accuratoque nihil omnino reliquum faciebas, quod ad univerſam veteris, neotericaeque militiae ſcientiam cognitionemque ſpectaret. Nullus praeterea finis eſſet ſcribendi, ſi quae in Chymica phyſicaque obſervatu digniſſima ſepoſita habes, vel molli brachio perſequerer. Ἐνὶ λόγῳ: tu privatis opibus ea es aggreſſus, quae vel Satrapen deterrerent. Quid mathematica commemorem? In iis tantum excellis, quam qui maxime. Quid? Nedum hîc quotquot de litteris meriti ſunt te unum obſervant teque tamquam eorum patronum jure ac merito intuentur; verum etiam exterorum litteris coleris, amicitiaque Regum cum armis tum litteratura, quanta ea cumque ſit, florentiſſimorum, ipſe unus omnium dignaris. Nonne igitur, amabo te, in publicam exſpectationem peccaſſem, omniumque vota fruſtratus ipſe eſſem, ni, tuo quoque ampliſſimo nomine confiſus, in publicum prodiſſem? Patere igitur, ut ego & cunctorum cupiditati, & meis erga te officiis qualicumque hac bonae voluntatis ſignificatione ſatisfaciam. Namque, ſi haec, pro ea qua es hu-

manitate ac modeſtia, aequi bonique conſulueris, haud ſcio an tuo patrocinio fultus, tuiſque auſpiciis veluti manu ductus, poſthac σὺν Θεῷ ad majora atque ampliora contendam. Te enim facem praeferente, quis non ſe viae virtutis vel impeditiſſimae committet? Vale noſtri ſaeculi decus ac ornamentum, meque, ut facis, ama. Ex Aedibus Regii Ephebei III. Id.Jun.CIƆIƆCCLXIV.

MARCHIONI BERARDO GALIANO

Paulus Moccia S. D. 221

HOc matutino cum me domi continerem pridiani morbi reliquiis obviam iturus (numquam enim eſurialium ciborum cauſſa κακοστομαχώτερος fueram) mirum quantum gaviſus ſum, quod me una cum mellitiſſimo Dominico Amato inviſeris. Inviſeris autem? Imo te viri medici perſonam ſuſcepiſſe affirmabas, quippe qui bacillo innitereris, quod in aureum caput deſinebat, comaque adſcititia utereris hemicyclica, tuum vero ſocium hiſpanico focali ornatum ita ſe gerere, quod ſectatoris officio fungeretur. O lepidum caput! O virum ceterorum bono natum, miſeriiſque, ſi quibus urgentur, levandis! Protei ritu quaſcumque te in formas vertis, quod, ne αἰνιγματωδῶς loquar, eodem recidit ac ſi te omnium horarum hominem commodumque praedicarim. Venatoris enim inſtar ea expiſcaris illicia, quibus quiſque maxime pertrahatur ac oblectetur. Quare ſi tibi infirmus adeundus ſit,

ita

ita te accommodas, teque demittis, ut tui oblitus, aegroti naturam ingeniumque ſecteris. At vero ſi cum eruditis doctiſque ſermo habendus eſt, quod quotidie domi tuae, quo nedum totius urbis, verum etiam Italiae litterati omnes confluunt, tum tanta te eruditione commendas, quanta re quidem vera ab homine, cui immori tantum libris, atque impalleſcere chartis volupe eſt, exſpectaretur. Quoties ego tuis colloquiis interfui, ac quot quantaque ſapientiae praecepta hauſi, quae mihi haerent in animo, haerebuntque perpetuum! Jam vero finis non ſit, ſi quanta matheſeων cognitione praeditus es, hic vel leviter attingere vellem. Hic haud dubie paſſis velis ſecundiſque ventis mea exſpatiaretur oratio. Praeterea, quem praeterit, qua omnium laude, reique publicae commodo Vitruvii Pollionis Italicam verſionem aggreſſus, quantoque ſumptu proſecutus, tandem aliquando ad exitum adduxeris? Neque id perfeciſſe contentus, quo id promeritus es, ut inter Etruſcos Academicos cooptareris; auctorem etiam ſive ſuopte ingenio, ſive temporum vitio plerumque σκοτεινὸν, pene perpetuis adnotationibus, iiſque permira eruditione obſervationibuſque tuo ipſius marte elaboratis plena manu refertis, majore, quoad fieri poterat, in lumine collocandum curaſti. Quae cum ita ſint, quis demirabitur, quod cum non ſemel atque iterum Herculanenſe effoſſum theatrum ſpectatum perrexeris, ſtatim ichnographiam illius exarandam curaveris, illudque ligneum ſic effinxeris, ut nulli non pateat orcheſtra, proſcenium, pulpitum, locuſque ſcenarum, quas verſatiles fuiſ-

ſe

ſe ita e quibuſdam ſignis oſtendiſti, ut nullus omnino dubitandi locus relinquatur? Praeterea, quam belle ſe ſe intuentibus offerunt loca ſenatoribus, equitibuſque deſtinata, nec non popularia! Quid commemorem cuneos, ſcalas ſeu vias, διαζώματα ſeu retractiones, vomitaria, atque oſtiola? Nihil non illic efformatum, nihil non ad vivum effictum. Et tamen neque dum quieviſti. Jam Frontinum manibus terebas, multaque jam in unum congeſſeras tamquam per lancem ſaturam, quo illum Italice verſum juxta atque illuſtratum publici juris faceres. Vrge precor tantum opus, quod mirifice profuturum quis dubitaverit? Illud vero te etiam atque etiam oratum volo, ut tuae valetudini, tuaeque elegantiſſimae familiae parcas. Ita quaeſo publico bono fac ſtudeas, ut ne tui tuorumque oblitus eſſe redarguaris. Quid profecto turpius fingi poſſet, quam ſi is, qui virum medicum pro re nata profitetur, ſuam ipſius ſalutem poſthabuiſſe, idque non ſine peſſimo publico, convinceretur? In illud igitur tota mente fac incumbas, ne ita te geſſiſſe, quod ſane nollem, jure ac merito inſimuleris. A me Dominico Amato, quem tanti facis, ut tui ſectatorem unicum ſelegeris, quippe quem te eruditione, diſciplinisque omnibus apprime referre poſſe intellexiſti, a me, inquam, ſalutem plurimam nuntiabis, quam etiam Danieli tui perſtudioſo peramanter imperties. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei Idibus April. CIƆIƆCCLXIV.

MI-

MICHAËLI SARCONIO

Paulus Moccia S. D. 222

HOdie vix a prandio meridiatum de more perrexeram , cum mihi redditae ſunt tuae litterae , quas ex compoſito avide exſpectabam . Vbi tamen illas legi , non omnino conquievi . Nam tantum mihi *οὐδὲ πάρεργον* ſignificaveras ad me venturum conſtituta hora amicum tuum , at *μνημόσυνον* nullum miſiſti , quemadmodum domi tuae conveneramus . Tandem a meridiatione , quae ſane perbrevis fuit, en aliae abs te litterae allatae, quibus illud nuntiabas, jam rem in aliud tempus rejectam , veterique more pronuntiatum fuiſſe : non liquet. At ego jam cum amico egeram , iſque in ſe negotium ſuſcepturum mihi ſancte receperat. Verum , uti par erat , ſtatim manum de tabula. De eo autem te multum amo, quod rem mihi ita aperiendam cenſueris, ut non parum inde me profeciſſe laetatus ſim. Licet enim aliud agens atque *ἐν παρόδῳ* mihi varia Secalis genera , nimirum ſecale hibernum, vel majus; vernum, vel minus, illudque, quod Germani *Mutterkorn*, ſcilicet ſecalis matrem, appellant, ceteraque hujuſcemodi ſignificaſti ; quidve illis natura inſitum ſit , ita oſtendiſti , ut nihil fieri poſſe videatur argutius. Ad haec, an in cibum recipiantur , proſint ne , an obſint, quaenam effecta pariant , & an ſint confundenda cum iis , quae cornuto ſecali adſignantur, aperte demonſtraſti. Quanto autem opere decepti ſint viri

cete-

ceteroqui doctiſſimi, qui ſecale e rebus cibariis prorſus eliminandum putaverant, qua brevitate, quibuſque rationibus quamque ponderoſis probaſti! Et quod magis eſt, in lecto jacebas neſcio quo morbo implicitus, qui te mire torſerat. Neque praetereunda ſilentio tibi viſa ſunt, quae Plinius, ac Nonnius in hanc rem appoſite litteris prodiderant. Primus enim haud inficiatur, ſecale ad arcendam famem utile eſſe, eique propterea far admiſceri, quo ejus amaritudo mitigetur. Alter vero diſertis verbis affirmat parari etiam panem ex ſecali, eumque ſeptentrioni familiariſſimum eſſe, licet id Graecis ignotum fuerit, nec Romanis in uſu. Atque hinc haud mirabile videri, quod in Britannia, atque in ipſa Gallia, & ſeorſum, atque una cum frumento, pene partibus aequalibus, feratur. Quî igitur fides erit Hoffmanno, qui in ſecale tamquam veneno imbutum invehitur? Poſtremo veluti majorem fidem rei, qua de agebatur, facturus, mihi James, Nonnium, Mullerium ac Bauchinum, viros de medicina praeclariſſime meritos mittendos curaſti, quo ipſemet legerem, quae tu ceteroqui tam diſerte tamque erudite litteris αὐτοσχεδίως ſcriptis, &, quod caput eſt, e lectulo, conſignaveras. Tibi igitur gratias ago, tum quod mihi ad viri ſane quam honeſti amicitiam aditum aperueris; tum etiam, quod ea, quo ipſi morem gereres, ad me ſcripſeris, quae mihi grata jucundaque acciderunt, utilitatemque non mediocrem attulerunt. Quin imo & illud addiderim nec temere, pene habendam eſſe gratiam rerum caritati, ac praeſertim frumenti difficultati,

qua hoc Regnum cetera florentiſſimum ita laboravit, ut nihil ſupra, cum tantum boni pepererit. Illud vero te etiam atque etiam oro obteſtorque, ut valetudini parcas, ac litteras, quas impenſiſſime colis ac labore improbo proſequeris, aliquantiſper intermittas, acrius illas revocaturus, ubi omnino convalueris. Id abs te litteraria Reſp. poſtulat, de qua tam praeclare meritus es, hominumque genus, cujus ſaluti ſtudes; idque tuus amantiſſimus filius iſque unicus, tuaque incomparabilis uxor efflagitant. Ita fac igitur, ut Reip., tibi, tuiſque proſpectum iviſſe videaris. A me Marchioni Berardo Galiano, viro τῷ πάνυ, ſalutem dices. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei poſtrid. kal. Jun. CIƆIƆCCLXIV.

DOMINICO AMATO

Paulus Moscia S. D. 223

QVam tibi mitto oden, vix ingratiis domeſticorum malorum, Apolline ad ravim uſque, licet non rite vocato, tandem aliquando extudi. His accedit quod Heros ὁ μακκρίτης Apollineis laudibus ornandus laudatorum ingenia ingenti rerum bene geſtarum copia mirifice torquet. Nam unde initium ac finis inveniatur, id profecto opus, hic labor eſt. Quae cum ita ſint, quid tirunculo atque muſarum ſacris vix aut ne vix quidem initiato, quid, inquam, negotii faceſſerint inficeta carmina atque invita minerva effuſa, tute, qui jam ſtadium decurriſti ac rude donatus es, facile judicabis. Illud tamen curavi, id-

idque extra jocum, ne tibi imparata omnino ſiſterentur. Quare amici emunctae naris illa judicio ſubjeci, quo paullisper luſoriis armis praeluderent, antequam te adirent gladiis verſis decertatura. Hui, quam vereor, ne, vix inito certamine, non bene parmulam relinquant! Si latere tecto abſcedere illis licebit, praeclare mecum actum exiſtimabo. Ceterum, amoto ludo, illa concide, lancina, concerpe, muta, obline, dele, ignique tandem addicito, vel ſalſamentario mittito, utpote piperi involvendo cucullisque faciendis non inepta. A me Marchioni Galiano, ac Maximiliano Muraenae, viris auro contra non caris, meique ſtudioſiſſimis, ſalutem impertitor plurimam officioſiſſime. Vale, meque, ut facis, ama. Ex Aedibus Regii Ephebei a. d. IX. kal. Jun. CIƆIƆCCLXIII.

FRANCISCO DANIELI

Paulus Moccia S. D. 224

LOcum Philonis Hebraei qua potui ſedulitate recenſui, atque correxi. Verum illud vereor, ne quod mendum, in illo deſcribendo, irrepſerit. Illud enim *κολοσσιαῖα* procul dubio *κολοσσαῖα* ſine jota ante diphthongum ſcribendum eſt. Ceterum, an ita ſe res habeat, tute, qui ipſummet graecum Auctorem, quem penes me minime habeo, facile legere potes, tute inquam melius videre atque ſtatuere poteris. Si qua alia correctione amplius opus eſt, haud efficiam, ut meum officium requiras. De tibialibus, quod

vel

vel aliud agens adſcribis, valde te amo: verum coram, quod reliquum eſt, nec epiſtolae committi poteſt, tribus tantum commutatis verbis, tranſigemus. A me Marchioni Spiriteo, cujus in ore pene habito, quemque tamquam alterum parentem colo atque obſervo, ſalutem plurimam impertitor, quam etiam tuo germano ſuaviſſimis moribus optimaque indole adoleſcenti meo nomine officioſe nuntiabis. Vale.

MICHAËLI TESTAE

Paulus Moccia S. D. 225

OMnem prorſus culpam in Campolongum de ἀρχαιολογία dubio procul praeclariſſime meritum, philologumque incomparabilem transferto, ac me vade atque praede congerito, quod promiſſis haud ſteterim, verbique immemor viſus fuerim. Ipſius enim fere divinae Polyphemeidos dulcedine juxta atque non vulgari eruditione captus nihil aliud penſi duco. Vix primo mane e lectulo ſurgo, cum illam in manum ſumptam numquam depono, niſi jam dies ad umbilicum pervenit. Veſperaſcente caelo poſt inambulatiunculam domum reverſus, mutata ſubucula, en iterum Polyphemo modo ira exaeſtuanti, diriſque caelum, numinaque omnia laceſſenti, modo tamquam ad bonam frugem redierit, ſuperis grates perſolventi, quod ſaxeum melliciſſimae Galateae corculum emolliverint, ejuſque vota ad bonos exitus duxerint, libentiſſime aures animumque ac-

accommodo . Credideris ! nullus omnino mihi ſomnus vel nocte procedente obrepit : nulla omnino me ſaturitas capit : quin imo , quo ulterius progredior , nova incendor cupiditate , tamquam fames ambulando excitetur . Qua de re nullus dubito , quin cum eruditiſſimo aeque atque acerrimo litterarum Moecenate Marchione Berio praeclariſſime actum ſit, qui talem tantumque ſuarum laudum praeconem invenit . Haud illi dolendum , quod chartae ſiluerint , quod bene fecerit . Satis enim amplam laborum mercedem ſe jam tuliſſe , laetetur oportet . Nulla deinceps taciturnitas ejus in Remp. litterariam promeritis obſtabit . Macte igitur eſto tanta felicitate , ac litteras, quibus ipſe ad miraculum excolitur , foveat poſthac eodem quo coepit ſtudio promoveatque . E diverticulo in viam . En cur factum eſt, ut ad duos treſve dies meis litteris carueris , fidemque datam nolens repugnanſque violarim . Illud tamen tibi praeſto ac recipio , numquam me facturum , ut ceſſator redarguar , ſimulac Polyphemeida abſolvero . Jam enim in eo ſum , ut voti planiſſime compos evadam . Vt verum ingenue fatear , jam ad calcem libri perveniſſem , ſi heluari mihi volupe eſſet . Attentiſſime cum legerim , relego diligentius : metuo cruditatem , quam heluones minime pertimeſcunt . Fluvida enim iſti ac prona alvo egerunt , quod neutiquam concoxerunt . A me Campolongum Polyphemeidos cedro linendae auctorem mihi amiciſſimum ſalute pugilica impertieris officioſiſſime , nec non Malarbium πολυμαθέστατον ac πολύγλωττον , commu-

mu-

munem amicum, ſalutem tandem etiam meo nomine dices plurimam Danieli, ac Andreae, Muſarum alumnis lectiſſimis. Vale.

EIDEM. 226

ADhuc mihi ante oculos obverſatur ſpectrum tui feſtiviſſimi alumni, qui heri perveſperi mecum colludebat tamquam cum paribus verſaretur. Proh mirae inſtitutionis virtus! O non poenitendi magiſtri ſingularis ſapientia! etiam in tenella aetate ſe prodit vitae ad maturitatem perductae fructus. Haud hîc adſonant crepundia, perſtrepuntque chiramaxia, aut in arundine longa equitatur, aedificantur caſae, aut tandem ploſtello mures junguntur. Hîc nihil apparet, quod non perfectum virum ac ſubactae virtutis prae ſe ferat. Ludi, puerilia oblectamenta, nullo in pretio ſunt, ſordentque. Macte iſthac virtute igitur eſto, Michaël, qui facis, ut pueri ſenes evadant, eaque polleant prudentia, quam ceteri, nonniſi exacta aetate, adſequuntur. Non diſſimilia etiam demiratus ſum in Clariſſimi Comitis Coppolae liberis, quos domi tuae primum cognovi. Proprio quodam naturae munere facti videbantur, ut humanitate, benevolentia, comitate, morum facilitate vel invitum repugnantemque in ſui amorem pertraherent. Ad corporis bona animi dotes ſi acceſſerint, divinitatem proxime attingimus. Quare haud dubitarem illos Διογενεῖς appellare. Vere enim ab Jove ſati videntur. Quare jure ac merito invidendus videtur eruditiſſimus aeque ac amiciſſimus Antonius,

qui tantos alumnos ad virtutem manu ducit. Quis ſcit an per illos heroum emortuum genus reviviſcat? A me illis una cum τῷ πάνυ magiſtro, ac Campolongo quantivis pretii viro ſalutem plurimam nuntiato officioſe. Vale. Poſtr. kal. Sept. CIↃIↃCCLXIII.

EIDEM. 227

QVod heſterna die neſcio quanam de cauſſa ira excandueris, tuique vix compos viſus ſis, id, ut verum ingenue fatear, haud aequo animo tuli. Natura enim odi, qui vel levi cauſſa tragoedias excitat, atque iracundiae ſervit. Quem fugit, iram furorem brevem eſſe, hominemque tunc temporis de ſtatu mentis deturbari? Hinc a belluis haudquaquam diſtat, cum ab illis tantum ratione atque oratione ſejungamur. Quare ſi ſapiens ille putandus eſt, qui ſibi ſuiſque perturbationibus animique aegritudinibus imperat; contra ſtultus eſt, qui illis obtemperat paretque. At inquies, poſthac ne expoſtulare quidem licebit, iramque, ſi qua eſt, evomere? Dirumpar igitur oportebit, ac peream, ſi quid aegre mihi fuerit, animumque momorderit? De fama, capite, boniſque dimicabo, iramque muſſitabo mecumque premam? Apage, quaeſo, has ineptias, iſtaſque de trivio ſumptas rationes bardocucullis, ac morionibus oggerito. Ego ſapio rem meam, meque ipſum in conſilium adhibeo, ſi quid facto opus ſit. Peream, ſi mutiam poſthac. Verum illud cogites velim, te abs te abeſſe cum iraſceris, tuique impos evadis. Paulliſper

liſper expecta, dum ira deferbuerit, & vocibus inconditis parces, & tibi tuaeque famae melius conſules. Haud deſpero fore, ut, pro ea qua excellis humanitate animique modeſtia, haec aequi bonique facias; &, ubi reſipueris, mihi gratias perſolvas immortales. A me Campolongo ſalutem, Andreaeque Ligorio, Cajetanoque Antiquarum Balinearum inſtauratori optimo dices. Vale.

EIDEM. 228

TAndem eruditiſſimum atque numeris omnibus abſolutum Polyphemeïdos opus ab τῷ πάνυ Campolongo per artes pene non ante vulgatas architectatum atque ad exitum feliciſſime perductum, legendo non negligenter, totum percurri. Male ſit domeſticis malis, quibus factum eſt, ne ſitim, qua pene conficiebar, confeſtim expleverim! Quaſi jam ad calcem perveneram, cum inopinanter domum accitus fui, quo utrique Parenti jam ad ſenium inclinato, gravique morbo laboranti operam navarem. Quî tam juſta imperata recuſaſſem? Statim accurri, inſalutatis amicis omnibus, ſuppetias illis, qua fieri poterat, laturus. Hinc lectionem, quam avide inceptaveram, intermiſi, poſthac revocaturus, ſi illi convaluiſſent. Ita peculiari Dei beneficio prorſus accidit. Praeter omnium medicorum exſpectationem in priſtinum ſalutis ſtatum cum foenore reſtituti ſunt. Quare ſimul ac huc me recepi, intermiſſam Polyphemeida revocavi, tandemque abſolvi. Haec ad te, cujus in ore Campolongus

habitat, quemque in ſinu geſtas, idcirco fuſius quam par fuiſſet, ſcribenda duxi, quia per te non fucata ſapientia praeditum, atque exquiſiti palati virum ex induſtria volui meum de laudato opere patefieri judicium. Hui! inquies, nimium tibi ſumis, qui iſthaec effutias! Tun' de tanto opere hiſcere audebis? tune vix de pedariis judicibus unus pro tribunali ſedens ſententiam feres? Tune ſanus es, qui ſomnians iſta deblateras? Vin' me audire? Comprime, quaeſo, vocem. Alias, *Anticyram naviga*, pueri, ſenes, puellaeque omnes inclamabunt, qua tu cunque inceſſeris. Ohe! jam ſatis eſt. Parce, precor, tandem ſcommatis ac ſaevidictis. Parum abfuit, quin protelarer. Haud me fugit, me tanti non eſſe, ut, quid Polyphemëis valeat, aeſtimem. Quî id adſequerer? Verum illud fidenter ſcripſi, neque id recantabo, me tanta perfuſum eſſe voluptate inter legendum, ut jovis epulis adſidere, nectariſque pocula ducere viſus ſim. Id per te teſtatum Campolongo volui. En quo conſilio ſcripſi, & cur tibi id negotii faceſſerim. Quare alias abſiſte moveri, iramque in naſum inſilientem fac coerceas retundaſque. Illud vero, vel depoſito pignore, contenderim non defuturos, qui pro merito tantum opus laudibus in caelum efferent, necnon honorificis de eo judiciis curabunt, ut totum litteratum Orbem pervadat. Atque ita quidem fiet, ut, qui homines fallere decreverat, nulli non innoteſcat, ac vel invitus obluctanſque volitet per ora virorum. Illum meo nomine ſaluta officioſiſſime, utque haec animi mei monumenta

menta, qualia ea cunque ſunt, aequi bonique conſulat, obteſtare. Vale.

P. S. A me Marchionem Berium', ;quem 'facio plus quam oculos meos hoſce';' ſive per teipſum, ſive per ipſum Campolongum plurimum ſalvere jubebis. Iterum vale.

EIDEM. 229

HEbdomadarium penſum, quod per orbem peragimus, in cauſſa eſt, cur tibi in anteceſſum ea perſolvam officia, quae poſtero die Divo Michaëli ſacro, tibique luſtrico, de more praeſtari oporteret. Neque te ita juſti tenacem puto, qui id mihi vitio vertendum cenſeas, tamquam qui officio deſuerim. Quin non deſpero fore, ut id mihi laudi eſſe patiaris, quippe qui probe calles leges nedum commendare, qui cito, quod debet, exſolvit; verum etiam illum bis perſolviſſe arbitrari. Quare nullus mihi dubitandi locus relinquitur, quin haec, qualia ea cunque officia ſint, aequi bonique conſulas, atque ita admittas tamquam praeſens praeſenti, ipſe quoque unus ex ingenti ſalutatorum turba, praeſtiterim. Interim Deum Opt. M. oro, deprecatore Divo Michaële praeſentique ſequeſtro, ut te beneficiis omnibus ornatiſſimum quam diutiſſime incolumem tueatur. Ex Aedibus Regii Ephebei III. kal. Octob. CIƆIƆCCLXII.

GERARDO DE ANGELIS

Paulus Moccia S. D. 230

MArco Mundio τῷ μακαρίτῃ, viro praeclariſſime de litteris merito, omnino me acceptum referre profiteor, quod ad tuam amicitiam mihi aditus patuerit. Domi enim illius te primum propius cognovi. Millies vero te audieram e Roſtris concionantem. Atque jam inde nullam prorſus abire ſivi occaſionem, quin te quoquo modo colerem atque obſervarem. Hinc cum mihi negotium eſſet datum ab immortalis memoriae viro Nicolao Spinello Averſanorum Antiſtite, quo laudatorem in funus ampliſſimi Caſtropineani Ducis, utriuſque Siciliae Regis exercitus imperatoris conquirerem, haud diu mihi deliberandum fuit, quem prae omnibus deligerem. Neque id mihi ἄδωρον fuit. Tua mihi praeſtantiſſima opuſcula, cum ſoluta oratione, tum ἐμμέτρως conſcripta, dono perliberaliter dediſti. Aurea profecto ſunt, atque puriſſimam Italici ſermonis aetatem adamuſſim prae ſe ferunt. Quod vero jam aliam illorum editionem eamque & elegantiorem, & auctiorem adornes, mirum quantum laetatus ſum, ubi id per eruditiſſimum Cajetanum Migliore, nuperrime audivi. Cura, quaeſo, ut quamprimum publicae ſatis exſpectationi facias. Tuos enim fetus numeris omnibus abſolutos nemo non ſuſpicit ac deoſculatur. Interim illud te obſecro, ut haec qualiacumque animi mei ſenſa aequi bonique conſulas.

Mihi

Mihi credas velim, nihil eſt, quod mihi tui ſupra fidem ſtudioſiſſimo gratius facere poteris. Cajetanus Migliore te plurima ſalute peramanter impertit. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei v. Id. Jun. CIↃIↃCCLXIV.

JOSEPHO CARVLLO

Paulus Moccia S. D. 231

NOn temere factum fuiſſe opinor, ut proximis meis litteris ad te datis, in tui amantiſſimi germani nomine, cui ſalutem nuntiaveram, rotunde erraverim. Quae enim illi optabam potius animo reputans, atque in eo totus cum eſſem, in eam ſententiam nomen licet inſciens imprudenſque architectatus ſum. Hinc Felici ſalutem adſcripſi, cum ei nomen eſſet Michaëli. Ex quo quidem illum domi tuae cognovi, moribus aureis, comitate, atque animi modeſtia ejus ita captus fui, ut nihil omnino ſit, quod non ipſi proſpère feliciterque evenire vel conceptis votis exoptem. In omni ſumma, quem Felicem per errorem nominavi, eum felicitate omni cumulatiſſimum fore, ni animus vana praeſagit, nedum ſpero, verum etiam confido. Is enim eſt, iiſque dotibus praeditus eſt, ut, cum eo quin feliciter praeclareque agatur, minime ſit dubitandum. Qua de re, amice amantiſſime, tantum abeſt, credo, ut mihi queraris, quod in nomine tui fratris turpiter erraverim, ut potius de errore mihi graturleris oporteat. Tum enim hoc pacto, quid de illo ſentirem, & quo illum

amore proſequerer, vel me invito aperte intellexiſti; tum bono omine, quod quam avide accipiendum ſit, te, qui in philologicis verſatiſſimus es, atque Augurale jus apprime calles, haud fugit, ſignum ad bene ſperandum ſuſtuli. Haec, pro ea qua es humanitate, fac aequi bonique conſulas, meque, ut facis, amare pergas. A me Michaëli germano tuo, ſcitiſſimorum puerorum Petri & Joſephi tibi ὁμωνύμῳ parenti, poſtquam felicia fauſtaque omnia precatus fueris, ſalutem plurimam impertire officioſe. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei a. d. XII. kal. Jul. CIƆIƆCCLXIV.

ANDREAE FARINAE

Paulus Moccia S. D. 232

QVod nomine tuorum alumnorum ac praeſertim amantiſſimi Fabricii me iſthuc invitaveris, non potui, quin in eo mihi maximopere placerem. Nam & iſthuc arceſſebar, ubi caeli ſalubritate atque omnium rerum copia, res mihi bene fuiſſet; &, quod caput eſt, hoc potiſſimum tempore, quo hîc nos mors atris circumvolat alis. Morbi quidem adhuc magis magiſque ingraveſcunt, & qui tantum plebeculam corripiebant, nunc nobiliſſimos quoſque impetunt, licet non vulgo. Hercules Aragonius adhuc integra aetate juvenis ac honorarius cubicularius Regius graviſſime aegrotat. Princeps Polycaſtri heſterna die jam in eo erat, ut animam efflaret. Peſſime habet Marchionis S. Marci Praetoriae cohorti Praefecti uxor. E militaribus viris iiſque

que muneribus inſignitis non pauci letali morbo implicantur. Praeteritis diebus diem obiit ſupremum Franciſcus Labanchius Triremium Dux XL annos natus, quo familiariſſime uſus fueram. Mira illum morum ſuavitas, ingenii vis non mediocris, atque incredibilis animi modeſtia non parum commendabant. Quae cum ita ſint, cum gratus mihi tuus accidit invitatus, tum etiam opportunus. Ergo ſtatim conducto ciſio quam celerrime huc advolabis? Haudquaquam. Etenim nedum loci legibus, verum etiam domeſtico retineor amore. Cuinam non offenſioni eſſet mea hinc profectio, hoc praeſertim tempore? Eo vel magis, quod hîc omnes non modo bene, verum etiam pugiliter valemus. Nihil enim nobis defuit vel in ſumma panis caritate; atque id incredibili Regis noſtri, quem Deus ſoſpitet, munificentia. His accedit meorum parentum amor. Haud te fugit, quanti eos pro eo ac debeo faciam. Vel ii nunc pancratica valetudine utuntur; licet decrepita ſint aetate. Qua de re te etiam atque etiam rogo, ut a me tuis alumnis, quos plusquam oculos meos amo, gratias exquiſitiſſimis verbis agas maximas, nec non liberaliſſimo eorum parenti, atque committas, ut mea haec excuſatio aequi bonique conſulatur. Jam ad te perlatum credo rude Orationis panegyricae exemplum. In mundum vero receptam, antequam iniens hebdomada exierit, accipies. Vide, quaeſo, quibus amicis hîc utaris! Tibi quam citiſſime dicto audientes ſunt, tuaque mandata quam celerrime exhauriunt. Hodie quarta hora hiſpano more pulſata Rex una cum tota Regia

Aula

Aula e Caſertano Praetorio recta ad Regium ſuburbanum Herculanenſe perget. Vbi enim Caſoriam pervenient, ſiniſtrorſum divertent, viamque terent, quae paludes, Barnamque ſecabit. Hiſce enim temporibus cautio nulla ſatis habetur. Et Rex cuſtoditur, & is vix pubes, &, quod magis eſt, hujuſce Regni delicium ac ornamentum. Fingi non poterat amabilior, moribus ſuavioribus, ac caritate in ſibi ſubjectos populos impenſiore. Hic ſeges uberrima eſt, frumentumque vetus in dies vileſcit, Quod vero mare, aut longinquitas itineris corruperat (corrupit ad ſeptem millia medimnorum) Rege jubente in mare projectum eſt. Hoc etiam reſtabat afflictis accisiſque civitatis rebus. Cajetanus Migliore te officioſe ſalutat. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei a. d. XVII. kal. Quinct. CIƆIƆCCLXIV.

JOANNI CARAFAE

Nojae Duci

Paulus Moccia S. D. 234

QVod mea qualia ea cumque ſint nedum libentiſſime legere volueris, verum etiam diligentiſſime cuſtodienda curaveris, ubi id accepi per eruditiſſimum Dominicum Amatum tuique amantiſſimum auditorem, non mediocriter gaviſus ſum. Quanta enim ceteros benevolentia complectereris, haud ignorabam; ſed nondum id in me nihil tale ceteroqui merente expertus fueram. Quare, quin omnium quotquot ſunt & fuerunt huma-

humaniſſimus habendus jure ac merito fores, nullus dubitavi. Qui in ignotum plena manu beneficia confers, quî te natura ad hominum genus tibi amore devinciendum proprie factum geras ſemper, quivis facile intelliget. Nemo prorſus te adit, quin tibi addictiſſimus diſcedat. Qua enim comitate ad te ventitantes excipis, quam incredibili humanitate! Quantum quantum eſt tuo in locupletiſſimo Muſaeo antiquorum cimeliorum, id omne ſingulatim oſtendis, ac ſtans pede in uno ac veluti aliud agens ea eruditionis omnigenae monumenta prodis, quae virum ad unguem perfectum inque antiquitate omni verſatiſſimum prae ſe ferunt. Nullum vero mea oratio inveniret prorſus finem, ſi quantum difficultatis laboriſque exhauſeris, quo almae hujuſce urbis ichnographiam exarares, hîc vel curſim admetiri mihi in animo eſſet. Vnum tamen non ſine piaculo praeterierim, te nimirum omnium in matheſewn ſtudiis eruditorum hominum qua noſtratium, qua exterorum unanimi conſenſione (nemo enim huc advenit, quin te unum prae cunctis rariſſima numiſmatum Cimeliorumque omnigenûm gaza ditiſſimum adeat) inter peritiſſimos quoſque accuratiſſimoſque geographos recenſeri. Quod quanti ſit faciendum in homine proſapiae claritate majorumque fumoſis imaginibus ſpectatiſſimo, is profecto dicet, qui virtutem colere vel a teneris, uti ajunt, unguiculis in deliciis habuerit. Atque hic tu haud dubie *αὐτότατος* eris, aut pene nullus omnino alius. Quanta enim cum animi alacritate, & quam ingenti cum laude ſtudia omnia, qua humaniora,

qua

qua ſeveriora colueris perceperiſque, nemo omnium eſt, qui neſciat. Qua de re, pro ea qua ſolitus es humanitate, & haec ingenii mei tenuia monumenta te quam libenter accepturum confido. Quid enim? Qui ceteris αὐτομάτως incitamento eſſe ſoles, quo ad virtutem comparandam alacriter accedant, tu ne haſce meas extemporales epiſtolas tuo patrocinio ſartas tectas praeſtare detrectabis? Non vereor, ne non currenti calcaria admoveam. Ita igitur fac te geras; & tibi ſancte recipio praeſtoque fore, ut in benevolum gratumque hominem tuique perſtudioſum beneficia non temere contuliſſe laeteris. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei poſtrid. Id. Jun. CIↃIↃCCLXIV.

DOMINICO AMATO

Paulus Moccia S. D. 234

QVanto ego opere dolui, ubi audivi Paulum tuum filium natu minorem pene letaliter aegrotare, difficile dixerim. Vnice enim illum amo, quippe qui licet puerulus ſenile neſcio quid vel ipſo ſeveriore vultu prae ſe fert. Neque falſus vates fui, ubi primum domi tuae illum vidi. Praecox enim jam ſe ſe prodebat ingenium, ac magna polliceri videbatur. Perſaepe quid in ludo litterario profeciſſet ipſemet identidem expertus, jam progreſſiones pro tenellulae aetatis modo exſpectationi reſpondebant. Quare cum illum prae ceteris liberis tuis dilexerim utpote mihi quoque cognominem, quî doluerim ob ejus

nec

nec opinam invaletudinem, tibi haud difficile erit intellectu. Quod vero illum non inviſam, ne mirere precor. Ita enim hîc vivo, ut nedum mihi, verum etiam ceteris, quibuſcum ſum, mihi ſit conſulendum. Haud vero te fugit, non temere ſparſum eſſe morbos, qui in praeſenti graſſantur, eſſe contagioſos. Hinc vel ipſi viri medici ſibi cavent ſedulo, eaque omnia adhibent diligentiâ quantâ maximâ, quae ſerpenti malo quoquo modo obſiſtant. Quid, amabo, me fiet (quod omen Deus avertat) ſi quid hujuſmodi contigerit? Regio hoc in Ephebeo dego, videlicet una cum multis iiſque aetate integra inque morbos proniſſima. Planta enim, quo tenerior, eo facilius vitiatur. Quam ob rem in id nobis diligentiſſime nunc cum maxime incumbendum eſt, ut nedum morbo, verum etiam morbi ſuſpicione careamus. Aequo igitur animo fac patiare, ſi tuis aedibus, aliquantiſper dum morbus remiſerit, vel invitus repugnanſque abſtinuero. Nunc illud te rogo, ut animum, quem forte deſpondiſti, pro virili erigas, tuoque exemplo deſolatam moerore uxorem tuam confirmes. Qui enim praecipitanter irruunt nunc morbi, ac pene imprudentes inſcioſque opprimunt, plerumque etiam praecipitantius evaneſcunt. Nonne quamplurimos graviter aegrotaſſe audivimus, perpaucos vero eoſque affecta valetudine deceſſiſſe? Bono igitur erectoque animo eſto. Brevi Paulus amantiſſimus σὺν Θεῷ non ſine foenore convaleſcet. A me illi, ſi per morbum licuerit, ſalutem officioſe dicito, quam etiam ejus dulciſſimae pa-

renti

renti imperties. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei poſtrid. non. Jun. CIↃIↃCCLXIV.

DOMINICO CAVALLARIO

Paulus Moccia S. D. 235

TAndem non mediocri animi mei voluptate primum Canonicarum Inſtitutionum tomum perlegi. Nihil in eo non ſummo labore collectum, artificioſe diſpoſitum, miraque arte ad propoſitum argumentum ſe ſe demittere juſſum cum deprehenderim, jam florentiſsimam ſacrarum legum aetatem reviviſcentem mihi videre viſus ſum. Vetera quippe jura, media, nuperrimaque ita tractas, nimirum ita dilucide, ordinate, atque ornate; ut nulla omnino lectorem capiat ſatietas. Quin imo illum medias in res abreptum, neſciumque quo ſe vertat & argumenti utilitate, & artificioſo elegantique ſcribendi genere captum, jam piget ſive prima repetere altius, ſive poſtrema legendo famem explere. Ita ubique pellicis mulceſque, ut, quod perraro contingit, timor, ne ſtatim lectio deſinat, non parum ſollicitet. Quod qui fiat, is procul dubio intelliget, qui quanti ſit divina prope laborioſaque rerum ſcribendarum junctura & compages, ſemperque ſibi conſtans ordo, expertus novit. Praeterea ſic Sacerdotio faves, ut Imperio nihil invidiſſe videaris. Vtramque enim poteſtatem ita mutuam ſibi opem vicemque tradere oſtendis, ut eodem collimare unice connitantur. Hinc Eccleſiae ſplendor incontaminatus ubique, juſque Pontificium in-

indemne intactumque; illinc vero Regia poteſtas ac majeſtas enitet nullibi infuſcanda. Quare tibi gratulor tanti operis felicitatem; gratulorque Reip. litterariae, quod ei poſt tot tantaſque editas Canonicas Inſtitutiones etiam methodo ac multiplici rerum omnium eruditione praeſtantes, omnium cordatorum hominum conſenſione, ac praeſertim Januarii Parrini, viri eruditiſsimi judicio non fruſtra operam tuam navaſſe exiſtimeris. In veteri ſane argumento centieſque repetito, methodo nova atque inaudita eaque pura puta dictione exornata uſus es. Macte eſto igitur tanta gloria tuis meritis quaeſita; atque majora & illuſtriora aggreſſus fac Remp. adeoque teipſum magis magiſque in poſterum illuſtres. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei a. d. XIV. kal. Jul. CIƆIƆCCLXIV.

NICOLAO FRONCILLO

Regio in Neap. Gymnaſio Chirurgiae Profeſſori

Paulus Moccia S. D. 236

NOn temere plerumque fit, ut beneficia beneficiis cumulentur, ſibique continenti perpetuaque ſerie ſuccedant. Licet enim homines hominum bono nati ſint; tamen molitor effectorque hujuſce univerſitatis Deus prae ceteris quoſdas ita quibuſdam utiles, commodos, ſalutareſque eſſe voluit, ut ad illos juvandos beneficiiſque ornandos unice facti eſſe videantur. Atqui

qui id nullo impellente, ſed ſponte, ac naturali quadam propenſione. Jam quantum Julio Froncillo germano tuo τῷ μακαρίτῃ debeam, haud opus eſt prolato. Ipſum a puero audivi, ipſoque duce atque auſpice Palladis ſacris initiari occoepi. Praeterea, quae in me contulit beneficia ſuaviſſimis moribus Jacobus alter tuus germanus natu minor? Me adverſus praepotentem vitilitigatorem ita tutatus eſt, ut, nullis omnino expenſis, cauſſam vicerim, triumphataque perfidia, me hominum exiſtimationi vindicarim. Poſtremo tibi viro de litteris ſcientiiſque omnibus praeclariſſime merito, quam nunc vivo vitam, ſecundum Deum, acceptam refero. Qui enim leviculo acus vulnere in ſummo medio manus digito eo deveneram, ut de me actum videretur, per te opportuna ſectione ſanitati reſtitutus fui. En, quî gradatim amplioribus ſemper beneficiis per vos identidem auctus, majoribus in dies arctioribuſque vinculis vobis obſtringor. Quare id mihi curandum ſedulo fuit, ut aliqua ex parte, ſi non omnino, quae poſſum, pro virili praeſtarem. Quî enim, amabo te, mutuam vicem reddam, tantaque erga me promerita rependam? Hanc igitur epiſtolam tamquam non vulgare meae benevolentiae obſervantiaeque monumentum bono fac animo accipias. Quod ſi deinceps majora poſſe aggredi mihi dabitur, quo etiam par pari referam, equis, uti ajunt, viriſque contendam. A me Jacobo, viro morum probitate, dexteritate in rebus agendis, ceteriſque animi dotibus inſigni, meique perſtudioſo, tuiſque ſuaviſſimis liberis ſalutem dicito plurimam officioſe. Vale.

Ex

Ex Aedibus Regii Ephebei a. d. VI. kal. Maj. CIϽIϽCCLXIV.

MARCELLO CELENTANO

Paulus Moccia S. D. 237

MItto tibi elogium ſuperioribus a me diebus in πολυμαθέστατον Marchionem Bernardum Tanuſium ex tempore contextum. Commodum hoc matutino illud tibi promiſeram in aedibus Claromontanis, quo perrexeras, ut eruditiſſimo Comiti Petro Sancto-ſeverinio, cujus luſtricus optatiſſimus dies recurrebat, fauſta omnia precarere. Vt verum ingenue fatear, tua mihi petitio pergrata accidit. Quidni? Te enim virum juriſconſultiſsimum, ac de litteris ſcientiiſque omnibus inſigniter meritum, hoc qualecumque meum epigramma aliquo in pretio habere, cur non laetitiis omnibus jure ac merito geſtirem? Atque eo vel magis laetatus ſum, ubi te illius exemplum ad Riarienſium Ducem, virum in omni recto ſtudio atque humanitate verſatiſsimum, quamprimum miſſurum accepi. Quare tibi, pro eo ac debeo, gratias ago maximas; atque ut me tuo praeſentiſsimo patrocinio in poſterum tuearis, te etiam atque etiam vehementer rogo. Philippus de Januario Regius ephebus eques atque humanitate politus adoleſcens te plurimum ſalvere jubet. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei prid. kal. Jul. CIϽIϽCCLXIV.

FRANCISCO ARETIO

Paulus Moccia S. D. 238

TVus nec opinus inexſpectatuſque huc adventus me maxima perſudit voluptate. Jam enim tuo ex ore certius accepi, quae de germano tuo primo natu Joſepho Targiae Dynaſte audieram, nimirum eum recte valere, atque ſcitiſsima puella auctum fuiſſe. Mirum quantum illi debeo. Me, quem ne de facie quidem novit, nedum diligit, verum etiam amat. Nullam fere amittit occaſionem, quin mihi re ejus eximium amorem teſtetur. Volupe praeterea mihi fuit, quod alter germanus tuus Bartholomaeus, qui hoc in Regio Ephebeo ad XIV. annos laudabiliter degit, tandemque Eccleſiae nomen dedit, firma utatur valetudine, ſtudiaque hîc incepta acrius contentiuſque proſequatur. Credas mihi velim, qua morum probitate, qua non vulgari doctrina, eo brevi convolabit, unde & ſibi ſuiſque ſplendori, ac Siciliae univerſae ornamento erit ſingulari. Interim amice amantiſsime, atque ſcientiarum omnium cultor eximie, id cura diligenter, ſi me amas, ut, fraternis hîc mandatis quam celerrime exhauſtis, domum tuam & adverſarii victor, & incolumis revertaris. A me tuis germanis, ac praeſertim Targiae Baroni mei ſupra fidem ſtudioſiſsimo ſalutem plurimam officioſe imperties. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei prid. kal. Jul. CIƆIƆCCLXIV.

E M-

EMMANUELI CAMPOLONGO

Paulus Moccia S. D. 239

QVod ſerius quam oportuit tuis eruditiſsimis litteris reſcripſerim, typographicae occupationes in cauſſa fuerunt. Vix credas, quam celerrime mearum epiſtolarum editio procedit. Hinc multa mutanda, plura recudenda, ac quamplurima reſecanda occurrunt. Laetatus ſum igitur, quod iſthic bene valeatis, quodque nullo ſerpentium morborum metu percellamini. Iſthic enim ſalubri in caelo, atque apricis in locis tanto populorum numero frequentatis, quantus ſatis eſt, ne deſerta, ἔρημα, atque hominibus negata videantur, res bene cedat incolis neceſſe eſt. Curate igitur, ut pancratice valeatis, Deumque O. M. enixe obſecrate, ne malis, quae noſtris capitibus impendent, opprimamur. Faxit Deus, ut morbis finis imponatur! Ni falſa narrant, jam miteſcere incoeperunt. Qui me amice ſalutarunt, fac meo nomine officioſe reſalutes. Cajetanum Bronzolium tuum in ruſticatione ſocium, mihique amiciſsimum, a me plurima ſalute impertire peramanter. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei a. d. VII. kal. Jul. CIↃIↃCCLXIV.

HORATIO BLANCARDO

Regio in Neap. Gymnaſio Logices
& Metaphyſices Profeſſori

Paulus Moccia S. D. 240

QVod nullam omnino elabi ſinis occaſionem, quin mihi pro virili proſpicias, meaeque utilitati ita inſervias, tamquam tua ipſius res ageretur, id per mihi gratum accidit. Nemo enim mihi ex amicis occurrit, quin aut ſalutem mihi tuis verbis dicat, aut tuos de me ſermones ordine denarret. Quare quod pene ὑπερβολικῶς dici videbatur, nunc expertus novi, ita ſe prorſus habere, nimirum habitare in ore amici, qui crebris ipſius ſermonibus uſurpatur. Neque id mirabile videbitur, ſi quis attenderit, te ita proprio quodam naturae munere factum fuiſſe, ut ceterorum bono natus jure ac merito praediceris. Cum enim & publico docendi munere, quod jampridem tanta cum laude ſuſtines, ac laborioſiſſima medicinae profeſſione, tuiſque privatis numquam intermittendis ſtudiis diſtinearis; nemo tamen, qualiſcumque ſit, te adit, quin benigne excipiatur, votique compos dimittatur. Nemo praeterea tua ſe commendatione egere ſignificat (apud omnes fere hujuſce civitatis proceres gratia polles plurimum) quin ipſemet tibi negotium libenter excipias, atque nulla non exhauſta difficultate feliciter ad optatum exitum perdueas. Hoc non ſemel meus dulciſſimus parens

rens expertus eſt. Quis igitur jure miretur, quod, qua fieri potuit ratione, id ſtuduerim, ut tibi hac extemporali epiſtola gratias agerem, caveremque in poſterum ſedulo, ne tot tantorumque promeritorum memoria interiret? Quare te etiam atque etiam rogo obteſtorque, ut patiare, tibi hoc pacto vel qualicumque grati animi ſignificatione ſatisfieri. Namque haud dubitari poteſt, quin in magnis rebus bona voluntas, quantulacumque ſit, laudanda videatur. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei a. d. IV. kal. Jul. CIↃIↃCCLXIV.

FRANCISCO ROGERIO

M. C. V. Judici

Paulus. Moccia S. D. 241

CVm te heſterna die ad viam novam, quae proximo mari alluitur, obvium habui, θαυμαςὸν ὅσον laetatus ſum. Quod jam e gravi morbo, quo periculoſiſſime conflictatus fueras, convaluiſſes, pro certo exploratoque cognovi. Vix enim dici poteſt, quantae mihi ſollicitudini fuerit tua nec opina adverſa valetudo. Quid enim? Ex quo quidem te primum Nivani apud τὸν πάνυ Ferdinandum Leonium Campaniae Praefectum cognovi, tua morum ſuavitas, comitas, tuaque admirabilis eruditio eaque exprompta, qua illic variis, pro re nata, uti fit, injectis ſermonibus nos beaſti, ita me tibi devinxerunt, ut nihil tuae amicitiae anteferendum cenſuerim. Neque medius fidius deceptus ſum, meaque me feſellit

opinio. Numquam enim ſive per urbem, ſive Regiis in Aedibus tibi obviam veni, quin me non vulgaris benevolentiae ſignis, ſive ſalutaveris, ſive exceperis. Nullus praeterea te meorum amicorum adiit, quin mihi peramanter ſalutem nuntiandam curaveris. Cur igitur te ἀυτομάτως ad me amandum propenſum non redamem, ac me, qua potes, beneficiis officiiſque cumulanti, ſi non mutuam vicem reddendo, ſaltem habenda gratia, pro virili ſatisfaciam? Vtinam tanti ego ſim, ut, par pari referens, tua ſingularia in me promerita compenſem! Quoniam vero mihi tantum infra te poſito id negatur; illud te etiam atque etiam oratum volo, ut hoc grati animi σημεῖον tenue quidem certe ac perexiguum, at ſincerum candidumque, aequi bonique facias. Quod vero ſerius quam oportuerat, tibi de recepta ſalute gratuler, ignoſcas mihi, te oro obteſtorque. Id enim ne tempore fieret, qua loci non mediocre διάστημα, qua ferme continens perpetuumque meae nunc vitae officium, in cauſſa fuerunt. Interim cura, ut valeas, teque publico bono natum quam diutiſſime incolumem ſerves. Qui enim eam vitae rationem inierunt, ut Reip. momentoſis gravibuſque negotiis quam diligenter ſapientique conſilio gerendis ceteros juvare ſtudeant, atque beneficiis ſibi obſtringere quamplurimos, ii quidem ut ſaluti parcant, ſibique conſulant accuratiſſime, nedum oportet, verum etiam neceſſe eſt. In ipſos quidem Reſpublica, qua per eos capeſſitur parte, tota recumbit. Iterum Vale, meque tibi addictiſſimum, ut facis, ama. Ex Aedibus Regii Ephebei a. d. xv. kal. Quinct. CIƆIƆCCLXIV. *N I.*

NICOLAO PICINNO

Paulus Moccia S. D. 242

IMperiales inſtitutiones, quas mihi dono dediſti, legi libentiſſime. Maximo enim me opere delectarunt, quod metro adſtrictae ita feliciter juxta ac perſpicue decurrerent, ut memoriae juvandae non parum profuturae viderentur. Hoc quidem proſa, & verſus intereſt, quod prima rem oculis proponit, alter vero numeroſo verborum flexu jucundoque ſono animum titillat. Quare labor, qui ſolutam orationem neceſſario comitatur, hinc aut omnino exulat, aut ita minuitur, ut prorſus evaneſcat. Atque hoc carminibus pene qualibuſcumque adſequimur (viden mirabilem poëſeως vim) quid ſi ea aurea ſint, ſe ſeque eleganti ſcribendi genere commendent? Tum enim vero immane quantum proſae antiſtabit μέτρον. Quamobrem tantum tibi litteraria debet reſp., quantum pretii utiliſſimis ceteroqui Juſtinianeis inſtitutis tuo ingenioſiſſimo labore acceſſit. Gratulor igitur tibi, quod eo tua direxeris conſilia, unde certo certius & ad te gloriam, & ad remp. emolumentum ſane quam ingens redundaturum exiſtimares. Macte eſto tanto bono, ac pergito ita in publicum conſulere. Crede mihi, numquam non ſibimetipſi proderit, qui ad ceteros juvandos unice ſpectat. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei v. non. Jul. CIↃIↃCCLXIV.

FRANCISCO CAPASSO

Paulus Moccia S. D. 243

MAximas tibi ago gratias, habeboque, quoad anima exſuperavero mea, immortales, quod mihi Nicolai Capaſſi Patrui tui τȣ̃ μακαρίτȣ, cui interiores politioreſque litterae earum ab interitu vindicationem unice debent, aurea eruditaque opera cum ſoluta oratione, tum ἐμμέτρως ſcripta, perbenigne dono miſeris. Jam illud effeciſti, ut flagrantiſſimae meae cupiditati ſatis omnino fecerim. Conjuncte enim atque ordine legi incredibili animi voluptate, quae membratim percurreram, ac plerumque in celerem horam commodata. Nunc, quae tua humanitas eſt, jam mea pluſquam aere libraque ſunt. Vtinam feliciſſime incoeptam vernaculo lepidiſſimo ſermone Iliados verſionem ad exitum perductam numeris omnibus abſolviſſet! Jam nihil prorſus eſſet, quod Graecis invidendum videretur. Heroes enim antiquitate venerandos noſtropte in ſolo natos noſtram linguam non invitos repugnanteſque loqui ſuſpiceremus. Praeterea, vix dici poteſt, quî laetatus ſim, ubi legi ejuſdem vitam a te elegantiſſime conſcriptam. Parum abfuit, ut mihi plauderem, quod me olim Averſano in Clericorum Collegio, cum humaniores litteras docerem, audieris. E duobus exemplis mihi dono datis, jam unum ſtatim Comiti Carolo Rezonico adoleſcenti humanitate perpolito, qui hoc in Regio Ephebeo ad biennium laudabiliter degit,

git, mittendum curavi. Tibi grates perſolvit ingentes, atque ipſemet hoc officium praeſtitiſſet, ni tibi gratius id futurum confideret, quod per me tecum impleretur. Quare te etiam atque etiam vehementer rogo, ut id aequi bonique conſulas, atque committas, ut eruditiſſimum juxta atque gratiſſimum adoleſcentem ſua opinio feſelliſſe minime videatur. Tibi officioſiſſime ſalutem plurimam nuntiat. Joannem Baptiſtam, germanum tuum, juvenem & morum ſuavitate, & multiplici ſcientiarum cognitione praeclarum, meis verbis ſalvere peramanter jubebis. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei v. non. Quinctil. CIƆIƆCCLXIV.

BENEDICTO CLEMENTI

DE AROSTEGVI

Paulus Moccia S. D. 244

NIhil prorſus tuae invideo felicitati, intempeſtivaeque ruſticationi; cum mihi divino quodam beneficio contigerit hîc eſſe beato, non ſemel lectis atque relectis τȣ͂ πάνυ Canonici Hieronymi Serai, πολυτρυλλήτȣ viri medici Franciſci Serai germani, litteris, mihi Hyblaeo melle ſapidioribus, imo vel ipſo tuo Hiſpanico Vino, quod majores a loco *de Siccis* appellandum cenſuerunt. En uti totum diem diſpono: ubi primo mane e lectulo ſurgo, Deo Opt. M. gratiis perſolutis, quod vitam me vivere ſiverit, quodque ſine labe experrectus ſim, ſtatim arripio mei ſeduli probique

bique monitoris epiſtolam, eamque non depono, niſi a capite ad calcem legerim, quaeque in ea inculcantur, diligenter attenteque perpenderim. Proh quot quantaque in illa deprehendo in dies, quae primitus cortice tenus, ac leviter veluti ſummis labiis delibaveram. Plus enim latet in receſſu, quam in fronte apparebat. His rite peractis ad abacum aſſideo aliquid per otium lecturus, ſive chartis illiturus; ſive graeca praecepta meos auditores Volones edoceo. Vbi ſeſquihorae ſpatium ita traductum eſt, in pomarium deſcendo ita cycladatus, uti domi ſolitus ſum non ſine pileo ex palea raſili panno ſerico Florentino affabre contecto, quo fervidos ſolis radios arceam propulſemque. Illic non ſine ſtrepitu, laborioſaque corporis exercitatione ligneis pilis ludo, &, ſi fortuna arridet, aliquid pecuniolae corrado, quod non raro contingit. Ingratiis enim obeſi praepinguiſque corporis, tanta curſus celeritate utor, ut cum gracillimis quibuſque de pedum pernicitate contendam. Amice in paucis care, quantum virium effeto meo corpori, ſuoque pondere in dies ingraveſcenti acceſſerit, haud facile verbis expreſſero. Surſum rurſum curſitatio, continens demiſſio, ſtudium flagrans vincendi, ingentes clamores contentioneſque mirum quantum craſſum ſpiſſumque humorem, qui cutem obſidet, extrudunt, vegetioremque ſanguinem micantioremque faciunt, tandemque tamquam Gallica ſalgama ſamem obſonant irritantque. Hinc me in meum cubiculum recipio, mutataque ſubucula, deterſoque ſudore, quo madeo, faciem nedum lavo, verum

etiam

etiam manibus ambabus junctis, voliſque in cymbulae ſpeciem conformatis exceptam aquam in vultum jactans proluor, identidemque fugientem animam reciproco anhelitu tamquam pedo revoco recipioque. Interea temporis jam ſole ad umbilicum accedente, nola titinnit, atque ad menſam invitat. Hîc tuum judicium eſto, quam libenter ad hujuſmodi locum ventito, inanis latrantiſque ſtomachi ſtimulis adactus. A prandio gratiis Deo de more actis, ſtatim meridiatum concedo. Poſt non diutinam meridiationem, canonico horario penſo abſoluto, meiſque ſive ex voto, ſive ſponte ſuſceptis precibus peractis, iterum ad menſulam accedo, cumque muſis otior, tempuſque fallo. Verum non raro libros tantiſper ſepono, inque manus ſumo oculis ipſis mihi cariorem epiſtolam, attenteque perluſtro. Hui! quot hinc mihi ſuboriuntur bona, & quot quantiſque cumulor beneficiis! Deinde ut animum aliquantulum remittam, accedo ad meam feneſtram, quae ad occidentem vergit, meumque penſilem hortulum contemplor, vitemque jam pampinis ornatam inſpicio, racemoſque jam jam ſe ſe explicare, membraque diſtincte oſtentare incipientes conſidero. Atque ut verum fatear ingenue, plus in ea cultura temporis inſumerem; ni adverſis feneſtris impedirer, inconditiſque importuni aurigae clamoribus, qui modo ſtrigoſos equos deſtringens, modo ligneis pilis luſitans, meas aures obtundit. Verum id non iniquo animo fero, cum me, meaſque omnes cogitationes ad numquam deſituras poenas converto, eaſque me non ſemel promeruiſſe animadverto. Quid-

quid

quid enim temporale eſt, pro nihilo habendum, ſi cum aeviternis rebus comparetur. Vide quaeſo, quantum brevi temporis intercapedine profecerim! poſtremo ad Veſtiarium accedo, cyclade depoſita, non vulgari veſte indutus juxta eccleſiaſticos canones comparata, meae Paroeciae templum ingredior hujuſce univerſitatis molitorem architectumque Deum cerealibus ſpeciebus abſconditum cernuo vultu adoraturus, veniamque erratorum expetiturus. Vbi haec perfeci chriſti-fidelis officio functus, πόδα κατὰ πόδα ad Ventralium officinam ſelectiſſimorum virorum probitate morum, rerumque hiſtoricarum cognitione ſpectatiſſimorum conventu celeberrimam adeo non mediocri animi mei voluptate. En habes, quî hic vitam tranſigo, quidque rerum agam. Illud pene oblitus fueram ad te ſcribere, quod ſaepe in dies ſuaviſſima chelys ſymphonia recreor reficiorque, quam artificioſe pulſat Rezonicus noſter Muſis, Apollinique cum primis carus acceptuſque. Quin imo dum haec ſcribo, ad meam menſulam adſtans, muſica papyro nigellulis notis ſignata ſibi propoſita, ad numerum modulatur. Heus quis pulſat oſtium? ſatis pro imperio quiſquis es? Apertis foribus, en mihi occurrit ſervus a pedibus a meo Antiſtite miſſus. hinc ſtatim manum e tabula ſuſtuli, quaeque apud animum ſtatueram ad te perſcribere invitus repugnanſque incidi. A me igitur Patruo tuo viro ſupra fidem doctiſſimo, Muſarumque delicio atque ornamento ſalutem plurimam impertito. Vale, meque, ut facis, ama.

P. S.

P. S. Cum jam epiſtolam complicarem, en Rezonicus noſter me etiam atque etiam rogavit, ut tuo eruditiſsimo Patruo, tibique ſalutem adſcriberem, quod vos aequi bonique conſulturos non deſperat. Etiam atque etiam vale.

JOSEPHO PIGNATELLO

Paulus Moccia S. D. 245

BEne ſit nec opinis tui eruditiſſimi praeceptoris occupationibus, quandoquidem tantum mihi boni praeter exſpectationem pepererunt. In cauſſa ſcilicet fuerunt, cur tuas litteras acciperem, quibus mirifice delectatus ſum. Legi eas libenter. At non potui, quin laetitiis omnibus geſtirem, ubi tuum praematurum officium animadverti. Jam enim meo luſtrico die appetente, mihi fauſta omnia etiam tuorum germanorum nomine precabare. Tibi igitur gratias ago, quod te mecum ita perhumaniter geſſeris, quodque in anteceſſum ſolveris, quod neutiquam debebas. Legi praeterea tuam elegantiſſimam praefationem, ac maximopere probavi. Vix credas, vehementer laetatus ſum, quod primulos tuae induſtriae fructus matri tuae optimae praeclariſſimaeque dicandos cenſueris. Nihil, mihi crede, facere potuiſti illi gratius, tuaeque famae conducibilius. Cum enim parentibus tantum debeamus, quantum vix perſolvi poteſt; omnem occaſionem captemus oportet, quo ipſis quoquo modo ſatisfacere connitamur. Gratulor igitur tibi, quod tale inieris conſilium, quo gratus erga tuam incom-

comparabilem parentem videreris. Gratulor tuae parenti, quod hujuſmodi filium nacta ſit, qui ceteris jure ac merito exemplo ſit, quî ſe erga parentes gerant oporteat. Tandem gratulor tuo praeceptori, quod talem tantumque ſuae eruditae atque ad unguem perfectae Orationis praeconem invenerit. Jam vero, uti mihi in mandatis dabas, illam Cajetano Migliore tradidi, quo typis ederetur. Litterae tuae ſolito ſerius huc perlatae ſunt, Jovis nempe die, cum jam adveſperaſceret. Cujuſnam id culpa contigerit, neſcio. Et tamen ingratiis anguſtiarum temporis jam omnia excuſa ſunt, & quam emendatiſſima. Id mirae Cajetani amantiſſimi dexteritati debetur. Vix dici poteſt, quantum viae voraverit, quantumque laboris tulerit, ut mandata examuſſim exhauriret. Te tuoſque omnes nec non praeceptorem nominatim plurimum ſalvere jubet. Praeteritis diebus obiit Polycaſtrenſium Comes. Parentatum illi fuit in Aede Jeſu novi. Ex epigrammatis, ſeptem condidit cl. Salvator Grimaldus. Mi.. eruditis omnibus placuerunt. Heri elata fuit magnifico funere pientiſſima Marchionis S. Marci Praetorianis cohortibus Praefecti uxor. Morbi ſerpunt, ni fallor, in dies acrius. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei a. d. IX. kal. Jun. CIↃIↃCCLXIV.

M I-

MICHAËLI TESTAE

Paulus Moccia S. D. 246

QVod bonum fauſtumque ſit, jam ruſticatum iviſti, videlicet animum continentibus occupationibus delaſſatum aliquantiſper relaxaturus; nec tamen, quos in urbe relinquis, pauxillulum quieſcere atque a ſcribendo ceſſare patieris? Jam nihil aliud tuis omnibus a parvulo ad maximum natu in mandatis dediſti, quam, ut me, cum primum viderent, enixè rogarent, quo te litteris iiſque frequentibus colerem, &, quod caput eſt, te tantum non moerore confectum ſolarer. Qua fronte iſthuc feceris, demiror. Niſi eo conſilio egeris, ne tibi laetitiis omnibus (praefiſcini) geſtienti invideretur. Namque, quod, ut ad te ſcribam, me rogas, id quidem a tua in me prorſus ſingulari benevolentia proficiſci quî pernegem? At vero quî te purgabis, cum te triſtem, quippe qui ab urbe atque a tuis peramoenis aedibus avulſus fueris, ſimulas? Nonne liberiore caelo ad pauculos dies frui jucundius eſt ac gratius, quam continenti urbis ſtrepitu inconditiſque turbae ſurſum deorſum diu noctuque itantis clamoribus obtundi? Nonne matutina inambulatiuncula, qua iſthic pro lubitu uti poteris, pluris eſt, quam ſi centies urbem non ſine praecipitum carrucarum periculo perrepraveris? Quare utare fruare, te obſecro, qua es conditione, noſque urbanos etiam ingratiis autumnalis ruſticationis miſerator quoad fieri poterit. Potius tibi

bi ſalivam moveant, qui ad Maſſam Lubrenſem ruſticatum abierunt. Jure utuntur ſuo, potantque cuppa magiſtra. Pugiliter valere, remque ipſis e ſententia procedere nuntiarunt. Propediem ſeredituros pollicentur, teque ſalvere jubent nominatim. A me clariſſimo Patri Capycio viro ad miraculum erudito, Reipublicaeque litterariae ornamento ſingulari, cuique tandem tantum debeo, quam cui maxime, ſalutem plurimam impertitor. Plurimum quoque meo nomine puerulum Principem tuum alumnum, ejuſque incomparabiles parentes ſalutabis officioſiſſime. Tui omnes ad unum una cum amiciſſimo Daniele te ſalvere jubent. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei VI. Id. Octob. CIↃIↃCCLXIII.

P. S. Quod iſthic caupo decoxerit, ne doleas, te obſecro. Quotidie opipare inſtructa menſa exciperis, neque Jovis pollucto convivio invides. Male quidem nobiſcum agetur, quos ſi cupido ruſticandi inceſſerit, cauponas adeamus oportet. Iterum vale.

EIDEM. 247

Aliud ex alio me impedivit, quominus promiſſa praeſtarem. Atque potiſſimum acerrimus capitis dolor in cauſſa fuit, cur ad biduum tua domo abfuerim. Neque, nunc cum ſcribo, omnino remiſit. Verum hoc, me praedicente, mihi accidit. Κακοςόμαχος quippe aliquot diebus fui, neque cibum de more conco-

que-

quebam. E Maſſa Lubrenſi ubi redii, quam, quanta quanta eſt, pedibus luſtravi, ingratiis declivium locorum, quae natura non hominibus, verum Caprino generi condidiſſe videtur, me totum inertiae deſidiaeque dedi. En, cur ſtomacho laborem, capiteque non incolumi utar. Inambulatiunculis contentus, vel tuas aedes peto, vel me ad Ventralium officinam e regione Salientium Caſtri novi confero, novas res aucupaturus. Numquid novi? nihil omnino. Vel ipſe Boruſſus Rex, qui ſemper novis rebus inhiat, modo friget. Quid vero agit Campolongus? Quî valet Bronzolius? Hic minus belle habet. Hinc pharmacis, atque ſanguinis miſſione uſus eſt. Ille de more febri aeſtuat, quam ne ingentes quidem pluviae, quae nunc urceatim decidunt, reſtincturae videntur. Tui omnes Athletice valent teque ſalutant. Idem tibi praeſtant officium peramanter amici omnes, etiam ficti. Quî illos internoveris? A me infantulo Principi, ejuſque parentibus ſalutem. Vale.

EIDEM. 248

JAm hujuſcemodi tempus appetit, ut intermiſſum litterarum officium perdifficile excuſari poſſit. Ni, quod omen Deus avertat, morbum cauſſari cogamur. Nemo enim non, appropinquantibus Nataliciis feſtis diebus, illos, quoad per ipſum fieri poteſt, amicis fauſtos fortunatoſque apprecatur. Vetuſtiſſimus profecto mos eſt atque ubique receptus, ut, quae ex infantuli Jeſu, generis hominum Σωτῆρος, nativitate percipi-

tur laetitia, eam ipſam mutuis litterarum offi- ciis teſtemur, atque πρὸς ἀλλήλως exoptemus. Quare puerum Chriſtum, quem anniverſaria re- currentis feſti pompa tamquam recens natum pro- ſequimur ac veneramur, ita obſecro, ut te bo- nis omnibus qua fluxis caducisque, qua numquam deſituris exornet augeatque cumulatiſſime. Vti- nam ne falſus ſim vates! Hoc idem officium a me praeſtabis tuo alumno, ejuſque incomparabi- libus parentibus, eoſque ſalute plurima etiam im- pertieris peramanter. Meis verbis quoque Cam- polongo viro de politioribus litteris immortaliter merito Natalitiam fauſtitatem, ſalutemque pugi- licam officioſe nuntiabis. Vale, meque, ut fa- cis, ama. Ex Aedibus Regii Ephebei XIV. kal. Jan. CIƆIƆCCLXIII.

P. S. Idem fauſtum felixque omen Natalitium meis verbis tuis amantiſſimis Parentibus, fami- liaeque univerſae imperties. iterum vale.

EIDEM. 249

QVod hac veſpera ad aedes tuas venire ne- queam, dolui vehementer. Illa quidem gaudii uſura fraudor, quo me tandem aliquando perfundi poſſe ſperabam. Nimirum illius jucun- diſſimo conſpectu dignatus fuiſſem, in quam cha- rites, lepores, venuſtates, elegantiaeque omnes unanimes conceſſiſſe videntur. Male ſit vincu- lis, quibus ita conſtringor, ut, velim, nolim, illa feram oporteat. At inquies: ne ſuccenſeas: hodie haud tu quidem ad patibulum rapieris; ve-

rum

rum aureis carrucis vectus prodeambulatum exibis nobiliſſimorum epheborum corona ſtipatus, & , quod caput eſt, deinde theatrum petes divinam Gabrielem ita vocem vibriſſantem auditurus, ut luſciniis ipſis minime ſecunda judicetur. Ita quidem: quî diffitebor? At primariae feminae colloquiis, jocis, leporibuſque carendum mihi eſt, prae quibus nedum theatri deliciae, verum vel ipſae Mygdoniae opes vileſcunt. Haec curſim, ut, quo nunc maceror dolore, intelligeres; cetera coram, vel cum plus otii nactus fuero. Jam mihi exeundum eſt, atque aurigae inſtant, aeſque campanum crepat. A me tuae Herae, mei ſtudioſiſſimae, quam minus belle habuiſſe dolui, at nunc convaluiſſe laetor, ſalutem pugilicam nuntia peramanter. Vale.

CANONICO DOMINICO PLANESIO

Paulus Moccia S. D. 250

NVnc enimvero omnino ſtatui typis edere quam adverſus Barbeyracium exacto anno adornaram Diſſertationem. Namque tuis acceptis litteris jam illud cognovi, te non ſemel atque iterum illam legiſſe. Quo quidem quid a me optari poterat gratius, quidve praeſtantius? Te igitur duce atque auſpice, minime publicam lucem defugiam. Quem enim fallit, quanta tu polleas rerum omnium cognitione? Jam enim Philoſophiam atque Matheſes docere aggreſſus, ita te geſſiſti, ut cunctis te palmam praeripuiſſe publicis editis experimentis oſtenderis. Deinde ad

Theologica ſtudia profitenda cum jubente Nicolao Spinello τῷ μακαρίτῃ gradum feciſſes, quanta cum laude, quantaque omnium approbatione tantum muneris ſuſtinuiſti? Quid jus qua Imperiale, qua Pontificium commemorem? Res enim ipſa loquitur, nulloque emendicato indiges praeconio. Tua quidem plana expeditaque methodus verae cognoſcendae Religionis Romae quam eleganter excuſa tuum immortalitati nomen commendavit. Opus quippe fuit ingenioſiſſimum atque multiplici rerum plerumque adhuc intactarum eruditione ſupra fidem praeſtantiſſimum. Quae cum ita ſint, tuone ego judicio elegantiſſimo juxta atque eruditiſſimo diffidam? Propemodum dixerim, te mihi omnium inſtar jure ac merito ſine controverſia haberi. Quare tibi gratiis, pro eo ac debeo, perſolutis, illud te vehementer rogo, ut tuo etiam patrocinio illam ſartam tectam tuearis. A me Canonico Franciſco Trajectino ſalutem. Vale.

CANONICO FRANCISCO TRAJECTINO

Paulus Moccia S. D. 251

JAm accepi epigramma, quod ad te praeteritis diebus mittendum curaveram, quo illud recenſeres, ſupremaque manu impoſita numeris omnibus abſolveres. Quod vero non inficetum tibi viſum fuiſſe amice ſignificas, per mihi gratum accidit. Quanta enim cum laude philologica ſtudia iſto in florentiſſimo Averſano Clericorum Collegio profitearis, nemo eſt, qui neſciat. Nihil

hil profecto publici juris feciſti (permulta quidem fuerunt) quod non ambabus , uti dicitur , ulnis exceptum fuerit. Nulla hîc promulgata eſt Sylloge (promulgantur in dies quamplurimae) ſive nuptiarum, ſive funerum cauſſa, quin in ea tua elegantiſſima carmina inter cetera mirifice enituerint. Quare tibi gratias ago , quod tuam operam vel meis inficetis verſibus dicaveris , atque habiturum in poſterum polliceor. Atque mihi credas velim, me numquam paſſurum, ut noſtra amicitia , jam inde a condiſcipulatu inita , aut locorum diſtantia , aut temporis viciſſitudine , interrumpatur . A me Canonico Dominico Planeſio, viro de interioribus aeque atque ſacratioribus ſtudiis inſigniter merito ſalutem officioſe dices , quam etiam πολυμαθεςάτῳ Archidiacono Michaëli Angelo Patricellio meo nomine peramanter nuntiabis. Vale.

MARCHIONI JOSEPHO DURFORTIO

Galliae apud utriuſque Siciliae Regem Oratori

Paulus Moccia S. D. 252

QVominus ipſemet uſque adhuc te adirem , pudor obſtitit. Neque Benedicti Clementis , neque ejus amantiſſimi Patrui tibi amiciſſimi tuique ſupra fidem ſtudioſiſſimi monita id effecere , ut me tibi omnium quot quot ſunt ac fuerunt humaniſsimo, acerrimoque litterarum lit-

teratorumque vindici ac patrono ſiſterem. Atque ut iſta deeſſent, me non parum impellere debuiſſent, quae ſponte contuliſti beneficia in τοὺς πάνυ viros, Marchionem Berardum Galianum, ac Dominicum Amatum, quibuſcum mihi maxima intercedit familiaritas; & tamen a propoſito quo utor vivendi haudquaquam deductus mea in ſententia homines fallendi obſtinatius obſirmatiuſque perſtiti. Nunc vero res eo loci pervenit, ut propoſiti tenax ſi diutius ſim, hominem ex homine exſuiſſe, nedum pudorem abjeciſſe exiſtimer. Ipſemet Benedictus Clemente adoleſcens, qua morum ſuavitate animique modeſtia, qua ſingulari doctrina ac eruditione perinſignis tibique cariſsimus, ſe ſuis ipſius manibus quam ad te darem epiſtolam tibi traditurum ſancte recepit; atque mihi inſuper praeſtitit, te, pro ea qua es humanitate, eam aequi bonique facturum. Quae cum ita ſint, en tibi volens libens, &, quod caput eſt, omni prorſus vacuus timore, haſce ſcribo litteras, quo illas in tutelam, meque in tuam fidem commiſſum, tuo praeſtantiſſimo patrocinio, tuique ampliſsimi nominis ſplendore tuearis. Proh quantum dignitatis accedet mihi meiſque lucubratiunculis, ſi quod temporis fallendi gratia, aut pro re nata exaravi, id tibi non ingratum accidiſſe cognovero! Praeterea & me, & illuſtrem Benedictum, qui me nihil tale merentem tanti facit, ut ſuam ipſius utilitatem e mea unice metiatur, nihilque ad me attineat, quod non ad ſe quoque pertinere arbitretur, tibi beneficii memoria pluſquam nexu mancipioque obſtringes ſempiterna. Vale. Ex Aedibus

dibus Regii Ephebei a. d. xv. kal. Quinctil. CIↃIↃCCLXIV.

MARCO ANTONIO COLUMNAE

Allianenſium Principi.

Paulus Moccia S. D. 253

GRaecam προσῳδίαν a me viginti abhinc annis adornatam, improboque ſane labore ad exitum perductam, de conſilio atque impulſu τȣ̃ πάνυ Dominici Migliaccii, cum diligenter quaeſierim, nondum inveni. Illius enim exemplum in mundum receptum, itaque digeſtum, ut jam typis edi poſſe videretur, cum eidem Migliaccio tradidiſſem, ſe illud amiſiſſe mihi perſancte affirmavit. Id quidem accidere potuit, cum, mutatis menſe Majo aedibus, uti hîc mos eſt, alio habitatum conceſſit. Πρώτυπον autem, quod penes me remanſerat, praeteritis annis Franciſco Pepe, juveni mihi amiciſſimo, ac de litteris optime merito commodavi, atque illud quoque periit. Nam cum is in morbum letalem implicitus eſſet, multis illum viſentibus cum ejus domus numquam non multitudine frequentaretur, tum nihil tam facile fuit, quam ut amitteretur. En quî & ἀρχέτυπον & ἀπόγραφον dilapſum eſt. At inquies, cur non ſtatim illam vulgaſti? Cl. Alexii Symmachi Mazochii (quo tu familiariſſime uteris, & quo non litterato viro?) atque Franciſci Galluppi Patricii Tropeenſis monita in cauſſa fuerunt, ne id illico fieret.

Ii enim cum meam recens concinnatam Proſodiam legiſſent probaſſentque, & illud me etiam atque etiam hortati ſunt, nimirum ut eam graecis quoque φράσεσιν augerem. Verum, quae me nec opinum oppreſſerunt occupationes, quominus opus tantum non perfectum promulgarem, mihi impedimento fuerunt. Aulicam enim vitam nolens repugnanſque vivere occoepi. Nicolao Spinello Averſanorum Antiſtiti, quem tu propinquitate contingebas, a ſtudiis operam navavi. Quare te etiam atque etiam rogo, ut me excuſes, ni promiſſis ſteterim. Quod enim a me aberat, quodque penes me haud eſſe neſciebam, incogitans pollicitus ſum. Nulli tamen labori curaeque deinceps parcam, quo tibi, pro eo ac debeo, ſatisfaciam. Nicolaus Gorga hujuſce Regii Ephebei moderator, tui perſtudioſus, quique te in ſinu geſtat, tibi plurimam ſalutem adſcribit; quam ſi meo nomine Patri Paulo tuorum praeſtantiſsimorum liberorum educatori eximio impertiveris, per mihi gratum facies. Talem enim tantumque virum nedum diligo, verum etiam amo. Vale. VIII. kal. Aug. CIↃIↃCCLXIV.

NICOLAO GORGA

Regii Ephebei Moderatori

Paulus Moccia S. D. 254

NE te penitus fugiat, quid hodierna luce actum ſit, haec breviter accipe. Erudito-muſicae relaxationi initium fecere non modicae duorum

duorum puerorum adverſus ludum litterarium querelae latine conceptae; ſed quas haud multo poſt in laudes converterunt nec opino advenientis magiſtri conſpectu perterrefacti. Hinc duae redditae memoriter ſunt compoſitiones, altera quidem proſa oratione, altera vero metro adſtricta, haud invita minerva concinnatae. Haec omnia excepit Drama muſicis modis compactum, cui nomen: *Judicium a Salomone factum*. Cantus non injucundus auribus accidit. Nam primae notae viri muſici arceſſiti ſunt. Inter hos primas ſine controverſia ferebat Babius. Vbi ad primae partis finem ventum eſt, ut remiſſioni muſicorum locus eſſet: en iterum puelli litterariae palaeſtrae inviti laudatores in ſcenam prodiere, qui, ubi pauca in litterarum ſophiaeque laudem pronuntiarunt, recitatum eſt carmen Bucolicum Etruſce compoſitum non ineleganter, quod alter eorumdem verborum fidus interpres latine vertit, fortaſſe feliciore vena & amoeniore. His recitatis, paucula alia in ſcientiarum ludique litterarii commendationem addiderunt, finemque dicendi non ſine laude fecerunt. Hinc altera Salomonici judicii pars per muſicos cantari occoepit, quae ad finem uſque magna auditorii non infrequentis voluptate excepta eſt. Haec habui, quae tibi referrem; cetera fuſius per Salvatorem Puccium, priſcae fidei virum, comperies. Numquam vidi illum laetiorem attentioremque. Devorabat dicta, nedum audiebat. Vale.

BE-

BENEDICTO LATILLAE

Myrae Archiepiſcopo

FERDINANDO IV.

A confeſsionibus, ejuſdemque Praeceptori

Paulus Moccia S. D. 255

TVa ſingularis erga me benevolentia mihi acutiſsimos addidit ſtimulos, ut, quoad fieri poſſet, tua me eximia beneficia immortali retinere memoria publice teſtarer. Etenim primum ſponte mihi ad tuam amicitiam aditum patefeciſti, & non vulgaris amoris notis me, quem ſubruſticus pudor impediebat, quo te adirem, perbenigne invitaſti. Deinde nulla omnino ſe ſe obtulit occaſio, quo me juvares, quin fide, opera, ſtudio, atque auctoritate mihi vehementer profueris. Quid multa? Nullum prorſus lapidem tibi non movendum arbitratus es, nihilque intentatum relinquendum, quo me, quod in te ſitum erat, beneficiis augeres, meiſque rationibus proſpiceres. Teſtis mihi ſit unus omnium locupletiſsimus Comes Antonius Cantellius Regius Ephebus eques ab aſcopera nec non Conſtantiniano Ordine inſignitus, adoleſcens aureis moribus ſpectatiſsimus. Is enim, quippe qui ad te matutinis ac veſpertinis horis ventitat, tecumque prodeambulatum exit, teque jure ac merito tamquam parentem alterum colit obſervatque

(tan-

Digitized by Google

(tantum ſe tibi debere fatetur ac prae ſe fert) is, inquam, quid de me ſentias, & quam honorifice loquaris, quamque denique te ſollicitum meae rationes habeant, mihi amice narravit. Nonne igitur remiſſi ſolutique hominis fuiſſet, non qualemcumque arripere occaſionem, quo erga te, talem tantumque virum, tamque praeterea de litteraria rep. meritum, quam qui maxime, gratus, ſi non aliud, memorque, qua obſervantia officiiſque, qua beneficiorum commemoratione perhiberer? Qua de re hanc ſtatim captavi occaſionem, neque e manibus elabi paſſus ſum. Meas namque epiſtolas tuo etiam nomine ornatas adeoque tua munitas tutela in publicum emittere volui. Nec temere id egi. Nimirum id operam dedi ſedulo, ut, quod apud homines quodammodo remuneratio videri poterat, id tibi incitamento foret, quo me majoribus ampliori buſque in poſterum beneficiis cumulares. Is enim es, qui, ſi tecum officiis certetur, haud aequo animo vinci patiaris. Accipias igitur te etiam atque etiam rogo hanc qualemcumque memoris mei animi ſignificationem; mihique, quod facis, bene velle ex animo perge. A me Comiti Antonio Cantellio, adoleſcenti praeclara ad virtutem indole, atque incredibili morum ſuavitate praedito meique perſtudioſo, ſalutem plurimam nuntiabis. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei prid. non. Quinct. CIƆIƆCCLXIV.

AN-

ANDREAE FARINAE

Paulus Moccia S. D. 256

JAm mihi, non mediocri animi mei voluptate, redditae ſunt epiſtolae, atque plangunculae, &, quod caput eſt, ita elegantes mundaeque, tamquam capiti gnavi bajuli impoſitae huc aſportatae fuiſſent. Vere ut dicam, incredibiliter laetatus ſum. Pertimueram enim, nec temere, ne, prout nunc ſunt tempora, deperiſſent. Omnes vias latronibus obſideri, nihilque tutum ab inſidiis maleferiatorum hominum eſſe, qui famem cauſſati, nihil ſibi non licere autumant, huc nuntiatum eſt. Sparſere praeteritis diebus mulos, qui Melphi profecti erant, de more huc agendi, omnino excuſſos fuiſſe, abactoſque. Quare Deo ſtatim, uti par erat, gratias egi, ubi per noſtrum puerum ab janua exſpectatiſſima mihi capſula reddita fuit. Vix credas, funiculis inciſis, at jam reſignatis (ceram quippe hiſpanicam avulſam offendi) mirum quantum odoris inde afflatum eſt. Fabae enim, quae imam capſulam, in ſingulos cucullos diſtributae, obſidebant, pene ſic, ut illico educerentur, efflagitabant. Libenter parui, eduxi, ac ſtatim unam ori admotam ubi guſtavi, ſuaviſſimi boli jucunditas totos ſenſus pervaſit. Vno verbo: revixi, hoc praeſertim tempore, quo hîc lupinis iiſque triſtibus (prae nimia vendendi feſtinatione, vix ſinunt ut ſale aquaque macerati amaritiem deponant) palatum aſſuefeceramus. Quare multum

te

te amo, & quod ſacchareas mihi fabas miſeris, & tempore mittendas curaveris. Tibine ſoli, an potius tuis omnibus alumnis per me gratiae perſolvantur oportet, quibus dono datae ſunt ab induſtriis Virginibus Veſtalibus, quae iſthîc maximo cum reip. commodo, poſtquam animorum officiis defunctae ſunt, corporibus curandis minime ſuperſedendum exiſtimant? Vt taceam affabre elaboratas icunculas, quae regia in pinacotheca cum dignitate collocarentur. Ars enim naturae cedere neſcia videtur. Imagines vero, quae SS. Chriſtophorum, & Cajetanum exhibebant, Cajetano noſtro tradidi. Is mihi recepit, ſe ſtatim curaturum, ut ad Chriſtophorum Fortium ſua cognominis effigies perferatur. Interim tibi Cajetanus gratias agit, tibique, ut officioſe ſuo nomine ſalutem adſcriberem, me etiam atque etiam rogavit. Ad meam iconem quod ſpectat, ubi illam vidi, erratum meum deprehendi. E gladio enim, qui in imo apparebat, Paulum Apoſtolum eſſe cognovi, quem Andream, curſim lectis tuis proximis litteris, eſſe putaveram. Vt verum fatear, pene refrixi. Te te mihi adeſſe optabam, tuique imaginem praeſtolabar. Quare aut fac mittas, quae Andream exhibeat, aut, quam Paulum referentem miſiſti, tibi remittam. Quid enim hîc pars moror altera? Quid aliud? etiam. Decantatiſſimum, mihique cariſſimum Fabricium deinceps mittes, quem licet in ore ac in ſinu geſtem; tamen, ut continenter mihi ante oculos obverſetur, meo in muſaeo perbelle effictum collocabo. Cuinam, amabo te, vel feliciſſimo ſalivam non movero, ſi una cum tanto ſocio, &

con-

contubernali mihi muſis operam navare licuerit? Is quidem qua moribus ſupra fidem atque aetatem ſpectatis, qua praeclaro ad virtutem impetu, mihi licet currenti ſtimulos admovebit. Age age, amice amantiſſime, me quamprimum fac exſpectatiſſimis iconibus exhilares, beeſque. Nihil enim mihi gratius, nihil jucundius, nihilque praeſtantius mittere poteris. A me tuis omnibus ſalutem, fauſtumque Paſchale omen. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei XI. kal. Maj. CIƆIƆCCLXIV.

EMMANVELI CAMPOLONGO

Paulus Moccia S. D. 257

HOdierna luce Saturno ſacra mihi redditae ſunt tuae litterae, quas ubi legi, quod athletice valeretis, laetatus ſum vehementer. Quod vero ingratiis impeditiſſimi itineris, quod magnam partem per confragoſa ac declivia loca, viam praemonſtrantibus lixis & calonibus, conficere cogebamini, litteras qua Latiali puritate, qua Atticis ſalibus condîtas ad me miſeris, ita gaviſus ſum, ut nihil ſupra. Ac ne quid omnino requireretur, quo undiquaque perfectae viderentur, ſapidiſſimis ac puriſſimis verſibus adſperſiſti. Hui! quot quantaque momento temporis expediviſti! Bajulis opera danda fuit, merceſque perſolvenda: ſarcinulae componendae: domus quam celerrime inſtruenda lectis: culina non in poſtremis relinquenda: vires paulliſper colligendae: & tamen dicto citius eam conſcripſiſti epi-

piſtolam, qua abſentis amiculi moeror omnino levaretur! Gratias tibi ago, quod ſcripſeris, habeoque immortales, quod ita ſcripſeris, ut me beaveris. Gratulor autem Bronzolio, quod certo ictu venatur; verum illud dolui, quod ita aviculas ferit, ut lancinatae fruſtillatim diſſiliant. Namque ni caverit poſthac, periculum erit, ne rei aviariae caritate urgeamur. Quod vero me iſtuc arceſſitis ad paucos dies ruſticatum, vobis, uti par eſt, gratias ago. Quibus vinculis conſtringor, probe calletis. Praeterea jam inſtat noſtra Dialis ruſticatio, quam ſi poſthaberem, magno piaculo obſtringerer. Tum enim cum maxime vigilantia oculiſque lynceis praeſto ſimus oportet. Quandoquidem igitur haud fieri poteſt, ut vobis morem geram, illud vos oro, ut ita cuticulam curetis, ut huc gladiatoria ſagina valentes redeatis. Quos amice ſalutaſtis, vos reſalutant officioſiſſime. Teſta, communis amicus, jam ruſticatum perrexit ad Summani montis radices. Vbi primum potero, Gallicae tuae matronae, feminae moribus ſpectatiſſimis, tuo nomine ſalutem communicabo. Vale.

P. S. Quam hic complicatam accipis epiſtolam multis abhinc diebus ſcriptam non ſtatim miſi, quia, qui huc proficiſcerentur, neſciebam. His accedit quod tuae litterae ſerius opinione ad me perlatae ſunt. Quare ſi quae in illa amice monemini, intempeſtiva videntur, ne mirere. Illam enim tempeſtive ſcripſeram. O me vere funginum, ac cucurbitini capitis! Jam pene oblitus eram adſcribere ſalutem mellitiſſimo Bronzolio.

lio. A me illi igitur ſalutem pugilicam peramanter nuntiato. Iterum vale. Ex Aedibus Regii Ephebei VII Idus Octob. CIↃIↃCCLXII.

EIDEM. 258

ARtolaganos, paſtillos, globulos ſacchareos, amygdalinum panem e ſaccharo & melle confectum modo cylindrum, modo priſma, quandoque cubum exhibentem, & interdum quadram, cruſtula, piperata fruſta, ceteraque dulciaria ſalgama diligenter paranda curaſti. Quid multis? Ea omnia coëmiſti, quae ruri cum eſſes corpori, cuticulaeque molliter curandis inſervire ad nauſeam uſque videbantur. Quid, quaeſo te, animo fiet, quo nihil melius, nihil praeſtabilius, nihilque pretioſius in nobis eſt, quoque uno tantum a belluis diſtinguimur? Anne mente excidit potius Platona Stipare Menandro, ritu Chryſippi, ceteroſque in unum cogere libros, quos tot tantiſque impendiis comparaſti, quoſque manu diurna nocturnaque, nulla ſomni cibique ratione habita, verſare ſollemne ſtatumque habuiſti? His profecto ſociis faſtidia quaecumque illic emergent, facile vinces. Quid, amabo, te fiet, ſi pluviis continentibus impeditus, domi ſervare cogêris? Plerumque quae amoeniora loca ſunt, tunc temporis faciem ſumunt horridiorem triſtioremque. Namque iis ceteris carent auxiliis quibus urbs ſcatet, nimirum Xyſtis, Caffai domibus, populique frequentia, qui ingratiis viarum oblimatarum, fluviorumque e tectis in ipſas vias decidentium, ſurſum deorſum curſitans totam urbem

bem perreptat. Haec pluvio tempore ſi feneſtrae inhaerens, aut ad foros adſidens adſpexeris, cum in urbe manetur, jam quis neget, quin animum vel occupationibus fatigatum, vel alia quavis re torpentem, non parum allevent recreentque? At his omnibus, qui ruſticatur, omnino deſtituitur. Si forte, ubi imber ingruit, tonat, fulguratve, feneſtram aperueris, jam jam imminentibus nubibus, (quam prope impendeant montanis in locis haud te fugit) obrui videris. Neque, ſi quid accidit, vel Stentor ſis, jubilare quidquam proderit. Qui ſuppetias ferat, nemo unus erit. Quod contra fit in urbe. Vel ſi exiliter quiritaveris, totam ciebis civitatem, periculumque erit ne multitudine opprimaris. Quare jam tibi ſocios comiteſque ruſticationis para, quos in auxilium advocabis, ubi nubes aut caelum, aut animum obtexerint. Quae te monitum amice volui, examuſſim Cajetano ordine narrato, ne forte, ſi quid contra uſuvenerit, ſe non praemonitum fuiſſe cauſſetur. Haec ſi ruſticationem comitentur, jam animo auguror futurum, ut illa felix fauſtaque evadat. Nam ita corpus curabitur, ut animus haud neglectui habeatur. Cura ut valeas. A me Cajetano ſalutem Pancraticam nuntiato. Iterum vale. Ex Aedibus Regii Ephebei poſtr. kal. Octobres CIↃIↃCCLXIII.

BERNARDINO VERDE

Paulus Moccia S. D. 259

TE advocati Fiſci dignitate auctum eſſe, nae ego tantopere laetatus ſum, quanto & ipſemet opere dolui, quod communis amicus Canonicus Ambroſius Scaramutius pene immaturo fato e vivis ſublatus fuerit. Pro qualem virum amiſimus! Adhuc mihi ante oculos obverſantur ejus in me beneficia, antequam huc arceſſerer. Adhuc recentia apud me ſunt ipſius *αὐτόματα* officia, non vulgaris benevolentiae argumentum. Perſancte igitur tibi, qui illo ſemper familiariſſime uſus es, recipio, me numquam commiſſurum, ut ejus erga me promerita intermoriantur, Qua potero, ut gratus videar & exiſtimer, contendam. Tu interim honore tibi a Card. Antonino Serſalio, acerrimo ingeniorum aeſtimatore, delato ita fac fruare, ut deceſſoris tui, tibi amiciſſimi munus & pro dignitate ſuſtineas, & te illum audiſſe, ejuſque aedes ſelecto Academicorum conſeſſu celebres frequentaſſe glorieris. Quid enim? Hoc certe quidem pacto tibi non parum honoris ornamentique paries, ac demortui cl. viri memoriam perennabis. Tandem, mihi credas velim, cumulum dubio procul tuae exiſtimationi addes, ſi ite te geſſeris, ut & Franciſcum Verde, gentilem tuum, Canonicum, & Vicarium Neapolitanum Capitularem & Generalem, Vici Aequenſis Epiſcopum, virum omnium ſaeculorum praedicatione digniſſimum, & Nicolaum

laum Verde patruum tuum Canonicum & Averſani Clericorum Collegii Rectorem, ad vivum exprimas. Crede mihi, affatim domi tuae exempla tibi ad imitandum ſuppeditabunt. Atque hic poſtremus & ipſe de ſcientiis diſciplinisque omnibus meritus fuit, ac te nedum filii loco habuit; verum etiam iis te litterarum ſtudiis excolendum curavit, quibus ad ampliſſimos quosque dignitatis gradus ſuſtinendos idoneus comparareris. Neque illum ſpes fruſtrata eſt. Concitatam enim de te exſpectationem longe plurimum viciſti. A me Joſepho germano tuo, ac Franciſco Pepe, viris de interioribus litteris ac de philoſophicis ſtudiis optime meritis, mihique amiciſſimis, ſalutem plurimam imperties, quam etiam meo nomine Canonico Thomae Taglialatelae, viro πολυμαθεστάτῳ, officioſe nuntiabis. Cajetanus Migliore te peramanter ſalvere jubet. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei IV. id. Quinct. CIƆIƆCCLXIV.

FABRICIO PIGNATELLO

Paulus Moccia S. D. 260

QVod majores noſtri ſapienti ſane conſilio induxerunt, ut, ſive Nataliciis, ſive luſtricis diebus recurrentibus, fauſta invicem ex animo precaremur; id vel ex eo capite laudandum mihi videtur, quod quandoque viri & nobilitate & virtute inſignes haec officia ceteris infra ſe poſitis libenter perſolvant. Quo quidem, meo judicio, nihil utilius, nihilque praeſtantius

excogitari poteſt. Hoc enim pacto hominum ſocietas mirifice fovetur. En, vix meus appetere incoeperat luſtricus dies, cum Joſephus germanus tuus natu minor, ante tempus amiciſſime mihi ea praeſtitit officia, quae me ab hiſce prorſus neniis natura abhorrentem mirabiliter delectarunt. Jam nunc tuis nec opinis opprimor litteris eximii amoris benevolentiaeque notis affatim refertis. Valde te amo, praeſtantiſſime Fabrici, tibique gratias ago maximas, quod mei memoriam retineas, quodque me beneficiis ornare numquam deſiſtas. Vix enim, quae tua humanitas eſt, officio ſatisfeceras, cum mihi amice ſignificas, jam in promptu praeſtoque eſſe plangunculas, quas mihi benigne promiſeras. At quas? quae te mihi oculis ipſis cariorem, tuumque eruditiſſimum praeceptorem ad vivum referrent. Credas mihi velim, nihil umquam me avidius exſpectaſſe commemini. Numquidnam novi? Saevientium in ſingulos dies morborum metu percellimur. Et, quod pejus eſt, oculi, quocumque incurrunt, mortis imagine contriſtantur. Nunc tandem illud conſilii initum eſt, ut pannoſis egenis ſqualoreque confectis, quibus praecipua malorum origo adſignanda eſt, quamprimum proſpiciatur. Jam unum in locum cogentur, nimirum in ſtativa prope D. Magdalenae pontem, ubi, qua lavacris noviſque veſtibus (quas enim gerunt in unum congeſtae coacervataeque comburentur) qua diligentiore procuratione id effectum iri ſperatur, nimirum ut peregrini ſanitati reſtituti ſuos quiſque lares repetant numquam poſthac redituri; noſtrates vero in Ptochotrophium recluſi

cluſi operi addicantur. Hinc Regis juſſu quinque primariae matronae eo conſilio & matutinis & pomeridianis horis urbem obeunt ſtipem quaeſiturae. Noſtra Paroecia aliaeque tres finitimae obtigerunt Palacioli Principi, Feminae incomparabili. Ingens quippe pecunia conſiat neceſſe eſt, quo tantum opus perficiatur. Innumerus enim numerus pauperum huc quotidie confluit. Nudius tertius maximo omnium moerore diem obiit ſupremum Marchio Hyppolitus, Regius Conſiliarius xxxv annos natus. En quî familia quae a patre incoeperat, in filio deſiit. Dominicus Sangrius exercitus imperator minus belle habuit, atque etiamnum lectulo detinetur. Vincentius Vulcanus, qui jam in eo fuit, ut animam efflaret, meliuſcule habere coepit. Credideris? Hîc noſtri ſermones nihil niſi morbos mortemque crepant; &, quod caput eſt, pene malis ſenſim ſine ſenſu aſſueſcimus. A me tuo incomparabili parenti, tuiſque germanis, ac τῷ πάνυ praeceptori ſalutem plurimam dicito. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei prid. kal. Jul. CIↃIↃCCLXIV.

P. S. Poſtridie nonas Junias ann. 1764. Getardus Francionius oppidi Siciniani natus annos XIV. menſes X. dies V. ſtrangulavit Honuphrium Francione ejus patruelem natum annos III. ac in cibum pararum manducavit una cum Joſepho Caruccio ejuſque familia. Hic cauponariam faciebat in oppido Terrae novae. V. idus ejuſdem menſis idem immaniſſimus adoleſcens fauces eliſit Vincentio Bajonius puero pariter trimo Terrae novae, crudumque ac incoctum devoravit. III.

idus ejuſdem calcibus animam ademit Joſepho Juliano Siciniaenſi vix quinquenni, cumque e ſecto corpore cor, hepar, pulmonem ceteraque eduxiſſet, ea omnia inhumaniter mandit. Taeterrimus hic hominum generis hoſtis jam captus eſt, omniaque ad unum faſsus eſt. Rogatus, cur tantum ſceleris patrarit? Se ſe impotenti fame adactum fuiſse malitioſe reſpondit. Vix aut ne vix quidem Graecis Latiniſque litteris quiddam ſimile conſignatum reperietur. Et tamen quod rudi currentique calamo ſcripſi, ita verum eſt, ut in dubium revocari nequeat. Totius inauditi facti narrationem a Salernitanae Provinciae Praeſide miſſam ipſemet legi. Παρέκβασιν hanc aequi bonique fac conſulas. Digna quippe res eſt, quae poſteritati commendetur. Iterum vale.

P. S. Heri veſperi deceſsit Vincentius Vulcanus. Tertium vale.

MICHAËLI ANGELO LONGANO

Paulus Moccia S. D. 261

QVem mihi praeteritis diebus nuntiaſti ἀσπασμὸν nomine Vincentii Caraccioli, juvenis matheſεωn ſtudiis ſupra fidem deditiſsimi, is mihi gratus jucunduſque exſtitit. Quid enim? Is quaſi ſatis haud habuerit me de meliore nota commendaſse Joanni Baptiſtae Caracciolo Averſano-

ſanorum Antiſtiti, ejus patruo, viro de ingenuis artibus ſcientiiſque omnibus inſigniter merito; nullam omnino abire patitur εὐχαριαν, quin me beneficiis obſtrictum ſibi arctius devinciat. Numquam enim non mihi occurrit (occurrit perſaepe Regiis in aedibus) quin me amice excipiat, benigne ſalutet, ſuamque mihi operam, ſtudium, opem, fidemque perliberaliter polliceatur. Qua de re tibi gratulor, quod hujuſmodi auditorem nactus ſis, qui nedum tuae exſpectationi, pene divino quo pollet ingenio, reſpondebit; verum etiam te benevolentia, quoad vixerit, complectetur ſingulari. Is enim eſt, qui humanitate cum humaniſsimo quoque certare ſibi laudi ducit, atque in eo ſibi placet quamplurimum. Bene ſit igitur Caracciolis, qui ita plerique omnes natura comparati ſunt, ut hominibus demerendis juvandiſque nati eſse videantur. A me illum plurimum ſalvere jubebis. Vale.

ANDREAE FARINAE

Paulus Moccia S. D. 262

QVod litterarium officium per duas hebdomades intermiſſum revocaris, doleam ne, an gaudeam, prorſus ignoro. Non parum enim laetabar, quod tua ceſſatione in cauſſa fueris, cur tuorum alumnorum ſuaviſsimis juxta atque elegantiſsimis litteris bearer. Ceſſa, ſodes, quandoque a ſcribendo, quo mihi jacturam tanto cum foenore ſarcias. Crede mihi, haudquaquam deſes

pigerque traduceris, modo tui alumni mihi oculis ipſis cariores tuas partes expleant. Quod vero ſcribis, tibi aegre fuiſſe, quod tuam orationem panegyricam laudibus extuliſſe contentus, illam omnino intactam reliquerim, nihilque in ea immutarim, id tibi tuaeque exquiſitae ſac diligentiae adſcribas. Quae enim ſcribis, ita ſcribis, ut ne putidis quidem faſtidioſiſque Ariſtarchis locum dubitationis relinquas. Praeterea multum te, Fabriciumque amo de ſacchareis ſabis, ac potiſsimum de elegantiſsimis imagunculis. Illas nondum accepi. Quo tuto ad me perferantur curabo. Jam uni e ſervis diligentiſsimo negotium dedi; qui cum percontatum iviſſet, proxima ineunte hebdomade allatum iri renuntiavit. Hîc in dies majore concutimur augeſcentium morborum timore. Quamplurimi jam urbe exceſſerunt, quo melius tutiuſque ſaluti proſpicerent. Liberiore namque caelo frui nunc conſultiſsimum eſt. Forum pene orbum litigantium turba eſt, licet juſtitium indictum non ſit. Theatra omnia conſtiterunt. Nundinae jam apparatae inſtructaeque ne aperiantur, diſtricte vetitum eſt. Quo vero uno intuitu cernas, quot in ſingulos dies SS. Viatico muniti ſint, quotque obierint, elenchum diligentiſsimum ad te mitto. Illud autem advertas volo, qui in illo deſcribuntur, eos tantum ad ſingulas Paroecias pertinere. Nam, qui in Noſocomiis moriuntur, ſeorſum notantur. Vide in quae nec opina mala conjecti ſumus! & quod pejus eſt, nulla adhuc ſpes affulget fore, ut miteſcant. Quotidie magis magiſque ſaeviunt. Vix credas, nullum adhuc remedium inventum eſt,

quo

quo ſerpentibus morbis tuto obviam eatur. Heſterna die magnifico funere elati fuere Fragniti Dux, atque Abbas Rufinus Romanae Sedis Neapoli Auditor. Prior aqua intercute, alter morbo nunc ingruente e vivis ſublatus eſt. En paucis interjectis menſibus S. Sedis Nuntius, ejuſdemque Auditor interierunt. Vterque hic magnum ſui deſiderium reliquit. In locum demortui Conſiliarii Hippolyti ſuffectus eſt Januarius Cariſsimus, vir de Juriſprudentia praeclariſsime meritus. Judex lectus eſt Salvator Gentile, Teleſiae Epiſcopi germanus. Promotio cunctis arriſit. Hoc mane ingenti omnium bonorum moerore fato conceſsit Comes Vigolinus Praetoriarum cohortium Succenturio. A me Fabricium ejuſque germanos omnes nec non incomparabiles parentes plurimum ſalvere jubebis. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei Non. Jul. CIƆIƆCCLXIV.

P. S. Emmanuel Campolongus, qui me hoc matutino viſit, ut tibi ſalutem adſcriberem, me etiam atque etiam rogavit. Te igitur ſalvere jubet peramanter. Iterum vale.

ANTONIO PAGNANO

Paulus Moccia S. D. 263

QVod me μάντιν ἀγαθῶν, &, quod caput eſt, minime λοξὸν praedices, in eo eximium, quo me nihil tale merentem proſequeris, amorem agnoſco; quod vero id haud locupletiſſimo ac nulli non conſpicuo promeritorum tuorum in litte-

litterariam remp. ac praeſertim erga iſtud florentiſſimum adoleſcentium collegium penori adſcribas, amice tuam accuſo ἀπάθειαν. Cui enim vel peregrino ac hoſpiti in iſthac urbe Averſana, bonarum artium Domicilio, inſignia merita latenr, quibus mirifice nites? Si cetera deſint, ea vel jucundiſſimae, doctiſſimaeque in Infantulum Chriſtum Jeſum recens natum anniverſariae a te editae cantilenae ſatis ſuperque evincerent. Qua re nedum vatis (praefiſcini) munus refugio; verum etiam & illud praenuntio fore, ut haud longo interjecto temporis ſpatio, magis opimo ſacerdotio auctus a vigilantiſſimo noſtro Antiſtite, acerrimo ingeniorum aeſtimatore Nicolao Spinello, ad ampliſſimos quoſque dignitatis gradus provehare. Neque illud addo: utinam ne falſus ſim vates! Nam alias ab illo non abluderem, qui, ubi feminam uterum geſtantem vidit, vaticinaretur futurum, ut marem, femellamve pariat. Macte igitur animo eſto; ac perge ut coepiſti: haud enim dubie & tuis emolumento, noſtro Municipio honori, ac univerſae Averſanorum Dioeceſi eris lumini ac ornamento. Canonicis Patricellio, ac Trajectino a me ſalutem plurimam; quam etiam Michaëli Sanfelicio, Aquavellae Duci, viro de politioribus aeque ac de mathematicis ſtudiis inſigniter merito, meis verbis diligenter impertias. Vale, meque, ut facis, ama. Ex Aedibus Regii Neap. Ephebei prid. kal. April. CIƆIƆCCLVII.

FRAN-

FRANCISCO DANIELI

Paulus Moccia S. D. 264

MOrtis nuntius τῦ πάνυ Comitis Franciſci Algarotti mihi triſtiſsimus accidit. Tanti enim viri opera omnia, dubio procul cedro linenda, legeram ſane quam attente, eaque ita mihi diurna nocturnaque manu verſanda putavi, ut in ſuccum ac ſanguinem, ſi fieri poſſet, converterem. Mirus eſt ubique, qua novo ſelectoque ſcribendi genere, novaque rerum methodo compendiariaque, qua rebus ipſis καινῶς tractatis, elegantique forma ornatis. Quare non potui, ubi tuas legi litteras, quin maximopere dolerem. Refeciſti vero me, doloreque perculſum non parum erexiſti, ubi mihi licet obiter ſignificaſti, illum, LII. annos natum, ita diem Piſis obiiſſe ſupremum, ut, ſummi imperatoris accitu, e vita tamquam e ſtatione diſceſſerit. En, quae mors falſo putatur, immortalitas eſt cum fluxa caducaque vita non ſine ingenti foenore commutata. Quae cum ita ſint, quî demiremur, quod deſitura bona fugaciaque animo excelſo invictoque ita reliquerit, ut amicis illa ſtudioſiſsime diſpertienda ſupremis tabulis caverit? Hoc enim pacto ſe gerunt, qui hinc tamquam e diverſorio, haud vero veluti e domicilio diſcedunt. Minime quidem illa animi aequabilitate deturbantur, qua in omni vita uſi ſunt, cum ex his corporis compagibus, in quibus includimur, jam jam emittendi, ad caeleſtium animorum domicilium ſunt evola-

volaturi. Quin imo qua hîc premebantur terrenarum rerum neceſsitate exſoluti, jam ea deſpiciunt, quae antehac magnifecerant. Hinc incredibilis in amicos liberalitas, hinc benefactorum praeſens grataque memoria. Quaeque utenda fruenda acceperant, aliis libenter tradunt, eodem prorſus pacto illis deinceps uſuris fruituris. Quod contra fit, ubi animus rebus fluxis tamquam non deſituris ſtulte adhaereſcit. Atque hinc ſtatim perturbatio, amicorum neglectus, ſupremarumque tabularum injurioſa incuria. Quare, qui, accepto triſtiſſimo nuntio, ob tanti viri tam inſigniter de litteris meriti jacturam, pene ingemui, cum eo perveni, ubi ejus teſtamentum ordine narrabas, non potui, quin, dolore valere juſſo, animum ad laetitiam transferrem. Quippe illum amiſiſſe videbamur, qui ita natus erat, ut tandem hinc migraret oporteret; verum ita migraſſe, ut in illud unum, quoad vixit, omnia conſilia, cogitationeſque omnes direxiſſe non temere judicaremus. Gratias igitur tibi ago, quod me tanta de jactura, quam litteraria paſſa eſt Reſp. certiorem faciendum putaveris; quodque eodem tempore ea mihi ſuppeditaveris conſolationis argumenta, quibus animus licet afflictus perculſuſque non mediocriter levaretur. A me Joanni Adimaro, viro cum proſapiae vetuſtate, tum litteratura omni, qua mirifice excolitur, aureiſque moribus inſigni, communi amico, ſalutem plurimam ſi impertiveris, per mihi gratum facies. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei Non. Quinct. CIƆIƆCCLXIV.

AGNEL.

AGNELLO PAGNANO

Paulus Moccia S. D. 265

EN anniverſaria huc reditione, menſe potiſſimum Quinctili, neſcio quonam fato, meis parentibus, devexa jam ad ſenium aetate, gravi damnoſoque, tuis de more afficior beneficiis iiſque ſingularibus. Sane quidem, poteſt ne quidquam cogitari valetudine vitaque ipſa jucundius praeſtabiliuſque? Et tamen tu medica tua ope hanc plus vice ſimplici meis reſtituiſti. Reſtituiſti autem? Imo cum foenore amiſſis viribus receptis, juveneſcere viſi ſunt. Idem prorſus mihi contigit, cum, vix adoleſcentia inita, Averſano in Clericorum Collegio, immoderato ſtudiorum uſu, gravi pectoris dolore correptus, in eum incoepi implicari morbum, unde nulla omnino emergendi ſpes affulgebat. Per tuum autem parentem τὸν μακαρίτην Antonium Pagnanum, qua Latinis Graeciſque litteris nec non Etruſcis, qua medica arte praeſtantiſſimum, ac τῷ πάνυ Franciſco Boncorio Regio Archiatro amicitia a primis temporibus amiciſſimum, id effectum praeter omnium exſpectationem fuit, ut diuturna curatione e morbo pene inſanabili evaſerim. Ne enim tabeſcerem, metus erat. Neque hic beneficiorum finis. Quotieſcumque praeterea me viſebat (viſebat enim ſaepiſſime) ipſius eruditis doctiſque detinebar ſermonibus. Hui! quot quantaque argute perbelleque excogitabat, quo aegris conſuleret. Vix quidquam novi accidebat (quem fugit quot in dies ſingulos enaſcuntur malorum

genera

genera?) cum in illud commentando, ſemper opportuna, quoad fieri poterat, extunderet medicamenta. Ita quippe utilitati inſerviebat, ut ab aegrotorum bono (quod unice optare videbatur) ne latum quidem unguem diſcederet. Atque hinc procul dubio factum eſt, ut, quae ſuis ipſius laboribus peperit bona, in filiis auctiora perennare laetemur. Neque tibi tuiſque rem ſane praeclaram reliquiſſe contentus, ipſemet te ad virtutem, atque ad Hygiae ſacra veluti manu duxit. Macte eſto igitur tantis tui tam inſignis parentis bonis, iiſque ita utere, ut te ceterorum etiam commodo emolumentoque natum eſſe memineris. Namque ita ſi feceris, Patris tui, cujus animi corporiſque imaginem refers, memoria apud tuos populares renovata, quo ejus manibus bene precentur, eos magis magiſque incitabis. A me Laurentio Perottae, viro de medicina optime merito, ſalutem dices. Vale.

CAJETANO MIGLIORE

Paulus Moccia S. D. 266

QVod mea excuſatio per Joſephum Mariam Fagonium J. C. virum mihi amiciſſimum non minus quam praeclariſſime de interioribus litteris meritum aequi bonique conſulta fuerit, laetatus ſum vehementer. Haec quippe res me non pauculis diebus ſollicitum habuit; & merito adeo. Prima quidem fronte ejus imperata, quae mihi ſemper auro contra non cara fuerunt, in poſtremis habuiſſe videbar. Quid enim minus in amici gratiam facere potuiſſem, quam Hexaſti-

con

chon ex tempore fundere, quo in eruditam Συλλόγην reciperetur? Et tamen res ita ſe ſe habuit, ut ipſi morem gerere nequierim. Primum enim omne ſibi tempus, quod nobis a domeſticis curis ſupereſt, vindicant, quas jam typis committo epiſtolas. Modo digeram oportet, quod imprimendum eſt: modo impreſſum ſecundis curis recudo: modo tandem in illud omni cogitatione curaque incumbo, ne qua ſcilicet menda in illas irrepant. Deinde nec opinus mei parentis morbus acceſſit. En quî factum eſt, ut amici amantiſſimi juſſa neglexerim. Quare tibi gratias ago, quod ita rem cum ipſo tranſegeris, ut nedum ſatis apud eum purgatus, verum etiam omni prorſus culpa vacuus viſus ſim. Quod vero mihi grates perſolvis ob laudes in tuum eruditum epigramma collatas, in eo humanitatem tuam agnoſco. Quaſi id tibi non jure ac merito deberetur, pro ea qua es modeſtia, e laudatore tuis non inficetis carminibus pretium dignitatemque arceſſis. At pace tua dixerim: oppido falleris. Quantaecumque enim laudes infra tuum meritum ſunt. Quocirca fac ſumas ſuperbiam tuis quaeſitam meritis. Mihi crede, tantum abeſt, ut tua virtus pro dignitate commendetur, ut potius timendum ſit, ne culpa ingenii deteratur. Tandem pergratum mihi accidit, quod Bernardinus Verde Fiſci patronus, communis amicus, meam qualemcumque epiſtolam aequi bonique fecerit. Valde enim enim eum merito amo. A condiſcipulatu me egregie dilexit, ac, pro re nata, quantum in ſe fuit, me beneficiis ornandum curavit. A me illi ſalutem plurimam dices, quam etiam

etiam meo nomine Paſchali Napodano, ac Joſepho Mariae Fagonio, viris de philologia inſigniter meritis, officioſe imperties. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei XI. kal. Sextil. CIƆIƆCCLXIV.

NICOLAO GORGA

Regii Ephebei Moderatori

Paulus Moccia S. D. 267

JAm cumulus tuis erga me beneficiis acceſſit, atque haud ſcio an auctarium illis longe plurimum antecellat. Hoc quidem certe unum conceptis votis optaram, inque id ſolum curas omnes cogitationeſque defixeram, nimirum ut mihi ea offerretur occaſio, qua Allianenſium Principi, viro cum de Rep. litteraria, tum de me optime merito, ſatis quo quo modo facere viderer. Id per me & libenter, & pro virili effectum eſt. Illius enim ampliſſimum nomen quo meis in litteris exſtaret, curavi diligenter. Verum, quod mea qualiſcumque epiſtola per eum aequi bonique conſulta ſit, tibi uni, qui apud illum, pro omnijugena ſcientiarum diſciplinarumque cognitione qua mirifice excoleris, & gratia & auctoritate plurimum vales, acceptum refero. Quare, pro eo ac debeo, tibi gratias ago maximas, habeboque, quoad vivam, immortales. A me illi, ejuſque ſuaviſsimis juxta atque humanitate omni perpolitis liberis ſalutem dices officioſiſsime; quam etiam Joſepho, germano tuo, viro juriſprudentiſsimo, meis verbis imperties. Cura ut valeas.

L V.

LVDOVICO ECHABVRO

Paulus Moccia S. D. 268

QVas nuperrime dediſti litteras elegantiſsimas aeque atque humanitatis pleniſsimas ad τὸν πάνυ Thomam Faſanum, forte fortuna cum legerim, eas ſuſpexi atque deoſculatus ſum. Mihi quidem ſummopere volupe fuit, quod ita iſthic humaniores interioreſque litteras colere perrexeris, ut non parum in illis profeciſſe videreris. Quid enim? Fundamentis hic jactis quod tantum immolitus eſſes aedificium itaque affabre ornandum exaſciandumque curaſſes, non potui mihi temperare, quin vehementer laetarer. Crede mihi, quod te in logicis, geometricisque ſtudiis erudiſſem, gaviſus ſum. Jam enim maturitatem adſecuta videbatur ſeges, quae hic viriditate futuram copioſam meſſem oſtentabat. Sane quidem numquam te non ita, cum apud nos eſſes, geſſiſti, quin maximam tuae in litteris progreſsionis ſpem injeceris. Id porro jam exitu comprobatum eſſe, tuique amantiſsimi parentis, meique ſupra fidem ſtudioſiſsimi conſilia feliciter ſucceſſiſſe gratulor. Illud tamen unum nunc reſtat, ut, quod peracri ſtudio inceptaſti, perficias diligenter. Quod ſi ita feceris, haud deſpero futurum, ut concitatam ſuperes exſpectationem. A me parenti tuo, viro aureis moribus praeſtantiſſimo, ac Joſepho germano tuo Regio ephebo equiti, adoleſcenti ſuaviſsimo, ſalutem plurimam dices. Franciſcus Giglius, ac Thomas Faſanus,

viri de litteris inſigniter meriti, te ſalutant peramanter. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei prid. Id. Quinct. CIƆIƆCCLXIV.

BENEDICTO CLEMENTI

DE AROSTEGVI

Paulus Moccia S. D. 269

LEctis tuis eruditiſſimis litteris atque humanitatis officiis ſupra fidem refertis, pene revixi. Adhuc enim ſollicitum me habebat, angebatque non mediocriter illa cura, qua nonniſi homines natura meticuloſi, aut neſcio quonam ipſorum fato ſuſpicaces exeduntur, nimirum ne quam ad te ſuperioribus diebus dederam epiſtolam, ampliſſimo Galliarum Oratori ſiſtendam, ea ingrata importunaque accidiſſet. At vero nunc omnem prorſus depuli ſuſpicionem, animoque conquievi. Eam enim nedum aequi bonique conſultam fuiſſe; verum etiam tanti viri tamque bene de litteris meriti laudes promeruiſſe amice ſignificaſti. Vere ut dicam, pene gaudio exultavi. Quo enim rimula ad tanti viri amicitiam mihi pateret, percupiebam. Quare tibi gratias ago, habeoque, quoad vivam. Quî, amabo te, fieri poterit, ut tanti beneficii memoriam interire patiar? Aegre vero mihi fuit, quod tantopere doleres mellitiſſimi Michaëlis Angeli abitione. Erecto fortique animo ſis velim; atque illud fac cogites, amicos haud amitti, cum eos honoribus auctos alio commigrare conſpicamur. Illorum enim

nim gloria decuſque ad nos majorem partem redundat. Quid, ſi honores adſecuti ſunt noſtra ope noſtriſque ſtudiis? Tua, tuique beneficentiſſimi Patrui ope eo pervenit, unde ſtatim ad ſummos dignitatis gradus convolabit. Quieſcas igitur, ac, ſi quid tibi ejus diſceſſio dolet, fac tibi potiſſimum adſcribas. Te enim adnitente voti compos factus eſt. Quare aut benefacere deſine; aut dolori modum impone, ne amicorum bono moerere videaris. A me Patruo tuo, viro σοφωτάτῳ, meique ſtudioſiſſimo, ſalutem plurimam imperties. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei kal. Aug. CIƆIƆCCLXIV.

CANONICO JOSEPHO SPARANO

Paulus Moccia S. D. 270

HEri perveſperi cum te conveni una cum Antonio Seſalio, juvene morum ſuavitate ſpectatiſſimo, miram voluptatem percepi. Te enim eum eſſe omnino expertus cognovi, quem te mihi ad vivum effinxerant. Vno verbo: ceterorum bono te natum cum inaudiſſem, revera ipſemet ſenſi. Vix dimidium Antonius dixerat, intellexiſti, negotiumque jam in te libenter ſuſcepiſti. Jam tibi, tamquam beneficio affectus ſim, gratias ago, habeboque in omni vita immortales. Is quippe ſum, qui bona voluntate aeque afficior ac ipſiſmet beneficiis. Verum non parum rubore ſuffuſus abs te diſceſſi, cum tibi peregrinari in hac urbe ac pene hoſpes eſſe viſus ſim. Cum enim inter loquendum de Convi-

ctu paucis abhinc annis ab τῷ πάνυ Card. Antonino Serſalio in Vicanorum adoleſcentium commodum aperto ſermo incidiſſet, id mihi prorſus novum accidit. Jam quidem neſcire viſus ſum, quot quantaſque impenſas liberaliſſimus Purpuratus ſubiſſet, quo Collegium illud iis omnibus inſtrueret, quae tum ad animum virtutibus ſcientiiſque omnibus excolendum, tum ad corpus procurandum, atque ad eleganter habitandum pertinerent. Atque illud prae ceteris mirabundus excepi, nimirum quod ipſemet ſtudioſiſſimus bene moratae Vicanae pubis Cardinalis moderatoris vice fungens ſaepe ſaepius Convictum viſeret, obiret, ſtudiorumque rationem ſevere repoſceret. Me ſane piguit, quod tamdiu tanta tanti gaudii uſura caruiſſem. Cum enim Averſano in Clericorum Collegio tirocinia adoleſcentiae poſuiſſem, haud ignorabam, quanti ſit Paſtorem ipſum ovibus adeſſe, oviliaque per ſe ſe luſtrare. Qua de re tibi, pro eo ac debeo, grates perſolvo, quod tanta me nec opinum laetitia impertiveris, quodque effeceris, ut haec qualia ea cumque ſint, raptim chartis illinerem. Aegre quidem mihi fuiſſet, ſi, jam omnibus mearum epiſtolarum paginis in mundum receptis, id comperiſſem. Aequo animo haec nunc accipe; fortaſſe poſthac hoc idem argumentum ſuſius atque ornatius perſequar. Antonius Serſalius tibi ſalutem dicit officioſe. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei VII. Idus Aug. CIƆIƆCCLXIV.

FA.

FABRICIO SPINELLO

Tharſiae Principi

Paulus Moccia S. D. 271

EN, quas ab Nicolao Spinello Averſanorum Antiſtite, Patruo tuo, jure ac merito auſpicatus ſum epiſtolas, nunc eas tuo ampliſſimo nomine inſignitas volens libens concludo. Te enim ille, dum in vivis agebat, mirifice dilexit, teque unum prae ceteris in ſinu geſtavit. Iis profecto animi dotibus enitebas tenera licet in aetate, ut nemo unus omnium fuerit, quin tuum praecox ingenium admiraretur. Atque id potiſſimum in cauſſa fuit, cur is tuis rationibus pro virili proſpectum voluerit. Tuas enim res ita geſſit, tamquam ſuae ipſius agerentur. Quibus praeterea gaudiis non exultavit, quibuſve lactitiis non geſtiit (cujus rei ipſemet teſtis oculatus fui) cum te primum Mariae Antoniae Spinellae, ſpectatiſſimae puellae, gentilistuae, propinquitateque conjunctae maritum, ac deinde liberis exſpectatiſſimis auctum conſpicatus eſt! Familiae nimirum jam jam deſiturae decus nedum conſtitutum, verum etiam perennitate donatum fuiſſe laetabatur. Quibus te non monitis praeceptiſque (licet currenti ſtimulos adderet) magis magiſque inflammavit, quo ampliſſimi atque de Rep. litteraria praeclariſſime meriti, demortui inquam Tharſiae Principis famam gloriamque poſteritati auctiorem cumulatioremque commendares? Quoties egomet

illum audivi te etiam atque etiam cohortantem, ut acceptam multiplici ſelectorum librorum copia refertiſſimam Bibliothecam deinceps aliis atque aliis voluminibus ampliorem redderes, nullique omnino ſumptui parceres? Quae te examuſſim exhauſiſſe, nemo non vehementer gaviſus eſt. Qua de re patere, quaeſo, ut tuo nomine iis litteris coronidem imponam, quas eo potiſſimum conſilio edere animum induxi, ut, quoad fieri poterat, illius manibus memoriaeque aeternae hoc qualecumque officium praeſtarem. Quod ſi feceris, me tantum laboris non fruſtra ſuſcepiſſe laetabor. A me Antonio Spinello Scaleae Principi, ejuſque incomparabilibus liberis, nimirum Vincentio Miſuracae Marchioni, ac Franciſco Mariae minori natu, quos ad litteras colendas proprio quodam naturae munere factos citra aſſentationem dixerim, ſalutem plurimam imparties officioſe. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei poſtrid. non. Sextil. CIϽIϽCCLXIV.

F I N I S.

Google

VINDICIAE D. BASILII

ADVERSVS BARBEYRACIVM

QVOAD JVSJVRANDVM.

ILLVSTRISSIMO VIRO

CANON. JOSEPHO SPARANO

Paulus Moccia

QVandoquidem publici juris ſit diſſertatio, quam exacto anno tuis in aedibus ſelectiſſimorum virorum conſeſſu celebratiſſimis recitavi; aequum profecto rationique conſentaneum videbatur, ut ea tibi potiſſimum inſcriberetur, tuoque ſub nomine publice appareret. Te quidem duce atque auſpice ad illam pro mei ingenii viribus concinnandam aggreſſus ſum; teque etiam me veluti manu ducente eamdem ad exitum perduxi. Quare, qui pene fidenter illam coram florentiſſima doctiſſimorum hominum corona legi; idem ego tuo nixus patrocinio, tuamque in tutelam commiſ-

ſus,

ſus, in publicum prodire non cohorreſcam. Quem enim fugit, qua tu ornaris doctrina, quantoque ſcientiarum diſciplinarumque omnium penu inſtrueris? Ni tua modeſtia probiberer, mihique que certo certius eſſet, tibi nihil ingratius nihilque inſuavius accidere, quam tuarum laudum acroama; hîc ſane longam illarum enumerationem adtexerem. Illud tamen unum non ſine ingenti piaculo praeterierim, nimirum hîc neminem exſtare, qui litteras colat impenſius, promoveatque acrius vehementiuſque. Quocirca optimo ſane conſilio Cardinalis Antoninus Serſalius, cujus augendae Religionis flagrans ſtudium, atque incredibilis in nuperrime apertum Convictum pro Vicanorum adoleſcentium commodo liberalitas, ex quo jam animo auguror futurum, ut tamquam ex equo Trojano praeſtantiſſimi prodeant Divini Verbi praecones, atque acerrimi Evangelicae doctrinae propagatores (tot enim tantiſque ſcientiarum ac ſacratioris prae-

ſertim

ſertim eruditionis praeſidiis, tanto Purpurato nedum adnitente atque urgente; verum etiam facem illis prae ferente ornantur) nulla umquam diuturni temporis longinquitate obliterabitur, Te potiſſimum Archiepiſcopali Academiae praeeſſe voluit, tuaeque fidei omnia commendavit. Quae cum ita ſint, te oro obteſtorque, ut hanc Diatribam domi tuae conceptam, teque obſtetricante in lucem editam, eo quo ſolitus es ſtudio litteras fovere, ſartam tectam tuearis. Hoc ſi feceris, quo majora ac laborioſiora in poſterum aggrediar etiam tuo ductu auſpicioque, haud dubie committes. Vale. Ex Aedibus Regii Ephebei V. *kal. Sextil.* CIↃIↃCCLXIV.

Vindi-

Digitized by Google

VINDICIAE D. BASILII

ADVERSVS BARBEYRACIVM

QVOAD JVSJVRANDVM.

Barbeyracianas diriſſimas calumnias per omne nefas adverſus D. Baſilium impudentiſſime architectatas atque confictas, quoad fieri poterit, Deo juvante diluturus, ut illi morem geram, cujus imperium detrectare temerarium foret; neſcio quonam modo factum ſit, ut ipſe ſuccenturiatus pugnam, quam ceteri mei commilitones viriliter ſuſtinuerunt, hoſte pene ad internecionem interfecto, redintegrarem, dumtaxat belli reliquias perſecuturus. Quare ingrati animi notam vix, aut ne vix quidem effugerem, ſi praeclare mecum actum fuiſſe negavero, quippe qui hoſtem invadam jam debilitatum ac pene profligatum, quemque, vix inito certamine, ignominioſe terga daturum confidam. Sane quidem tot tantiſque cladibus acceptis, adverſo ſemper Marte pugnis pugnatis, quid illi amplius ſpei reliquum ſit, vix eſt, ut intelligi poſſe videatur. Nihilo ſecius tamen non temere verendum mihi eſt, ne, quod fortiſſimos Imperatores in rerum omnium diſcrimen adductos feciſſe aliquando accepimus, ad idem faciendum audaciſſimus noſter hoſtis aggrediatur. Nimirum ad de-

ſpe-

ſperationem confugiet, quippe quem rei militaris peritum haud fugit, victis quandoque ſalutem affulgere, ſi ſalutem omnino deſperarint. Quod me falſo ſuſpicatum eſſe putaveram, ita prorſus contigiſſe non mediocri animi mei dolore deprehendi. Cum enim perditiſſimus omnium quotquot e tenebris erebi eruperunt Eccleſiae hoſtes, ſuos conatus ad irritum recidiſſe animadvertiſſet, fruſtra hac atque illac religione oppugnata, tandem ariete admoto ipſa ejus fundamenta ſubruenda ſuſcepit. Proh nefas! ad ipſum jusjurandum, quo nihil melius, nihilque ſanctius hominibus datum eſt, labefactandum omnes ingenii induſtriaeque vires intendit. Et, quod caput eſt, ut facilius, quo contendebat, perveniret, votique compos evaderet, qua jure, quave injuria ſuam in ſententiam Divum Baſilium pertrahere, ac veluti obtorto collo rapere eſt conatus, alieni exercitus ſanguine, ſuis vero copiis integris atque intactis non incruentam victoriam reportaturus. Illum enim aſſeruiſſe deblaterat jusjurandum haud ita tantum boni, tantumque Religionis in ſe complecti, ut non potius damnari dirisque omnibus devoveri, quam oporteat commendari. Quod vero illud damnaverit, usque adeo patere aſſeverat, ut illo omnibus interdicere minime ſit veritus, atque eo uti magnum piaculum eſſe pronuntiarit. Quae an ita ſe habeant, & qui tam acri Religionis hoſti tot ac tam nefaria evomendi anſam praebuerint, antequam oſtendere aggrediar, pauca de ipſomet jurejurando ἐν παρόδῳ ac primoribus labiis delibanda non abs re eſſe exiſtimavi. Quae dum brevitate qua fieri poterit

ma-

maxima exſequi contendam, ut mihi dicenti aures attentas patienteſque commodetis, vos etiam atque etiam oro obteſtorque. Quae & quanta in univerſum hominum genus mala ac damna pleno pronoque alveo profluxerunt primaeva e labe, atque contagioſo primorum parentum peccato, nemo omnino eſt, quin expertus noſcat teneatque. Quae quidem ſi hîc per ſumma capita, atque levi tantum calamo perſtringere vellem, nullum omnino finem mea inveniret oratio. Illud tamen ſilentio praeteriri nequit, nimirum homines, qui, ſi ita perduraſſent, numquam a virtutis tramite deflexiſſent, ſemperque rationi nullo prorſus perturbationum genere conflictatae paruiſſent, uſque adeo imbecilles atque infirmos evaſiſſe, ut nihil ſupra. Hinc, ut cetera incommoda tacitus praetermittam, fides, quae nulla Balliſtarum, atque catapultarum impreſſione ne pauxillulum quidem nutaſſet, pene corruiſſe viſa eſt. Qua de re ne mala, quae iſto e fonte fluebant, in dies excreſcerent immenſum, latiuſque manarent, atque maximo cum Reipublicae detrimento, nullis legum frenis injectis, liberius excurrerent, illud omnino cavendum cenſuerunt, ut hominum perfidia tamquam firmiſſimis vinculis conſtricta, ſic jurejurando coërceretur. Quod numquam profecto factum fuiſſet, ni fides, quâ unâ ratio omnis ſocietatis ſtat vigetque, haberi deſpicatui per ſummum ſcelus occoepiſſet. Quocirca ab jurejurando promiſſis, pactis conventis, ac cujuſcumque generis contractibus firmitatem vimque pene omnem arceſſerunt. Neque profecto de ulla re ſeverius judicarunt, quam

quam de jurejurando, ſi quando per impios conſceleratoſque homines rumperetur. Ecquiſnam, amabo, eſt, qui Romanarum antiquitatum ritus vel a limine ſalutavit, quem praetereat, eo etiam conſilio Cenſores inſtitutos fuiſſe, ut jurisjurandi ſanctitatem religionemque ſartam tectam tuerentur, deque eo in violatores diſtricte judicia exercerent? Et quod magis mirari ſubit, eo proceſſit quorumdam religionis ſtudium, ut illud indemne cuſtodiendum cenſuerint, licet illicitis conventionibus omnique jure vetitis adjiceretur. Qua ſacra, qua profana Hiſtoria non pauca ſuppeditat exempla, quibus iſthaec confirmentur, ſi id ageremus. Nunc, ut, quod inſtat, quoad fieri poterit, pro dignitate tranſigatur, illud primum diſquiram, nimirum quid ſit jusjurandum, & quotuplex, ut, ejus natura agnita, & breviter ob oculos propoſita, quanti ſit faciendum, & quo modo nos illo uti oporteat, dignoſcatur. Aliter, quî perſpectum nobis erit, quam injurius, & quam impius adverſus tam ſanctum tamque religioſum hominum obligandorum vinculum Barbeyracius exſtiterit? Eſt igitur jusjurandum: *invocatio tacita, vel expreſſa Numinis, tamquam primae & infallibilis veritatis, in teſtem alicujus rei.* Ordinatur quippe juramentum ad confirmationem eorum, in quibus humanae probationes, quibus fides facienda nititur, deſiderantur. Quare quaſi pro jure introductum eſt, ut, quod cum invocatione divini teſtimonii affirmatur, pro vero habeatur. Praeterea juramentum varie dividitur. Aliud enim eſt aſſertorium, quo videlicet aliquid praeſens, aut praeteritum aſſeritur ita ſe habere ſub

ſub quo etiam continetur illud, quo aliquid ſimili modo negamus. Aliud autem eſt promiſſorium, quo aliquid futurum praeſtitum iri pollicemur. Et huc etiam revocatur comminatorium. Rurſus juramentum aliud eſt ſimplex, exſecratorium alterum. Simplex idcirco vocatur, quod puram putam Dei teſtationem complectitur. Et varie profertur, uti videre eſt apud Auguſtinum *ſerm. 28. de Verbis Apoſtoli*. Exſecratorium vero eſt, ſive imprecatorium, quo Deus non ſolum invocatur uti teſtis, ſed ut ſibi & ſuis vindex, ni ſua dicta factis reſponderint. Jam porro, quae in juramentis, eadem & in perjuriis varietas reperietur. Perjurium quidem aliud non eſt, quam juramentum falſum, ſive, ut Magiſter definit, mendacium juramento vallatum. Poſtremo, ut omnia uno verbo contraham, perjuri illi habentur, qui trium conditionum juramenti comitum, nullam omnino rationem ducendam arbitrantur. Quae cum ita ſe habeant, juramentum licitum eſſe ſecundum ſe atque ex genere ſuo, tum etiam ex fine facile contra Barbeyracium oſtendetur. Et, quod caput eſt, ſuo ipſius illum gladio jugulabimus. Et primum ex origine, quia juramentum jam ex eo ortum eſt, quod omnes id imbiberant, ac pro explorato compertoque habebant, penes Deum eſſe ἀσφάλειαν, nimirum infallibilitatem, eumdemque hujuſmodi eſſe, qui neque fallere, neque falli poteſt, omnigenaque rerum omnium cognitione notitiaque pollere. Hinc Lucianus: ἀνθρώπους μὲν γὰρ ἴσως ἐξαπατῆσαι ῥᾴδιον, Θεὸν δὲ διαλαθεῖν ἀδύνατον: *Homines quidem fortaſſe decipere facile ſit, Deum*

 autem

autem fallere impoſſibile. Quam ob rem illud mihi vere dicturus videor, nempe apud quaſcumque gentes juramentum invaluit, apud eaſdem Dei cognitionem pro modulo cultus viguiſſe. Hinc Athei, & Deiſtae jurare prorſus nequeunt. Athei enim Deum dari inficiantur, quod pugnat cum juramento. Quis igitur perneget eos juramento obſtringi non poſſe? Quod eodem modo videre eſt in Deiſtis, qui divinam providentiam e medio tollunt, cunctaque fortuito rerum eventui adſignant, proindeque Deum in malos animadvertere diffitentur. Quonam ergo pacto Deum teſtabitur vindicem veritatis, qui illum vindicem perfidiae ac mendacii inficiatur? Nolim vero hîc intelligi me loqui de actus externi δυνάμει, ſive uti ajunt, poſſibilitate. Ecquis enim dubitet Atheum, & Deiſtam verba jurantis recitare poſſe? Sermo hîc mihi eſt de juramenti veri poſſibilitate, ubi ad actum externum accedit etiam internus, qui in Atheo & Deiſta temerarius exiſtimandus eſt. Haud enim ideo permoventur ad jurandum, quia jurant ſe verum dicere velle. Fruſtra igitur exigeretur ab iſtis juramentum, cum, ubi juraverint, perinde ſit ac ſi non juraſſent. Patet itaque Atheiſmo & Deiſmo omnem omnino juramenti uſum eliminari. Ex fine vero juramentum licitum eſſe compertum eſt, cum nulla alia de cauſſa inductum ſit, quam ad fulciendam veritatem, liteſque, quae perpetuum exarſiſſent, extinguendas finiendaſque, quemadmodum ad *Hebraeos 6.* Apoſtolus teſtatur. Ceterum perverſa hominum natura pronâque in malum voluntate accidit, ut meliora viderent ac probarent, dete-

riora

riora vero ſequerentur. Quanti juramentum faciendum eſſet haud ignorantes, illud tamen ſuſque deque habuerunt, atque per ſummum nefas proculcarunt. Hinc malo ipſis ceſſit, quod ad bonum comparatum erat. Neque id mirabile eſt, cum etiam naturalibus in rebus idem quotidie cernamus, ſcilicet in igne, pharmaco, & ſexcentis hujuſmodi. Quin imo ingenti animi dolore in ſpiritualibus quoque eadem accidere animadvertimus, nimirum in ipſo Chriſti corpore, quod qui indigne ſumit, judicium ſibi manducat. Licet enim juramentum per ſe bonum ſit; nihilo ſecius tamen noxium evadit ac peccato vertitur iis, qui nulla neceſſitate, ſupraque laudatis conditionibus neglectis, illo utuntur. Hanc vero jurandi temeritatem facilitatemque haudquaquam ferendam damnant exſecranturque ſexcentis in locis Sacrae Scripturae, & praeſertim apud Eccleſiaſticum *cap.* 23. *Jurationi non aſſueſcat os tuum: multi enim caſus in illa*. Et rurſus: *Vir multum jurans implebitur iniquitate*. Quod vero jurare non illicitum ſit, imo commendabile ac ſacro eloquio centies inculcatum, id ex ipſis ſacris Bibliis luce meridiana clarius apparet. Ait enim Moyſes *Deuteron. cap. 6. Dominum Deum tuum timebis, & per nomen ejus jurabis*. Quod & repetitur in *Deuteronom. Pſalm.* 14. *Qui jurat proximo ſuo, & non decipit*, habitaturus dicitur *in tabernaculo Domini*. Et *Pſalm.* 23. *Qui non jurat in dolo proximo ſuo, accipiet benedictionem a Domino*. His accedit, quod paſſim legimus viros ſanctos veteris teſtamenti in gravibus cauſſis nomen Dei aperte vel tacite interpoſuiſſe, hac, vel

ſimili forma : *Vivit Dominus : Vivit anima tua : Per ſalutem Regis*. Jeremias tandem etiam conditiones diſerte expreſſit in omni juramento obſervatu neceſſarias , dum ait *cap. 4. Et jurabis, vivit Dominus, & in veritate, & in judicio, & in juſtitia*. De quibus conditionibus Hieronymus in Commentario inquit : *animadvertendum , quod jusjurandum has habet comites, veritatem, judicium, ac juſtitiam. Si iſta defuerint, nequaquam erit juramentum, ſed perjurium*. Porro etiam novi teſtamenti tempore licitum fuiſſe juramentum ex eodem Jeremiae teſtimonio oſtenditur. Pertinet enim ea prophetica ſententia ad populum novi teſtamenti, quemadmodum declarat id, quod proxime ſequitur : *Et benedicent eum gentes , ipſumque laudabunt*. Manifeſtius autem eo ſpectat illud Iſaiae *cap. 65. Et qui jurat in terra , jurabit in Deo amen*. Praeterea id probatur exemplis Sanctorum novi teſtamenti , ac praeſertim Apoſtoli Pauli *ad Romanos* 1. *Teſtis eſt mihi Deus*. 1. *ad Corinth.* 15. *per veſtram gloriam* . 2. *ad Corinth.* 1. *teſtem Deum invoco in animam meam*. Ad *Gal.* 1. *Ecce coram Deo, quia non mentior*. Quod item videre eſt 2. *ad Corinth.* 22. Ad *Philipp.* 1. 1. *ad Theſſalon.* 2. Denique *ad Hebraeos 6.* ait : *Homines per majorem ſe jurant, & omnis controverſiae eorum finis, ad confirmationem, eſt juramentum*. Ex quibus patet conſuetudinem confirmandi res dubias teſtimonio divino, licitam , probabilem, & rectae rationi eſſe conſentaneam. Nunc jam tempus eſt, ut ad SS. Patres gradum faciam, illud obſervaturus, num eorum doctrina ſacrarum Scripturarum oraculo conſona ſemper extiterit,

Sinite,

Sinite, quaeſo vos, agmen inter hoc ducat Baſilius ab impio Barbeyracio immerito impetitus, ipſeque nobis facem praelaturus, ceteris omnibus tamquam antesignanus praecedat. Is *epiſt.* 188. *ad Amphilochium & canonica* I. qua pluribus Amphilochii quaeſtionibus ad canones pertinentibus reſpondet, ac nonnulla Scripturae loca ejuſdem Epiſcopi rogatu explicat, *Canone* x. ſic habet: *Qui jurant ſe ordinationem non accepturos, ejurantes, ne cogantur pejerare.* Et paucis interpoſitis: *Conſideranda autem ſunt & ſpecies jurisjurandi, & verba, & animus, quo juraverunt, & ſingillatim quae verbis addita fuerunt.* Quo quid diſertius, quid dilucidius, quid tandem validius proferri poteſt ad juramenti ſanctitatem incolumem praeſtandam? Namque & juramentum non improbat, & quid faciendum eſt, quo caute juretur, proponit: quo igitur juramentum, ſi non conceditur uti? Quare illud miror nuperum SS. Patrum calumniatorem, ac maleferiatum Sycophantam ea tantum in medium protuliſſe Baſilii loca, quae ſaeculi corruptelam ſpectantia, tantum nimiam jurandi facilitatem coërcebant. Haud enim juramenti uſum, ſed ejuſdem abuſum acriter inſectatur. Hinc *epiſt.* 83. *can.* 2. *ad eumdem Amphilochium*; de Bianore Presbytero, an in clerum admitti poſſet propter jusjurandum, reſpondit ſuſcipi poſſe ſervatis regulis ab ipſo propoſitis; ac tandem ſubjicit: *Poſtulante ab eo pietate tua, ut poenitentiam agat ob facilem, & promptum ad jusjurandum animum. Epiſt.* 85. Ne ruſtici ob vectigalia jurare cogantur diſtricte monet his verbis: *Ubi enim homines in perjuriis exercitati*

citati fuerint , non amplius ſolvere properant , ſed fraudis inſtrumentum , ac dilationis anſam ſibi inventum eſſe jusjurandum exiſtimant. Quibus e locis cernere eſt Divum Baſilium haud in jurantes, ſed in facile juramento utentes invectum fuiſſe ; quod clarius ex reſponſionibus ad objecta deinceps patebit . Baſilio comites adjungo Auguſtinum , Chryſoſtomum , ac Hieronymum . Auguſtinus *ſerm.* 28. *de verbis Apoſtoli* , allatis utriuſque teſtamenti exemplis, atque etiam allato exemplo ſuo ait , *tum licitum eſſe jurare, cum id ſit caute,ac tantum neceſſitate id poſtulante.* Alias ſemper periculum erit, ne perjurii crimine obſtringamur , mandatoque divino obluctemur : *non perjurabis* . Eadem centies repetit variis in locis, nimirum libro de mendacio cap. 15. Epiſt. 89. & 154. de ſermone Domini in monte. Lib. 1. cap. 17. in expoſitione epiſt. ad Gal. circa illud cap. 1. *Ecce coram Deo quia non mentior* . Chryſoſtomum idem omnino ſenſiſſe , neque alia omnia cenſuiſſe facillime demoſtrabitur ex commentariis ejus in Epiſtolas Paulinas , ubicumque Apoſtolum juramento ſe obſtrinxiſſe ſupra oſtendimus . Itemque in illam adjurationem 1. ad Timoth. 6. *Praecipio tibi coram Deo* &c. & Homilia 9. in Acta Apoſtolorum . Tandem agmen claudet Hieronymus, qui tantum abfuit , ut quidquam jurantibus obloqueretur , ut potius , quî jurandum eſſet , commentario in ſupra laudata Jeremiae verba aperte docuerit . Praeterea ſi volupe fuerit noſtra afferta Conciliorum auctoritate confirmare , en in promptu ſunt Epheſini Patres , qui Sacramento adegerunt Neſtorium , qui jam ſuorum dogmatum palinodiam cecinerat;

&

& pariter Patres Conſtancienſes, quis diris devoverunt articulum, qui ſequitur Joannis Wiclefi: *Illicita ſunt juramenta quae ſunt ad roborandos humanos contractus & commercia civilia*. Ad ultimum in hoc eodem Concilio jurarunt pro confirmando foedere a viris Principibus patrato ad labefactandum radicituſque evellendum ſchiſma, quo tum mirandum in modum univerſa divexabatur Eccleſia.

Age jam objectis, qua fieri poterit brevitate, ſatisfaciamus. Et primo iis reſpondendum eſt, quae e ſacris libris depromuntur, eamque ſpeciem prae ſe ferunt, qua juramenti uſum omnino interdictum eſſe apparet. Matthaei 5. ita Dominus praecipit: *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis, non perjurabis: reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis non jurare omnino, neque per caelum, quia thronus Dei eſt: neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum ejus: neque per Hieroſolymam, quia civitas eſt magni Regis*. Et paucis interjectis: *quod autem his abundantius eſt, a malo eſt*. Jacobi 3. *Ante omnia, Fratres mei, nolite jurare, neque per caelum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum. Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt, non, non*. Haec & ſimilia loca Patres ita intellexiſſe videntur, quaſi omnino vetitum interdictumque juramentum chriſtianis fuerit, ac numquam permittendum. Ab illo primum incipiamus, quem ſibi favere Barbeyracius exiſtimat, nimirum Baſilio. Is enim epiſtola 22. ſic habet: *Non oportet Chriſtianum animo evagari:* & paucis interpoſitis: *neque jurare, neque mentiri*. Epiſt. 45. *Siquidem animas, quae ad*

 Deum

Deum confugiebant, *juramentis horrendis obſtrinxiſti*, *cum tamen nominatim quidquid his voculis eſt*, *& non eſt*, *diabolo attribuatur*. Epiſt. 107. de Gregorio ait: *Juramentum fugiebat pura illa anima*, *& digna ſpiritus ſancti conſortio*, *contenta his vocibus: ita & non propter praeceptum Domini qui dixit: At ego dico vobis*, *ne juretis omnino*. Epiſt. 200. *Qui jurejurando ad alterius maleficium praeoccupatus eſt*, *is ſuae in jurando temeritatis poenitentiam oſtendat*, *non autem per cauſſam pietatis improbitatem ſuam confirmet*. *Neque enim Herodi jusjurandum obſervaſſe profuit*, *qui videlicet ne pejeraret*, *prophetam occidit*. *Omnino igitur jusjurandum probibitum eſt &c.* Hoc in loco Barbeyracius victoriam canit, itaque ſibi plaudit tamquam de juratione res omnino conclamata eſſet. Parum certe abfuit, quin ἔυρηκα, ἔυρηκα, gaudio exultans laetitiiſque omnibus geſtiens exclamaret. Baſilio addemus Chryſoſtomum, cujus ſententia frequenter populo Chriſti-fideli inculcanda eſt *Homil.* 15. *in Geneſim*: *Chriſtianus*, inquit, *juramenta modis omnibus fugiat*, *audiens ſententiam Chriſti &c. neque igitur alicui in re juſta*, *neque injuſta jurare licet*. Quid his verbis apertius produci poteſt? Nullus mihi profecto finis eſſet dicendi, ſi huc omnia congerere vellem, quae in eandem ſententiam ceteri Graeci PP. omnes litteris conſignatum reliquerunt, ſcilicet Athanaſius, Origenes, atque Epiphanius, Theophilactus, Oecumenius, Euthymius. Graecis Patribus conſonant Latini, nimirum Cyprianus tractatu de Mortalitate, Lactantius *cap.* 14. Epitomes, Hieronymus in *Matth.* 5. Hilarius *cap.* 4. in eun-

dem

dem Matthaeum, Ambroſius in illud *Pſalm.* 118. *juravi & ſtatui &c.*

Ad primum objectum quod attinet, nempe ad ſententiam Domini a Jacobo repetitam αὐτολεξεὶ, ſic repono a quibuſdam haec verba ita exponi, ut jurare perinde ſit accipiendum ac pejerare, quod non raro in S. Scripturis occurrit. Neque illud quidquam incommodat, quod, ſi ita res ſe haberet, Dominus nihil antiquis ſuperaddidiſſe videretur, quibus dictum erat: *non perjurabis*. Dominus enim prohibet omne perjurium etiam per creaturas. Cum mox ſubjiciat: *neque per caelum*, *neque per terram &c.* Idque propterea tanto ipſum opere interdixiſſe, quod judaeis ex phariſaica doctrina perſuaſum erat, eum non devinciri juramento, qui per creaturas (quibuſdam exceptis) juraſſet, uti patet *Matth.* 23. Verum haec reſponſio haud ſufficere videtur: tum quia Dominus abſolute concludit: *ſit ſermo veſter eſt eſt non non*; tum, quia ſtudioſe mutat verbum perjurii in juramentum. Quare haud dubie oſtendit ſe juramentum intelligere, prout a perjurio diſtinguitur. Alioquin ita dictum oportuiſſet: *non pejerare omnino*. Hinc alii reſpondent conſilium eſſe, non praeceptum, ne juremus, uti ſentire videtur D. Bernardus *ſerm.* 65. *in Cantica*. At vero laudata verba praecepti vim complecti illinc apparet, quod Dominus aliquid diſtricte vetare voluerit, quod Scribae & Phariſaei tamquam licitum docebant, ſicut & in aliis ejuſdem capitis obſervare licebit. Sane quidem, quis ſibi id perſuaſerit, Sanctos Eccleſiae Doctores, Apoſtolumque Paulum uſque adeo mente captos

fuiſſe

fuiſſe, ut, quid Dominus praeceperit, quidve vetuerit, perviderint? Eo ne illos inſaniae dementiaeque deveniſſe dicemus, ut illi morem gerere detrectarint jubenti, cujus ſanctam legem, ac ſalutaria praecepta ceteris inſinuanda inculcandaque ſuſceperant, ingratiis impendentis mortis ac diriſſimorum ſuppliciorum? Apage, quaeſo, iſtas ineptias, ſuumque Sanctis vindicemus honorem. Quare rectius Auguſtinus, qui in hunc Matthaei locum commentans tum *lib.* 1. *de ſermone Domini in monte*, tum *lib.* 1. *de mendacio cap.* 15. docet hoc ſenſu praecepiſſe Dominum non jurare omnino, ne quiſquam quaſi bonum appetat juramentum, & aſſiduitate jurandi ad perjurium per conſuetudinem delabatur. *Quapropter*, inquit, *qui intelligit non in bonis, ſed in neceſſariis jurationem habendam, refrenet ſe quantum poteſt: ut non ea utatur niſi neceſſitate, cum videt homines pigros ad credendum, quod eis utile eſt credere, niſi juratione firmetur*. Hactenus ille. His concinit Hierocles; qui illud apprime jubet non ſolum ſancte jurare, ſed & a juramento abſtinere: *ſic enim ſemper illud ſervabimus, ſi non admodum juramenta uſurpemus. Ex frequentia enim jurandi facile in perjurium delabimur*. Quintilianus: *in totum jurare, niſi ubi neceſſe ſit, gravi viro parum convenit*. Iſocrates juramenta duplici ex capite uſurpanda dicit, vel ut infamiam fugias, vel ut amicos e magno periculo eruas. Paulus electionis vas juravit, ſed non in re modica, ſed in negotiis maximi momenti, ad Deum proximique ſalutem pertinentibus. In pollicitationibus autem, & pactionibus, de quibus proprie Chri-

ſtus

ſtus agebat, quaenam gravis juſtaque cauſſa obtendetur? Quamobrem ſenſus praecepti Dominici eſt: non jurandum omnino, quantum in nobis eſt, niſi nos juſta neceſſitas aliqua (ſub qua evidentem utilitatem ſac intelligas) ad jurandum compulerit. Triplex autem ratio eſt hujus generalis prohibitionis: prima ob vitandum periculum perjurii: ſecunda ob reverentiam divini nominis: tertia ob mutuam chriſtianorum fidem inter ſe, quae jure ac merito tanta eſſe deberet, ut quiſque proximo ſuo etiam injurato crederet. Propterea vero ſubdidit Dominus: *neque per creaturas*, *neque per caelum*, ne quis putaret ſaltem per creaturas ſibi impune licere, aut falſo, aut temere jurare: cujuſmodi juramento ſe non teneri judaei (qui ceteroqui a Deo nominando ſibi miſere religioſe temperabant) perſuaſum habuiſſe videntur. Cum igitur prohibitio generalis prima fronte videatur, neque in ſe continere exceptionem illam, quam omnino comprehendit; haud mirandum eſt Veteres paſſim ita loqui, quaſi ſentiant juramentum abſolute & ſimpliciter vetitum interdictumque fuiſſe. Id enimvero eodem prorſus ſenſu accipiendum eſt ac Chriſti Domini verba modo laudata. Nam in hujuſcemodi ſententiis ob oculos habuerunt pravam inveteratamque popelli conſuetudinem, qua vel temere, vel ob res nullius aut parvi omnino momenti, ſive in contractibus, ſive in aliis quibuſcumque negotiis juramento per fas atque nefas utebantur. Huc ſpectaſſe Chryſoſtomum ſuis in Homiliis certo certius eſt, neque prorſus in dubium revocandum. Hic prae ceteris Patribus

bus in juramentum invehitur, eaque eloquitur, quae, niſi contrarium e ceteris ejuſdem locis pateret, juramentum funditus tollerent ac labefactarent. Quis crederet? eo progreſſus eſt, cum in populi mores omnium ſcelerum colluvione ac potiſſimum perjurii criminibus contaminatos inveheretur, ut rem Diabolicam appellarit. Ex hactenus dictis, quid Barbeyracio Baſilii loca objectanti reſpondendum ſit, manifeſto apparet. Pravam enim, quae inoluerat, conſuetudinem jurandi notaturus eo proceſſit, ut juramentum omnino damnare videretur. Quod in ceteris Patribus videre eſt. Hieronymus ita caelibatum adverſus Helvidium propugnat, ut matrimonium pene diris devoveat, ac exſecretur. Atque huc facit, quod ad rem notat Joannes Morinus in *exercit. Bibl. lib.* 1. *exerc.* 4. *cap.* 4. §. 7. *Meminerit praeterea lector, conſuetudinem eſſe S. Hieronymo non infrequentem, de quacumque re loquitur, ſive ſuam, ſive aliorum ſententiam explicet, σημαντικῶς admodum loqui, & ἐμφατικῶς, nec aliquando quid ipſe approbet, aut reprobet, ſatis exprimere, itaut interdum propter verborum vim, & ὑπερβολὴν ea ſentire videatur, quae tamen conſtanter negat, aut certis tantum circumſcriptionibus adbibitis fateatur.* Quid igitur impedimento eſt, quominus idem de Baſilio affirmetur? Ad illud vero, in quo Barbeyracius triumphare videtur, nimirum locum epiſtolae ducenteſimae, ubi poſtquam verba fecit de Herodis perjurio, ſic concludit: *omino igitur juramentum probibitum eſt*, quod & in *Pſalmi* 14. explicatione pene iiſdem verbis inculcat, primum reſpondeo, licet ita ſenſerit S. Pater, non inde

con-

conficiendum, univerſae Eccleſiae auctoritatem unius Patris opinioni poſtponendam, apud quam jusjurandum numquam non magno in honore fuit, ac ſummopere probatum. Quemadmodum in cauſſa S. Cypriani circa rebaptizandos adverſus S. Stephanum Papam, qui contrariam opponebat traditionem, factitatum eſſe accepimus. Secundo reſpondeo S. Baſilium interpretatum eſſe verba Chriſti Domini aeque ac illa ceteri Patres acceperant. Hi enim illuc potiſſimum ſpectantes, nempe ut corruptela, quae altas radices egerat, omnino evelleretur, more medicorum, qui letale ac deſperatum vulnus curaturi, ferro utuntur & igni, jurandi prohibitione juramentorum facilitatem quacumque de cauſſa etiam leviſſima, non ſine divini nominis irreverentia, cohibere ſtuduerunt. Neque aliud omnino Chriſti Domini conſilium fuit, cum omnino jurari vetuit, ut doctiſſimus Calmetus obſervat. Phariſaeos nimirum dedocere voluit, qui pro lubitu illa Decalogi verba interpretantes: *non accipies nomen Dei tui in vanum*, docebant impune jurari poſſe, quotieſcumque per caelum, aut terram, aut per quaſcumque alias creaturas juraretur, ac inſuper licite juramentum adhiberi, quacumque de cauſſa etiam leviſſima, dummodo contrarium aut luce meridiana clarius non appareret, aut vero impoſſibile, aut manifeſto illicitum foret. His tandem & illud addi poteſt, quod ad rem ait Sotus *de juſtitia & jure lib.* 8. *art.* 2. Nimirum quemadmodum Chriſtus Dominus improbaturus juramentorum abuſum, qui apud Judaeos irrepſerat, haud penſi duxit exprimere, quando jurare licitum fo-

ret;

ret; ita & SS. Patres illius veſtigiis inhaerentes, dumtaxat ad depravatos populorum mores corrigendos intentos, ſatis habuiſſe conſuetudinem jurandi refrenare; quando vero jurare licuiſſet, ſilentio praetermiſiſſe, quippe quos haud fugiebat, uſum juramanti graviſſimis de cauſſis numquam improbatum fuiſſe, uti ſupra animadvertimus. Praeterea neque hili faciendum eſt, quod ulterius Barbeyracius opponit, nimirum juramentum tamquam malum prohibitum fuiſſe illis verbis: ***quod bis amplius eſt, a malo eſt***. Namque Chriſtus Dominus non dixit: ***quod bis amplius eſt, malum eſt***; alioquin, quod intrinſece malum eſt, tamquam legem ſervandam propoſuiſſet, quo quid ſceleſtius fingi poteſt? Sed dixit: ***a malo eſt***, ſcilicet a principio malo, quod eſt vel contemptus, vel irreverentia divini nominis; vel a contumacia tui proximi, qui tibi niſi jurato non accredit. Itaque, inquit D. Auguſtinus, ***non dixit, quod autem bis amplius eſt, malum eſt; ſed a malo eſt illius, cujus infirmitate jurare cogeris***. Atque hinc ſuo ipſius pondere corruit male architectatum Barbeyracii Sophiſma. Vti in Veteri teſtamento judaeis dictum fuit: ***non pejerabis***; ita & in Novo nobis dictum eſt: ***nolite jurare omnino***. Quod ſi igitur perjurium abſolute vetatur, cur non & abſolute juramentum prohibitum affirmabimus? Bona verba quaeſo: abſiſte moveri, nupere ſcripturarum interpres phlegetontaeo ſpiritu afflate. Hem bone vir, ita Stoicorum ritu omnia ſuſque deque habebis, ut, quae pugnantia inter ſe ſunt, amice conjurare, velint nolint, compellas? Prius caelum terrae miſcebitur, quam per-

perjurium cum juramento conjungetur. Vſque adeo ne ineptis, ut uno eodemque pacto juramentum atque perjurium vetitum eſſe arbitreris? Anne te, qui tantum tibi in ſacris rebus ſumis, praeterit perjurium ita intrinſece malum eſſe, ut nullis rerum circumſtantiis fieri poſſit, ut ſuam innatam malitiam deponat? Quod ſecus accidit in juramento, quod cum ſua natura actus religionis ſit, quo Deus teſtis veritatis invocatur; quod dumtaxat prohibetur, ne perjurii crimine devinciamur. Atque id tum contingit, cum leviſſimis de cauſſis, nullaque urgente neceſſitate, juramus. Quis crederet? Neque ita quidem illud pervicimus, ut omnino conticeſceret. Vſque adeo verum eſt multiloquium abundare in ore ſtultorum. En muſſitando ſubmurmurat. Quidnam, malum, diſcriminis inter veterem novamque legem intercederet, ſi res ita ſe haberet? En cuneus, ni fallor, diffindendae difficultati non importunus. Diſcrimen Evangelicam inter atque antiquam legem intercedit, non jam quoad praecepta moralia, quae Decalogus complectitur; ſed praecipue quoad praecepta caeremonialia, & aliquo modo etiam quoad judicialia. Nam ad prima quod attinet, praecepta nimirum moralia, ne latum quidem unguem vel tranſverſum digitum inter ſe ſe differunt. Sane quidem Chriſtus Dominus non venerat novam legem edocturus; ſed verum genuinumque illius legis ſenſum explanaturus, quam Deus hominibus ac praeſertim Judaeis tradiderat. Attente legenti caput V. Matthaei id aperte patebit.

Quod ſi vero novum dicitur praeceptum amandi

INDEX
EPISTOLARVM
PAVLI MOCCIAE.

A Camporae Joſepho pag. 25.
Amato Dominico 13. 28. 30. 32. 84. 85. 97. 104. 111. 128. 134. 135. 147. 205. 226. 324. 365. 380.
Aretio Franciſco 386.
Ariano Vincentio 334.
Blancardo Horatio 388.
Campolongo Emmanueli 53. 69. 72. 82. 99. 117. 129. 323. 387. 414. 416.
Capaſſo Franciſco 392.
Carafae Joanni 378.
—— *Vincentio* 19.
Carangelo Joanni 22.
Carboni Januario 328.
Carignano Franciſco 182.
Carullo Joſepho 60. 208. 237. 375.
Caſalio Scipioni 11.
Cavallario Dominico 382.
Celentano Marcello 385.
Clementi de Aroſtegui Benedicto 15. 77. 79. 102. 108. 123. 125. 141. 142. 143. 144. 145. 206. 220. 223. 224. 225. 268. 282. 289. 291. 293. 294. 295. 297. 300. 301. 303. 393. 434.
—— *Idelphonſo* 2. 57. 73. 119.
Columnae Marco Antonio 407.
Danieli Franciſco 34. 43. 92. 98. 106. 120. 137.

137. 161. 162. 163. 164. 234. 235. 236. 264. 277. 312. 330. 366. 427.
—— *Joſepho* 105.
Danzae Xaverio 51.
De Angelis Gerardo 374.
Durfortio Joſepho 405.
Echaburo Ludovico 433.
Farinae Andreae 23. 112. 113. 114. 132. 133. 138. 148. 150. 152. 156. 158. 160. 209. 210. 212. 213. 214. 217. 219. 227. 228. 229. 230. 231. 232. 233. 270. 271. 272. 274. 275. 285. 287. 317. 319. 343. 345. 348. 351. 352. 353. 354. 356. 376. 412. 423.
Froncillo Nicolao 383.
Galiano Berardo 360.
Genuenſi Antonio 332.
Gerundae Carmino 185. 186. 188. 189. 190. 266. 267. 284. 304. 305. 306. 341. 341.
Gorga Nicolao 408. 432.
Grayo Jacobo 321.
Guido Philippo 178.
Juntae Philippo 337.
Laſcaris a Caſtellar Joſepho Mariae Vincentio 327.
Latillae Benedicto 410.
Leonio Antonio 184.
—— *Ferdinando* 12.
Longano Michaëli Angelo 422.
Maffejo Joſepho 278.
Marazanio Conrado 279.
Migliore Cajetano 90. 239. 430.
Muraenae Maximiliano 64.
Novello Mutio 65.
Pagnano Agnello 429.

Anto-

467

—— *Antonio* 425.
Partitario Januario 281.
Patritio Stephano 21. 49. 63.
Picinno Nicolao 391.
Pignatello Fabricio 91. 419.
—— *Joſepho* 397.
Planeſio Dominico 403.
Rezzonico Carolo 101.
Rodae Emmanueli 313.
Rogerio Caeſari 389.
Sancto-Severinio Paſchali 17. 96.
Sangrio Raymundo 358.
Sarconio Michaëli 363.
Secundo Ferdinando 139.
Serrao Andreae 9.
Serſalio Sergio 61. 336. 336.
Sparano Joſepho 435.
Spinello Antonio 4.
—— *Fabricio* 437.
—— *Nicolao* 1.
Spiriteo Salvatori 20. 55. 87. 115.
Targianio Deodato 183.
Teſtae Michaëli 58. 68. 71. 136. 166. 167. 169. 171. 172. 174. 176. 177. 192. 195. 197. 198. 200. 201. 203. 241. 242. 243. 244. 245. 246. 247. 248. 249. 251. 252. 254. 255. 256. 259. 260. 262. 338. 342. 367. 369. 370. 371. 373. 399. 400. 401. 402.
Tontulo Andreae 308. 310.
Trajectino Franciſco 404.
Vargas Macciucca Franciſco 315.
Verde Bernardino 418.
Xyſto Januario 6.

Gg 2 ERRA-

ERRATA.

impartiminor	pag. 79.	impertiminor
exſpreſſas	p. 101.	expreſſas
laetaris	p. 111.	laeteris
exultas	p. 111.	exſultes
laniſtitium	p. 114.	laniſtatura
obaeſum	p. 145.	obeſum
obaeſulus	p. 146.	obeſus
oris	p. 182.	horis
eſt	p. 196.	ſit
diſcerptat	p. 223.	diſcerpat
his	p. 322.	is
ne ſubſicivis quidem horis	p. 32?.	vel ſubſicivis horis
cum Batavis	p. 327.	tum Batavis
animo	p. 336.	animo eſto
qui	p. 373.	ut
quoſdas	p. 383.	quoſdam
Franciſco	p. 389.	Caeſari
S ipare	p. 416.	ſtipare
Bajonius	p. 421.	Bajonio
mihique que	p. 442.	mihique
conſignatum	p. 456.	conſignata
quod dumtaxat	p. 463.	dumtaxat

S.R.M.

S. R. M.

PAolo, e Nicola di Simone pubblici Stampatori ſupplicando eſpongono alla M. V. qualmente deſiderano di ſtampare un' Opera intitolata: *Pauli Mocciae Epiſtolae*. Pertanto ſupplicano la M. V. di commetterne la reviſione a chi meglio le parerà, e l' avranno a grazia ut Deus.

Adm. Rev. & U. J. D. D. Antonius Genuenſis in hac Regia Studiorum Univerſitate Profeſſor Primarius revideat, & in ſcriptis referat. Datum Neapoli die 2. Junii 1764.

NICOL. DE ROSA EP.PUTEOL. C.M.

S. R. M.

HO attentamente letto l' Opera intitolata: *Pauli Mocciae Epiſtolae*; nella quale non che mi ſia rincontrato in coſa alcuna di pregiudizio ai Regj dritti, o al buon coſtume; ch'anzi dappertutto non ho veduto reſpirare, che riſpetto e oneſtà. Ella è oltre di ciò ſcritta con tanta nettezza e limpidezza di ſtilo Latino, e ci ha tanto lume dell'antica Latina ſapienza, che gliene ſi deve aver grado, rinnovando fra noi col ſuo eſempio il ſecolo felice delle belle arti, per ſervire di ornamento alla felicità del

Voſtro

Voſtro Auguſto Regno. Stimo perciò che ſe ne voglia permettere l' edizione, dove altrimenti non ſembraſſe alla ſublime mente della M. V.

Di V. M.

Caſa 20. di Giugno 1764.

Umiliſſ. Vaſſallo e Regio Cattedratico
Antonio Genoveſi.

Die 6. menſis Septembris 1764. Neapoli.

Viſo Reſcripto Suae Regalis Majeſtatis ſub die primo currentis menſis, & anni, ac relatione Reverendi U. J. D. D. Antonii Genoveſe, de Commiſſione Reverendi Regii Cappellani Majoris, ordine praefatae Regalis Majeſtatis.

Regalis Camera S. Clarae providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inſerta forma praeſentis ſupplicis libelli, ac approbationis dicti Rev. Reviſoris; verum in publicatione ſervetur Regia Pragmatica. Hoc ſuum.

GAETA. DE FIORI. PERRELLI.

Ill. Marchio Citus Praeſ. S. R. C. tempore ſubſcriptionis impeditus, & Ill. Caput Aulae Vargas Macciucca non interfuit.

Regiſtr. ſol. 116.
Carulli.

Athanaſius.
EMI.

EMINENTISSIMO SIGNORE.

PAolo, e Nicola di Simone pubblici Stampatori, ſupplicando eſpongono all' E. V. qualmente deſiderano di ſtampare un' Opera intitolata: *Pauli Mocciae Epiſtolae*. Pertanto ſupplicano V. E. di commetterne la reviſione a chi meglio le parerà, e l' avranno a grazia ut Deus.

Adm. Rev. D. Julius Laurentius Selvaggius S. Th. Profeſſor, & Acad. Sacrae Archiep. Socius revideat, & in ſcriptis referat. Datum Neap. die 14. *Maji* 1764.

PHILIPPVS EPISCOP. ALLIPHAN. V. G.

Joſeph Sparanus Can. Dep.

QVas juſſu tuo, Em. Princeps, recenſendas accepi *Pauli Mocciae Epiſtolas*, *ac Divi Baſilii adverſus Barbeyracium quoad jusjurandum Vindicias*, ſermonis elegantia, & multiplici argumentorum genere illectus non potui, quin iterum atque iterum avide percurrerem. In iis autem nihil ad Fidei, Ethiceſque Chriſtianae placita non exactum offendi; ac pro certo habeo Epiſtolas non mediocri philologis voluptati, Vindicias maximo Religioni emolumento fu-

turas.

turas. Vtraque igitur digniſſima exiſtimo, quae in publicam lucem emittantur; dummodo & tibi probentur, Eminentiſſime Princeps. Ita cenſeo. Neapoli Idibus Septemb. CIƆIƆCCLXIV.

Eminentiae Tuae

Humillimus, devotiſſimus, addictiſſimus famulus
Julius Laurentius Selvaggius.

Attenta relatione domini Reviſoris imprimatur. Datum Neapoli hac die 12. *Septembris* 1764.

PHILIPPVS EPISC. ALLIPHAN. V. G.

Joſeph Sparanus Can. Dep.

MARCO ANTONIO
C O L U M N AE
Allianenſium Principi

PAULUS MOCCIA S. D.

NOVUM, prodigioſum, ac paene ἀδύνατον jure ac merito exiſtimare numquam deſiiſſes, quod de me, ceteroquin haud rumore nuntio, ſed certis auctoribus & fama acceperas, me ſcilicet ita marinis aquis innatare ἀκινήτως, nullâque proinde pedum, brachiorumque ope, tamquam ſuber cortexque leviſſimus forem. Sed bene fuit, quod Te nedum in

Philologicis, ſed etiam in Phyſicis ſtudiis ab ipſa fere prima pueritia innutritum, atque apprime iisdem excultum eo ardor impetuſque tantae rei ac quaſi inauditae oculis tuis ipſis cernendae adduxit, ut, non ſine lectiſſimis viris, iiſque cum nobilitate, tum eruditione inſignibus Regium Armamentarium adieris, quo me veſpertinis horis natatum conferre inaudieras. Et volupe mihi fuit, quod ſimul ac me mira facilitate juxta atque alacritate aquas tranantem vidiſti: Hem! haud quidem certe ſummuſſans, ſed clara, immo & Stentorea voce: quot quantaque factu difficilia, ardua, hominique impervia exiſtimamus, quae re tamen ipſa facillima experti novimus! En, quî iſthic LII. annorum aetate vir, maris omnino inſolens; aquas, pronus ſeu incubans, ſupinus, ſtans recto talo, in utrumvis latus innixus, ſedenſque, manibus, pedibuſque immobilibus experitur! Et, quod maximum eſt, ea efficit, dum ita corpus librat, quae vel peritiſſimum natatorem, acerrimumque urinatorem demergerent. Videte, quaeſo, dum incubus inhaeret aquis, ut ambabus manibus caput omnino aquis extans mentoque ſuſpenſum

ſca-

ſcabit , naſum tergit , totumque corpus ſubter ſuperque facilius , quam ſi in follicanti lectulo jaceret , confricat , deſtringit, demulcet ! Cum interim protenta membra omnia appareant perinde ac ſi ſolido offenderent . Praeterea , videtis ne , ut corpus , quod rectum conſtiterat , aquaſque veluti calcabiles preſſerat , nunc ſuis viribus relictum , ſponte ſua emergens , aquis ſuperincumbit ! Papae! Jam ſemihora, plus minus, abiit, ex quo hîc cum novo Neptuni alumno ſermones cecidimus ; neque interea ipſe vel leviſſimam fecit reſpirandi jacturam . Nobiſcum enim , dum conſulto varios injecimus ſermones , ita collocutus eſt , tamquam in brachiata coriacea ſella , molliſſimiſque plumis diligentiſſime referta conſediſſet . Vel depoſito pignore contenderem , iſtum , qua praeditus eſt incredibili levitate , ac nandi libertate , haud difficili negotio cibos appoſitos manducaturum , potaturum , aliaque omnia peracturum , quae nos extra aquam facillime exſequimur . Dic , ſodes , defatigatus ne es ? Haudquaquam , teſtor Deum , Superoſque omnes . Quin immo , ni vobis grave eſt, & magis licet eſſe otioſis, vobis ſpectaculo ero aeta-

tem. Ἀπέχει· quae adhuc vidimus, vel durae cervicis hominem, refractariumque ſatis ſuperque pervincerent. Amici in paucis cari, vix prius adducebar, ut crederem id, quod nunc πρὸς ὑπερβολὴν curioſus ipſemet una vobiſcum perſpexi. Quin uſque adeo id mihi mirum, ac portenti ſimile videbatur, ut Nicolao Martino Regis noſtri (quem Deus ſoſpitet) in Mathematicis diſciplinis praeceptori, inque Regio Lyceo earumdem Anteceſſori fidem vix, aut ne vix quidem adhibuerim, licet αὐτολεξεὶ idem mihi juratus affirmaverit. Hic autem vir, quem honoris cauſſa nomino, interrogatus, quî id fieri poſſe arbitraretur, id contingere propterea dixit, quod corpus natatoris haud eâdem ſpecificâ (uti Scholae loquuntur) gravitate eſſet, quam maris aquae ſuapte natura praeferrent. Atque ita prorſus ſe rem habere, periculo adamuſſim facto, liquido patuit. Multo enim levius aquis deprehenſum eſt. Alias, quî fieri poſſet, ut corpus ſuis ipſius viribus relictum, quod ſuo impulſu, ac pondere deorſum praecipitanter ferretur, nulla adverſa vi, motu, impetuque deſcenſum neceſſarium cohibente, quî fieri poſſet, in-

quam, ut tamquam leviſſima pluma aquis exſtaret ? Atque hinc non temere colligi poſſe opinabatur, per eum, qui hac vi polleret, poſſe non pauca confici milliaria nando. Identidem enim, modo hîc, modo illic, ſive ſupinus, ſive pronus, ſtans, ſedenſve, cum ſubſiſtere integrum nanti ſit, quid, quaeſo, impedimento eſt, quominus magna ſpatia ſuperentur? Atque ita, quae de celeberrimis natatoribus accepimus, intelligenda eſſe exiſtimavit. Quis enim diutinum nandi laborem ferat, ni ferreus ſit atque adamantinus ? Hîc ego in tanti viri ſententiam manibus pedibuſque conceſſi. Neque unus, aut alter huic ſpectaculo interfuit; ſed quotquot, aeſtivis caloribus furentibus, ſive voluptatis, ſive valetudinis cauſſa, eodem natatum pergunt. Atque huc haud omnibus de trivio hominibus aditus patet; ſed tantum viris, aut ſacrae, aut profanae militiae adſcriptis, ſive Monaſtico cucullo inſignitis. Jam paene memoria exciderat Franciſcus Seraus (pro qualem, quantumque virum, quamque inſigniter de diſciplinis omnibus, ac potiſſimum de Medicina meritum !) vel hic novum aquarum incolam vidit, ſedulo ob-

ſer-

ſervavit, ac plura, quae ſcitu, & notatu digna videbantur, ſciſcitatus eſt. Mira omnia ei viſa ſunt, adeoque digna, quae poſteritati commendarentur. Quid, nobiliſſime juxta atque eruditiſſime vir Princeps, miraris, quod ad Te cum ſcripſerim, Te potius loquentem, quam legentem induxerim, eaque ſingulatim narrantem, quae Tutemet, pro ea qua es in me ſingulari benevolentia, diligentiſſime atque κριτικωτάτως obſervaſti? Mirari deſines omnino, cum, cur ita me geſſerim, acceperis. Id enim conſilii cepi, quo mihi non uſitatas res, ac paene prodigio ſimiles ſcribenti major fides haberetur. Scin', quanti fiat, quod noſmet αὐτομάτως venditamus; praeſertim ſi quid non vulgare, & contingere inſolitum complectatur? Qua de re, quod mihi imprudenti, ac nihil prorſus tale cogitanti evênit, (quî, malum, mihi in mentem venire poterat, me hac aetate virum, ea poſſe patrare, quae nemo alius perfeciſſe fertur?) id publicae exiſtimationi tum vindicari poſſe autumavi, cum virorum omnigena eruditione ornatorum ſuffragio fulciretur. Atque, ut verum ingenue fatear, praeclare mecum actum eſt,

quod

Digitized by Google

quod Tu mihi dux , auctor , atque judex obveneris . Quem enim ſugit , quibus eluces animi dotibus prorſus ſingularibus , quibuſque diſciplinarum ornamentis cumularis? Quae cum ita ſint , quî dubitem ſecurus in medium proferre , quae mihi contigerunt , ſi mihi Tuis , ac τῦ πολυμαθεϛάτυ Nicolai Martini auſpiciis id facere licuerit? Hinc , quae Tibi ſcripſi , ea omnibus ſcripta intelligantur volo , ut id publice per hanc occaſionem emittatur , quod φυτικώτατον arcanum impeditum , nodoſumque expediat , extricetque . Tu interim , Princeps nobiliſſime , haec , quae ex tempore , & ut ampliſſimorum virorum juſſibus parêrem , litteris conſignavi , fac , ut nedum aequi bonique conſulas; verum etiam , quod magis eſt , Tuo praeſentiſſimo patrocinio tuearis . Vale .

Pridie Nonas Octobres anno Repar. Salut. CIƆIƆCCLXVI.

[illegible]

Digitized by Google

DOMINICO AMATO
PAULUS MOCCIA

Ευχαίρειν

VIde quanti te facio ! Tibi morem ut geram, typis committo epiſtolam, quam amico ſcripſeram ſuperiore menſe Octobri. Inciderat quidem in eâ Veſuvii mentio, qui eo præſertim tempore ita arſit, ut nunquam alias magis. Verumtamen non eo conſilio ſcripſeram, ut eam emitterem, ſed ut amico, cui in ſingulas hebdomadas litteras mitto, rem pæne prodigioſam adeoque ſcitu dignam indicarem. Quare nullam admodum rationem habui, neque methodi, neque omnium adjunctorum, quæ tale tamque immane incendium illuſtrius juxta atque tætrius feciſſent. Quid plura? Rem non ordine, ſed ſaltuatim narraſſe ſatis habui. Quandoquidem igitur, pro tua ſingulari erga me benevolentia, eam nedum poſtulas, ſed etiam efflagitas; ne exemplis per manus, uti fit, traductis, mendoſa, aut lituris fœdata divulgetur, illam typis edidi, tibique, cujus ſtudio publicam lucem intuetur, nuncupavi. Tu interim cura, ut eam, veluti tui juris factam, diligenter atque ſtudioſe tuearis. Vale. Ex Ædibus Reg. Ephebei Poſtr. Non. Januar. Anno Reparatæ Salut. CIƆIƆCCLXVIII.

ANDREÆ FARINAE

PAULUS MOCCIA S. D.

LEctis tuis proximis litteris, vix dici poteſt, quanto ego opere gaviſus ſim. Inceptam enim ruſticationem recte procedere, tuumque alumnum Fabricium Pignatellum, qui neſcio quo morbo implicitus male habuerat, jam pæne convaluiſſe ſignificaſti. Quo quid mihi jucundius, gratiuſve accidere poterat? Valde enim illum & merito amo. Sed jam me ad ſe rapit Veſuvius, qui continenti fragore, horrendoque boatu totam hanc Provinciam perterrefecit. A. D. XIV. Kal. Nov. hora XXI. mons tanto impetu conflagravit, cum ad M. P. infra ſummam oram hiaſſet, ut totus ardere viſus ſit. Copioſiſſimus autem ignis tanta tamque vehementi vi ſurſum erumpens in caelum ferebatur, ut tandem altitudine ipſâ candens maſſa in ſingula ſaxa diſcedens decidentium grandinum imbrem procul intuentibus repræſentaret. Non unus hiatus fuit: alter enim Octavianum, alter Neapolim ſpectabat. Torrens vero, qui huc verſus ruebat, poſt impletam quam celerrime ingentem vallem, quæ deſertæ Cellæ SS. Salvatoris ſubjacet, aliquanto ſuperato ſpatio, bifariam diviſus, partim in S. Georgii (vulgo S. Jorio) partim in Retinæ vineas eleganter conſitas, atque adhuc uvis onuſtas effuſus eſt. Sed non hîc vaſtitatis, terroriſque finis. Dum ignis erumpebat, interiora montis ferocientis cava murmure tanto reſonabant, ut bombus procelloſum exæſtuanſque mare, tum cum maxime hiemat, longe plurimum ſuperaret. Qua de re nedum univerſæ ad illam oram ſitæ ædes concuſſæ continenter tremebant; verum etiam

tan-

tanto pavore perterrefacti contremuerunt quot quot Campaniam incolunt. Quid igitur accolis tanta in clade factum eſt? Nocte ipſa intempeſta huc illuc aufugerunt, quæque ferri poterant, ſecum abſtulerunt. Hinc parentes, liberis partim in humeros impoſitis, partim manu eos ducentes, domibus relictis, ſalutem fuga petierunt. Rex ipſe, quem Deus diutiſſime ſoſpitet, cum in Suburbano Herculanenſi de more rusticaretur, poſt mediam noctem huc concitatiſſimo curſu perrexit. E ruſticantibus, quorum ingens numerus in illam amœniſſimam oram confluxerat, nemo fuit, qui non, ſive pedibus, ſive curru, ſive tandem quacumque conducta rheda, nulla interpoſita mora domum contenderit. Via Herculanenſis ceteroquin tritiſſima, numquam alias tot tantiſque funalibus colluſtrata reſplenduit. Quid? reſedit furentis ignis impetus, requievitque tandem? Vix induciis paucarum horarum interpoſitis iterum immanius ſæviit, monſque reboare cœpit non interrupto fragore. Ad hæc non mediocris cinerum, nigrantiumque lapillorum copia decidit, qui meridie ipſo ſolem infuſcarunt. Atque hîc tuum judicium eſto, quantus omnes pavor inceſſerit, & quot quantæque per urbem ſupplicationes diſcurrerint. Quocumque oculos converteris, turbam puellarum, feminarumque cernis, paſſis capillis, nudis pedibus, pectora plangentium, Superumque fidem opemque obteſtantium. Nudius tertius, ſollemni indicta ſupplicatione, D. Januarii ſimulacrum per urbem circumlatum uſque ad Portam Capuanam, atque e regione montis perpetuo rugientis, ignemque fumique turbines eructantis ſitum fuit. Sed mirabile eſt, quam celerrime immugiens mons, igniſque extrema omnia interminans conſtiterit. Vix enim ad D. Magdalenæ pontem ſupplicis multitudinis confertum innumerumque agmen, quod iden-

identidem ſurrectæ Jeſu Chriſti in crucem ſuffixi icones loco ſignorum diſtinguebant, quodque ponè ſequebatur inclyti Januarii ſimulacrum, Cardinaliſque Antoninus Serſalius nudis pedibus tamquam agmen clauſurus, vix; inquam, illuc pervenerat, cum derepente, omnibus obſtupeſcentibus, mons, qui æternum fremere videbatur, ſiluit, conceptamque iram compreſſit. Hinc tute, qui hac in urbe natus eductuſque es, in tanti Herois fidem tutelamque ab incunabulis commiſſus, tute, inquam, conjicies, quæ ſtatim omnium lætitia gratulatioque ſubſecuta ſit: quæ Deo Opt. M. gratiæ actæ ſint, qui mirabilia in Sanctis ſuis facere dignatus ſit. Reditus triumpho ſimilis fuit. Pavor, qui omnes imperioſus invaſerat, jam loco dejectus, erubuit; cum interim Lætitia triumphali curru invecta per urbem feſtis acclamationibus perſonantem incederet. Sed quo progreſſus ſum, quove ore in meſſem alienam falcem immiſi? Tibi, tuiſque Alumnis Muſarum amicis ſparta hæc ornanda relinquatur oportet. Vos qui Caſtalio ora proluitis fonte, purius iſta ac ſublimius carminibus expreſſa poſteritati numquam intermoritura commendabitis. A me lectiſſimis tuis Alumnis, eorumque præſtantiſſimis parentibus ſalutem plurimam dices. Vale.

Ex Ædibus Regii Ephebei VIII. Kal. Novemb. CIƆIƆCC. LXVIII.

Digitized by Google